~~G7878~~
Uc 4196
Biblioteka Jagiellońska
stdr0013345
Uc 4196/2

SCRIPTORES RERUM POLONICARUM,

ex recentioribus præcipui
quotquot extant

LATINI,

In unum corpus nunc primùm congesti
&
In III. Tomos distributi,
Collectore,
C. T. L.
Sorniz: Misn:
Tomus Secundus.

AMSTELODAMI,
Sumptibus GYSBERTI van VALCK,
M. DC. IIC.

Ex Biblioth. Regia Berolinens.

vHs 1057883

HISTORIÆ VLADISLAI POLONIÆ ac SUECIÆ PRINCIPIS,

LIBER PRIMUS.

VLADISLÄUS Sueciæ originem, natales Poloniæ debet. Sigismundo ejus nominis Tertio Rege Poloniæ, & Annâ Austriacâ Caroli Archiducis filiâ, Parentibus illustris: quorum ille veterum Gothorum sanguis, quibus triumphati Orbis gloria accessit; hæc Austriacæ stirpis nobilissimum germen fuit, cujus Majestatem Sol Oriens adoravit, Occidens veneratus est. *Vladislai Origo & parentes.*

Pater à Carolo Patruo, præter fas omne hæreditario exclusus Regno, sceptrum, quod sibi *Pater Sueciæ Regnum amittit. 1597.*

ſibi vivente Joanne Suecię Rege, liberis ſuf-
1587. fragiis Polonia detulerat, quadraginta quatuor annorum ſpatio variâ fortunâ, plerumque tamen propitiâ geſſit. Nec Sueciam à morte Joannis Patrio evinctus diademate deſideraſſet, ni quibuſdam Suecis, minùs cauta ſuadentibus, faciles præbuiſſet aures; qui apud credulum Regem, tutiora conſilia in ſuſpicionem vocavere. Sed poſtmodum ſuo ingemuit malo, cùm fidis illis miniſtris paſſim ad Carolum deficientibus, ipſe Regno excedere coactus eſt, memorandóque docuit exemplo, adultas ſeditiones conſilio & armis ſopiendas eſſe; quibus Sigiſmundus deſtitutus, dum ſubditorum inermis expoſcit fidem, armatos à Carolo in ſuum exterminium ſenſit hoſtes. Sed perditum diadema tradant alii uberiore ſtylo, mihi innuiſſe ſufficiat.

Idque volente Numine. Crediderim ego fatorum clementiam, avitum Sigiſmundo denegaſſe Regnum, cœleſtémque hanc fuiſſe viam, quâ è Suecico ſolo à Superis peculiari favore ad latè *Cur?* patentis Sarmatiæ duceretur imperium. Dedit

Dedit id namque placatum Numen optimæ ac piiſſimæ Matri, Catharinæ Jagelloniæ, quæ in Regno hæreſis labe infecto, cum materno lacte veterem & Orthodoxam filio inſtillavit religionem, puerúmque ſanctiſſimis imbutum moribus, mox in tenera ætate immaturo ad ſuperos abitu cœleſti relinquendum tutelæ. Nec vano eventu: nam vix decimum nonum ætatis annum ſupergreſſum libera gens, liberis vocibus, annitente Annâ Jagelloniâ Matertera, Stephani verò Regis Poloniæ conſorte viduâ, ad Polonum evocavit diadema: amoto deinde feliciter præpotenti æmulo, traductíſque in partes diſſidentium animis, regio impoſuit throno, Catholico deinceps futurum quàm Hæretico clariorem regimine. quod ſi in Suecia tantùm obtinuiſſet, quis ſponſor conſtantis & à matre impensè commendatæ religionis? Quanquam conſtantiſſimum maternæ pietatis cultorem habuit Polonia, quam ſerpente hæreſeos contagione afflatam, fatiſcentémque, leni at efficaci medicinâ ad veteris, Orthodoxæque religionis

Ob pietatem Matris.

Catholico Regno Catholicus & ipſe præficitur.

nis revocavit ſenſum, cùm Præfecturas, & Magiſtratûs deferret viris, avitæ majorumque fideï apprimè tenacibus, eóque dominationis arcano retento, hæreſes abſque ullo ſtrepitu partim ſupprimeret, partim memorandæ pietatis Regiæ exemplo, ad priſtinum reduceret ſtatum. Et qui potiſſimam, præcipuámque Senatûs partem, novo ac recenti addictam dogmati, in primordiis regnorum repererat, decedens, duos tantùm relinqueret, Sigiſmundum Grudzinium Caliſſienſem, & Raphaëlem Leſczynium Belzenſem Palatinos, illum quidem occultiori cuipiam ſectæ deditum, proindéque minùs noxium; hunc Calvini ſequacem, ſummæ nihilominus probitatis Civem patriæque ſtudentem commodis.

Ejúſque fidei tenaciſſimus fuit.

Hæreſin ſuppreſſit.

Nec leve & inde conjecturæ meæ capio argumentum: videlicet Sueciæ turbulentæ, & rarò per ſeditiones quieſcenti, optimæ Matris causâ, pacatiſſimam filii indolem, ſuperos objicere noluiſſe. Guſtavus Vla-
1623. diſlaï abavus, Sigiſmundi avus, Chriſtierno ejecto, Regnum Sueciæ adeptus, Lutheranum amplexus dogma, Catholicis infeſtior, graviórque imminebat. Relati ſacri in ærarium Principis census, Epiſcopi, Abbates, cæteríque ſanctioris togæ homines, quà carcere, quà exilio mulctati: pluribus irrogatæ cædes, recentémque ſuper ruinas Catholicæ religionis auſpicatus eſt Monarchiam, acſi eâ incolumi fruſtra ſibi, Domuíque ſuæ, æternitatem Imperii polliceretur. Prædixere vindictam viri, vitæ ſanctimoniâ conſpicui, Guſtavianam domum ſeditionibus inpoſterum agitandam, nec defuturum in regnatrice domo ſucceſſorem, tantum dedecus motæ mentis inſaniâ expiaturum. Ab eventu deinde fides augurii patuit, quippe ipſe Guſtavus primum amentiæ dedit exemplum. Erico quid inſanius? Magnus Erici frater furioſus moritur. Joannes, ab Erico primùm, pòſt à Carolo fratre inſidiis appetitus, nuſquam tutus. Carolus ultra modum impatiens animi, geſtis dictíſque & cum Rege Daniæ ridiculis concertationibus læſæ mentis prodidit indicia, donec ad extremum, Sigiſmundum nepotem regno excluderet,

Superi pacatam indolem turbis Suecicis objicere nolunt.

Guſtavus oppreſſis Catholicis Regnum Sueciæ occupat.

Cujus hæredes ſeditionibus exagitantur, nec abſque inſania.

deret, datâ implacabilis odii bellorúmque causâ. Unico ille felix Gustavo filio, cujus virtutes Regiæ, militaris reï peritia, bellandíque felicitas, non hostium tantùm, sed totius orbis Christiani inclaruit encomio.

Catharinæ Jagelloniæ Elogium.

Atque dum genus paternum Vladislaï, in brevem contraho summam, addo Catharinæ Jagelloniæ elogium. Illa est, quæ prima Jagellonias, Austriacos, Arragonios, Sfortías, & quidquid nobilissimum Orbis Christianus habet, Suecico miscuit sanguini: quanquam non malè a quopiam dictum, Noster fuit ille Sanguis, quem in regni sinum semper referre licuit, & hæc felicissima Stirps, pluribus sæculis in Polonia regnatrix, in Sueciam transfusa, in alieno foecunda solo, ut Reges Poloniæ germinaret.

Ryvocius in Panegyrico Leonis Sapiha.

His itaque Majoribus ortus Princeps natalem habuit in Urbe Regni Metropoli annum sesquimillesimum nonagesimum quintum, diem Junii Mensis nonum, qui itidem olim Patri illius Sigismundo vitæ principium fuit, anno exorientibus tunc Belgarum turbis memorando. Nox præcedens nata-

Vladislaus nascitur Cracoviæ.

natalem, fortuito palatii Cracoviensis incendio illustris fuit, cujus jacturam magnifico sumtu compensavit Sigismundus, eo novo hospiti, ac postmodum Successori, augustiorem effecit.

Baptismi diem, more Principibus usitato, ad breve tempus dilatum, auxit publica gestientium populorum lætitia. Regiùs infans, longo Procerum ordine præeunte, horis pomeridianis è palatio ad Basilicam, Regum inauguratione & Divi Stanislaï tumulo celebrem, à susceptoribus deferebatur. Ac inter eos eminuit extremus Jagelloniæ Stirpis surculus, Anna Regina, Sigismundi Primi Regis Poloniæ filia, Augusti soror, Stephani consors, Sigismundi tertii matertera, quæ priscam Regum Majestatem referens, domúsque Jagelloniæ venerandum olim Sarmatiæ nomen, non absque vano tum orienti proli præsagio fuit, cùm ultima regnatricis domûs hæres, ætate senióque gravis, & suo propior fato, suavi nepotulo largissimis votis, omnem avitam paternámque, velut hæreditario jure, transmitteret felicitatem.

Baptizatur.

Inter susceptores eminet Anna Regina ultima Jagellonum hæres.

Et

Brevi post extincta & cum illa vetus aulæ mos.

Et illa quidem hujus ſolatii compos, brevi in vivis eſſe deſiit, & (ut à non nemine annotatum reperio) cum ea non ſolùm genus Jagellonium, ſed & omnis aulæ Polonæ mos antiquus ac Majeſtatis decor interiit, novis cum Principibus novo ſubrepente more, Polonorum priſcis minùs accommodato inſtitutis.

Vladiſlai nomen cur impoſitum.

In baptiſmi, abluente illum Georgio Cardinale Radivilio, fonte Vladiſlaï Sigiſmundi puero nomen impoſitum, hoc ut duos Sigiſmundos Jagellones proavos, Reges omnium ætatum memoriâ digniſſimos referret: illo verò Vladiſlaï Jagellonis, quo feliciſſimè regnante, Polonia vires hoſtibus formidandas exeruit, & ejuſdem filii Vladiſlaï, Hungariæ Regis, qui cum Turcis ad Varnam dimicans occubuit, gloriâ & nominis immortalitate, rerúmque geſtarum ſplendore excitaretur.

Sigiſmundum Primum & Sigiſmundum Auguſtum.

Ob natalem Principis populorum plauſus & auguria.

Infantem recens editum, & luſtrico ablutum fonte, excepere publicæ gratulationes, applausûs, vota, quodve tunc fieri ſolet, omina. Inter hæc non poſtremum ferebatur Prin-

cipis incidiſſe natalem, in lucem Divorum Primi & Feliciani venerationi Sacram. Primum & Feliciſſimum augurabantur, cui Favente cœlo poſt deceſſum Patris haud ambiguum pararetur regimen, quod extinctâ Jagelloniâ ſtirpe, mutatorium per novas familias, diverſis regentium moribus, fatíſque jactabatur petebatúrque ex alieno orbe, magno Regni diſcrimine. Quantis a deceſſu Sigiſmundi Auguſti, Stephani Regum, & Henrici Valeſii præcoci abitu, motibus concuſſa tremuit Polonia, diviſis in Factiones Proceribus, cùm quiſque pro ſuæ vocis oraculo vitam & ſanguinem offerret, recens tunc apud nonnullos erat memoria. Inter promiſcua populorum cadavera fundabatur prima Majeſtas, & novi Principis purpura ut pretioſiùs ruberet, diſſidentium Civium recenti tingebatur cruore. Ceſſit hic metus, meliórque ſpes Sarmatiæ affulgere viſa, cùm poſt Jagellones, in Vladiſlao nuper nato, Sigiſmundus fœcundam Regum familiam incipiebat, diu Polonis expetitam, quos antecedentium Principum infœcunda con-

connubia, tantis objecerant periculis. Id verò abſque liberi ſuffragii præjudicio, quod Regibus dare diadema conſuevit. Neque enim Polonis naſcuntur Reges, ſed defert eam Polonia Principibus optimè meritis reverentiam, quorum filios in ſinu Reipublicæ educatos ſpe futuri regiminis accendit, ad quod non per inertiam aut laſciviam, ſed præclariſſimis facinoribus eniti ſtudent. Ac quemadmodum neminem hactenus è poſteritate Regum ab eo arcuit culmine, ita omnes beneficii memores, priſtinam majorum ſuorum ac Reipub. auxère gloriam.

Polonia Regum filios nunquam a ſceptro excludit.

Libet jam referre Viri graviſſimi vaticinium. Is verò eſt Petrus Scarga Societatis Jeſu, Stephani & Sigiſmundi Regum Eccleſiaſtes, integritate vitæ & doctrinâ celebris, magnorúmque olim virorum in tyrocinio Societatis Romæ contubernalis, qui prophetico dictante Spiritu, Sigiſmundo gratulabundus, hæc de Vladiſlao puero, optimus ſenex cygneâ voce cecinit: *Deus Majeſtatem tuam auxit Vladiſlao filio, qui nunc diem quinquageſimum quartum agit: is non tantùm*

Omen ſeu Vaticinium Petri Scargæ.

Turriani Leonii, Olavii, Rudolphi Aquavivi. in Epiſtola Dedicatoria ſuarum Concionum.

à Regibus, ſed à Cæſaribus & Monarchis altum ducens Sanguinem, maximâ Regnum univerſum ſpe ſolatióque implevit, ſi præſertim bona acceſſerit educatio, in qua totum ſitum eſt. Cujus ætatem provectiorem minimè me viſurum exiſtimans; cadaver namque meum jam tumulo incluſum computreſcere incipiet, aut penitus computreſcet, antequam mente adoleſcat, maximâ nihilominus ex ipſius ortu perfuſus lætitiâ, hoc interim cum Zacharia canam, Scriptum à me illi olim legendum relinquens: Tu filiole, Rex Poloniæ vocaberis, populorum tuorum bono incumbens regimini, ſervies Domino tuo, qui te creavit. Potens eris gloriâ Vladiſlaë, ut illam cum natione, ſimúlque populis efferas, & depreſſam erigas. Pietatem & fortitudinem imitaberis Vladiſlai Jagellonis, & alterius ejuſdem nominis filii, qui pro bono Chriſtianitatis ad Varnam contra Turcas fortiter dimicans, occubuit; ut cum parentibus populóque ſis benedictus in æternum, eæque paſſim inſonent voces: Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti.

Clariſſimi viri augurantis veritatem ſubſequentia oſtenderunt tempora. Nullus etenim antecedentium Regum, majori cum applauſu regium inſedit thronum, ita ut

Comprobatum ab eventu.

concordi cœli terræque voce ad tam amplum depoſceretur imperium, ut ſuo memorabimus loco. Quanquam quintum decimum ætatis agentem annum vidit Petrus Scarga, magnæ ſpei regium Juvenem, ac primùm trienni Vitas geſtáque Sanctorum Polono idiomate eloquentiſſimè ſcripta, dedicavit obtulítque, ut in tam pio volumine, & vitæ Polonæ elegantiam addiſceret, ac prima legendi deponeret rudimenta, exemplo Philippi Tertii Hiſpaniarum Regis, qui à Vitâ D. Ignatii Lojolæ Hiſpanicè ſcriptâ lectionis ſuæ initia erat auſpicatus, ad extremùm, quaſi non dubiè poſt ſera Parentis fata regnaturum, pulcherrimis inſtruxit monitis, quæ ex ipſius dedicatoria facilè peti poſſunt.

Infans matrem amittit.

Infantiam in Auſtriacæ matris ſinu, indulgentiáque egit, quam triennis amiſit. Ultimis illa diebus Januarii decedens regiæ domui orbitatem intulit, triſtibúſque Anni quingenteſimi nonageſimi octavi ſupra milleſimum faſtis dedit initium. Uterum tunc ferebat, & vicino propior partui, ſubitò con-

concidit, ut eam priùs obiiſſe, quàm decubuiſſe fama mox retulerit. Erat Anna Auſtriaca Caroli Archiducis & Mariæ Bojorum Ducis filia; Ferdinandi Primi & Annæ Vladiſlai Jagellonii Hungariæ Regis filiæ, neptis, Ferdinandi Secundi Imperatoris Soror. paterna maternáque Stirps Reges, Cæſares, & quidquid alti ſanguinis Europa habet, cujus non tantùm claritudinem, ſed etiam heroïcarum virtutum pulcherrima ad Sigiſmundum attulerat ornamenta. Eminebat inſigni pietate, prudentiâ, formæ eleganti inerat mixtus majeſtati decor. Staturam paulò infra mediocrem ſufficiebat gravitate inceſsûs, eandémque & in vultu ſervabat. Nonnullis ſeverior viſa, ſuperciliíque elatioris, quàm liberæ gentis Reginam addeceret, iræ impatientem, & plùs æquo imperioſam ſunt qui annotavere.

Ejus Elogium.

Liberorum numerus.

Quatuor liberorum Patrem Sigiſmundum fecit: primo partu Annam Mariam enixa, ſecundo in Suecia Catharinam edidit, pòſt Vladiſlaum, ultimo Chriſtophorum ex utero Matris exſectum, ſolo Vladiſlao ſuperſtite,

ſtite, cui ſi quos vixiſſe debuerant, adjecêre tenellæ proles, annos.

Ob ejus obitum ingens Sigiſmundi Regis dolor.

Et Anna quidem Regina ſexto poſtquam nupſerat anno, ſublata eſt, cujus obitum tenerrimè luxit Sigiſmundus, omníſque ſolatii impatiens diu triſtes exegit dies. Lenimentum dolori attuliſſe dicebatur Maria Archiduciſſa Auſtriæ, Mater Reginæ, quæ ad ultimum funeris officium à filio Rege invitata venerat in Poloniam. Hæc cùm propè unum Menſem Niepolomiciis filiali obſequio à Sigiſmundo coleretur, Princeps inſigni prudentiâ, occaſionúmque captandarum artifex, & futurorum eventuum ſagax, tam verò filiarum elocationi (quæ illi numeroſiores) è dignitate Auſtriaca incumbens, blandè in Regium influens animum, quaſi Vladiſlaï orbitati metueret, ad ſecunda matrimonii vota Sigiſmundum pellexit, obtulítque Annæ prioris Conjugis ſororem germanam Conſtantiam, quam, etſi per ætatem necdum nubilem, accedente tamen tempore ducturum ſe Rex ſecretâ pollicitatione ſpopondit. Ferebatúrque

Lenitur ab Archiduciſſa Auſtriæ matre, propoſitâ alterâ in matrimonium ſorore, Rege non detrectante.

que tunc primùm Vladiſlaï infantiæ teneriùs habendæ additam Urſulam Meyerin, è cujus nutu famulantium fæminarum pendérent obſequia, id verò procurante Mariâ Archiduciſsâ. Subolfecerat enim puellam Regi non ingratam, eóque idoneam viſam, cujus lenociniis negotii promovendi curam committeret, in ejúſque ſinum vota ſua deponeret.

Quidquid tunc inter Regem & Archiducem conventum fuit, rumor diſtulit, mox ipſe eventus occultiora patefecit conſilia, turbis civilibus prætextum deinde datura. Quantò ſecretiùs inter illos agebatur, tantò confidentiùs fortaſſe (licèt & falsò) ab iis, quibus vicina Auſtriacorum potentia ſuſpecta erat, imperii deducebantur arcana.

Funus Reginæ altero poſtquam exceſſerat anno, in templo arcis Cracovienſis peractum; moram fecit ſerpens per populos totius Poloniæ aëris contagio, hincque ſpiſſa funera: deinde res Suecicæ Caroli Sudermaniæ Ducis apertâ proditione rebellionéque in diſcrimen adductæ. Ab obitu Reginæ con-

Qui funus Reginæ procurat, cur tardiùs? 1599.

confestim eò se contulerat Sigismundus inermis ad armatos, jámque nutantes & dubiæ fideï populos spretus tandem, quia non armis, sed indulgentiâ nimiâ (cui ampliùs non erat locus) septus venerat, regnum à Patruo occupatum vidit, & ingemuit.

Educatio Vladislai. Quadriennio post decessum Matris, ultimis infantiæ exactis annis, Vladislaüs melioribus formandus studiis traditur, ac ut magni Regis addecebat, filio ordinata familia, lectíque qui recenti aulæ è dignitate præessent. Delata domestici regiminis cura *Konarscius Aulæ ipsius,* Michaëli Konarscio, Castellano Gedanensi, Viro præter generis splendorem dignitatémque Senatoriam, gravi modestóque, & linguæ Germanicæ gnaro; Præfectura secretioris cubiculi demandata Sigismundo Kazanovio Kokenhausii in Livonia Gubernatori, homini veteri prosapiâ oriundo, variis claro erudítóque bellis, morum suavitate & elegantiâ conspicuo, magnarúmque tam in sago, quàm in toga, virtutum. *Sigismundus Kazanovius Cubiculo præficitur.* Is assiduus Vladislaï comes, prudens ætatis tenerioris moderator, ac per tot annorum probata

obse-

obsequia Principi familiaris, fidus deinceps dignitatis fortunæque regiæ custos, Vladislaum non tantùm Regio diademate evinctum vidit, sed etiam senio gravis veteris obsequii memor in Moschoviam secutus, inde triumphantem deduxit Varsoviam, ubi mox fatis concessit. *Quis ille Kazanovius.* Ornatus à Rege Archicamerarii dignitate amplissimâ, Præfecturâque Solecensi, dignus, à quo in ipsis regni exordiis beneficentiam suam auspicaretur regiam. *1634.* Atque hic est Adami Kazanovii Pater, qui continuus postmodum Principis, nobis suo loco memorandus erit.

Modliszevius inter cubicularios, pòst Præfectus Culinæ Regiæ. Accessere alii interioris admissionis famulitio, præcipuè Joannes Dunin, Modliszeuski, cæteríque quos probata spectatáque virtus, modestia, elegantia morum aptos ministerio Principis judicavit. Horum plerique ad altiorem in Repub. gradum evecti: & Modliszevius quidem Præfecturâ Culinæ Regiæ auctus, qui honor apud nostrates non postremus, fortasse è veteri Galliæ Regum aula desumtus. Legibus nam-

C que

Joannes Tillius lib. de Rebus Gallicis.

que Archimagiros Franciæ; quibus ſumma fuit inſpectio in omnes culinæ regalis adminiſtros, inter cæteras dignitates Galliæ eminuiſſe, & id muneris obiviſſe viros generis ſplendore inſignes & regni illius primores.

Literis Princeps excolitur.

Jam ſuus erat Vladiſlao Burrhus, qui puerum deinde juvenem militaribus exemplis accenderet, commonſtrarétque partim domeſtica Majorum, partim externa tropæa, quibus egregia indoles excitaretur. Seneca poſtmodum, ſed qui in Trajanum non Neronem incideret, inquiſitus: hunc fœcunda doctiſſimorum virorum Academia Cracovienſis obtulit. Gabriël Provancius in palatium erudiendo Principi adductus, ob ſtudiorum claritudinem, pietatem, comitatem honeſtam dignus viſus, ut tali magiſtro pueritia Vladiſlaï adoleſceret, qui ſpeï de ſe conceptæ egregiè reſponderet, qui ſpeï de ſe conceptæ egregiè reſpondit, & præſtitæ in erudiendo Principe operæ, memorandum tulit elogium, acceptâ à Rege, comprobatâque lege, conſentiente Senatu ac Ordinibus nobilitatis prærogativâ, quæ ſacris initiato (neque enim is honor ad quempiam ex ejus familia devolutus) ad opimiora in Cathedralibus Eccleſiis ſacerdotia viam aperiret, clauſam per leges patrias, plebejo genere ortis. Cognomen quoque Provancii mutatum, addito novo & honorifico ab alumni nomine, proinde Vladiſlawski deinceps dictus, ſcriptúſque. Quanquam vir ſummæ modeſtiæ, ab omni alienus ambitione, Præpoſiturâ Varſovienſis Eccleſiæ, non exigui cenſûs, contentus vixit, adjectis nonnullis ex benignitate regia Sacerdotiis, tum & catalogo Culmenſium Canonicorum inſertus, eum honorem plurimi fecit, quòd in natali obtigiſſet ſolo, ubi & ſepulturæ honorem accepit in Fano Divi Georgii, erecto ibidem, dotatóque Franciſcani ſodalitii cœnobio. Vir ad extrema vitæ tempora, Regis Sigiſmundi, Reginæ Conſtantiæ, & Vladiſlaï Principis favore perpetuò felix. 1631.

à Gabriële Provancio.

Præmio à Rege Reſp pub. condecorato, & quale illud.

Literas feliciter tractat.

Non multùm adlaborandum erat tantis in erudiendo Principe magiſtris, quem cœleſtis mens, ingenium ſublime, indoles regia, virtutum omnium ac optimarum artium

tium capacem fecerant, quas ita hausit, quantum Principi, quantum Regi futuro satìs erat. Historiarum cognitioni deditissimus fuit; illas legere, attentè audire, memori recondere mente, gesta factáque memorabilia superiorum ætatum percontari, discere: hoc puero, hoc juveni, hoc provectiori familiare. Hinc ardor gloriæ crevit, ad hanc unam excitatus spontè vehemens animus attendebat, & præclarissima quæque à tenero meditabatur ungui.

Præcipuè Historiarum lectioni deditus.

In literis eos progressûs fecit, ut Latinè tersè & eleganter scriberet, promtáque illi ac profluens, & quæ Principem deceret, eloquentia esset. Accessit aliarum linguarum peritia non vulgaris. Nam præter Latinam callebat Germanicam, Italícam non perfunctoriè didicerat, ut Germani, Italíque non difficulter Civem suum agnoscerent. Polonicâ linguâ tam aptè, concinnéque loquebatur, ut primus ex iis, qui aliquando rerum potiti sunt, eloquentiæ laudem tulerit. Audivimus nec sine aliqua admiratione in publico verba facientem, sive salutantium officiis

Linguas exoticas non perfunctoriè discit.

Polonicè disertissimè loquitur.

ciis responderet, sive jus diceret, sive alloqueretur Senatum, suámque in consiliis proferret sententiam. Torrentis adinstar defluens Oratio audientium detinebat aures, quam ita attemperabat, ut eleganti nec affectatæ dictioni, tantæ Majestati par constaret gravitas.

Neque tantùm ad studia felix propendebat indoles, sed Martialis in puero emicabat animus, cùm imaginarias strueret acies, armorum fulgore, tubarum clangore, tympanorum sonitu, tormentorum fragore delectaretur, deque rebus militaribus & bellis dissereret libenter, non absque singularis prudentiæ, prout ætas ferebat, sensu. Venerat ad aulam Joannes Zamoscius, Regni Cancellarius & Supremus exercituum Præfectus, unáque duxerat filium novennem, Thomam, quem suo jam propior fato, teneriùs Sigismundo Regi commendaret. Mox Regem allocutus, spémque unicam domûs suæ ostentans, pedibus regiis supplicem admoverat, perpetuo fidelique devotum obsequio. Sistitur deinde Vladislao,

Propensio ad arma.

osculatur manum Principis, & quia ambo ætate pares liberiùs colloquuntur, cùm Thomas ferociùs de bello militiâque dissereret, Martios exereret spiritûs, ad extremum pollicetur, adducturum se propriâ impensâ decem millia militum, ubi necessitas juberet, & mandatum Principis accederet; Subrisit nonnihil Vladislaüs, An tam numerosas legiones, muscas esse existimas, quæ faciliùs te nunc auctore, in tot millia, quàm milites coire possunt.

Unde illi indita & aucta.

Foverant Vladislao Martialem mentem mox secuta bella Moschovitica, quibus pueritiam egressus unà cum Patre interfuit, prout nobis referendum erit.

Hactenus de educatione Principis. Cujus, quem tulerit fructum Sigismundus Pater, atque ipse, qui rerum potitur Vladislaüs, subsequentia tempora fusiùs enarranda docebunt. Juvit docentium industriam discentis ingenium: facile fuit optimam ac benignam naturam regere, quæ semina virtutum promtè in imum animi fundum exciperet, in tantúmque posthac excrescerent, acsi

acsi repetito Persarum more erudiendum suscepissent quatuor lectissimi Pædagogi, Sapientissimus. Justissimus. Temperantissimus, Fortissimus.

Plato in Alcibiade lib. 1.

Enimuero Principum magnitudo rectæ educationis fundamento insistit, quo feliciter jacto augustum surgit immortalis gloriæ fastigium. Hæc Regibus Sarmatiæ maximè cordi, quin & Regni Ordinibus, quorum decreto in Conventu Vartensi, institutio liberorum Vladislaï Jagellonis, Cotho Dembinio, Custodi Ecclesiæ Gnesnensis, & Petro Ritarscio Equiti, demandata; ille, ut pietatis literarúmque, hic, ut militarium exercitationum magister esset. Casimirus ejusdem Jagellonis filius, numerosæ proli ex Elisabetha Austriaca erudiendæ, præfecit Philippum Callimachum, & Joannem Longinum, Canonicum Cracoviensem, néve continuo aulæ fulgore, strepitúque à pietate, boníque avocarentur literis, Sadeciam antiquam, locum bene compositum amandavit. (Simili postmodum exemplo Philippus Hispaniæ Rex, Carolum filium cum Joanne

Educatio filiorum maximè à Regibus Poloniæ spectata.

à Jagellone primùm.

Cromerus lib. 20

Ab ejus filio Casimiro.

Alberti secundi Imperat filia.

Joanne Auſtriaco, Alexandro Farneſio, Complutum literarum cauſâ miſerat) ubi quieto ſepoſiti loco, procul ab illecebris, luxúque minùs exquiſitis nutriti cibis, craſſiori panno & caprinis pellibus induti (qua de re Sigiſmundus Rex gloriari ſolitus erat) in viros, æſtûs, inediæ, frigoris, & laboris patientiſſimos evaſere. At! qui, quantæque potentiæ Reges, quàm veneranda Chriſtianitati nomina.

Strada lib. 9. Dec. 1.

Cromerus in Oratione funebri Sigiſmundi. Vladiſlaüs Hung. Bohem. Joannes Albertus, Alexander Sigiſmundus Poloniæ Reges S. Caſimirus, & Fridericus Cardinalis.

Sigiſmundus Primus Auguſto filio, Vladiſlaï noſtri avo, Petrum Opalinum, virum graviſſimum adjunxit, Mater verò Bona Sfortia, eruditos Italos arceſſivit, à quibus linguam Italicam, & Latinam didicit. Magnus procul dubio Princeps evaſiſſet, ni tenerrimus matris affectus, nimiâ indulgentiâ imbecillem emolliviſſet ætatem. Jam verò in Vladiſlaï educatione, ut omnia ſumma evenerê, ita quidpiam à Sigiſmundo Rege, è ſecundo matrimonio ſuſceptæ proles, deſideravere, non tam regio, quàm Urſulæ Meyerin vitio, quæ gratiâ Principis florentiſſimâ, auguſtæ Domûs regimen totum

à Sigiſmundo Primo.

totum ad ſe traxerat, ſervandæ potiùs gazæ regiæ, quàm inſtituendis Regum liberis aptior. Sed quidquid muliebris peccavit cura, correxit egregiorum Principum generoſa indoles, quæ, ut ſuam altiùs introſpexit originem, eò annixa eſt, quò altus Regum ducebat ſanguis.

Decennium Vladiſlaüs feliciter exegerat, cùm Sigiſmundus ſeptennio cœlebs, ad ſecunda matrimonii vota animum appulit. Delecta prioris Conjugis germana ſoror Conſtantia, hucuſque exſpectata, quoad adoleſceret. Atque hinc patuere Mariæ Archiducis cum Sigiſmundo olim inita conſilia, à tenaciſſimo ſecretorum Rege preſſa, quanquam ab Germanis illuſtris notæ viris divulgata, vix tamen Polonis credita.

Sigiſmundus Rex alteram ducit uxorem Conſtantiam.

Nuptiæ Cracoviæ actæ ſunt eâ magnificentiâ, quæ tantum Regem, quæ Cæſarum neptem ac Sororem condecebat, confluente præcipuo quoque Senatorum ac illuſtrium juvenum cùm copioſo nobilitatis numero, magnâ ubíque lætitiæ ſignificatione, vario ludorum genere, & equeſtrium decurſionum

1605. IV Decemb. *Nuptiarum ſolennia.*

num ſpectaculis,perſonabant omnia. Arcûs triumphales, equitum turmas triginta, à diverſis Proceribus exquiſitiſſimo ornatu ductas, numeroſa peditum agmina inſtructa, feſtis ignibus collucentem Urbem, cæteráque ejus generis ſunt qui tradidêre. In hac ſolenni pompâ maximè enituit Vladiſlaüs Princeps Patri ſponſo adequitans, puer tunc primò in publico viſus, non abſque populorum plauſu,ingentis ſpeï Principem voto proſequentium. De quo illuſtris Scriptor, temporum illorum oculatus teſtis, enumeratis Mariâ Archiduce Matre, Maximiliano Archiduce Sponſæ fratre, Chriſtianâ ſorore, Annâ infante Sueciæ, cæteríſque Principum legatis, qui lætitiæ cauſâ interfuêre, ita inquit. *Jam Vladiſlaüs Princeps Regis filius puer adhuc, ſed eâ indole, quæ ſupra ætatem & communem naturæ curſum longè emineret, ita vultus ipſâ majeſtate, & decorâ facie compoſitus, ut divinum quid in eo elucere videretur.*

Iis adeſt Vladiſlaüs Princeps.

Lubienius Montuum Civilium *lib.* I.

Forma illius.

Formam Principis nemo tunc repertus qui non extolleret, picturarum hucuſque claro exſtante teſtimonio,quæ effigiem pueri

ri

ri haud blandiente penicillo, ad vivum expreſſam, etiam nunc repræſentant. Facies illi non modò pulcra, ſed venuſta, coloris candidi, virtutíſque purpureo colore intermixti, quæ verecundiæ certiſſima nota; flaveſcens capillus, oculi cæſii, vivaces, aſpectu decoro & ad omnem urbanitatem temperato, naſus longior, ſtatura necdum pueritiam egreſſa,membris tamen omnibus aptè concinnéque inter ſe connexis, ſermonis mira gratia. Et augebat formam dignitas mixta venuſtati; præcipuè verò mores omnium illi à principio intendebant amorem, ſingulos blandè appellare, comem ſe præbere, cum illuſtrioribus humanitate certare, id puero acquiſivit retinuítq; gratiam. At maximè in ea ætate propenſum ac ſingulare erga gentem Polonam ſtudium, à prudentioribus notabatur. Auxit fidem incerto auctore volitans rumor, ſparſúſque, binos à Patre Vladiſlao oblatos veſtitûs, datâ optione utrum induere vellet, & unum quidem Germanis ſeu exteris, alterum Polonis uſitatum; huic virga, quæ deterreret,

Et propenſum erga Polonos ſtudium.

ap-

apposita, illi variæ illecebræ, quibus ætas puerilis capi solet, ut invitarentur. Puer nec invitantium blanditiis, nec cupediis motus, Polonicam arripuit togam, hanc sibi magis convenire inquiens, cùm & Poloni Regis filius esset, & ejus nationis Princeps, quæ talem defert vestitum. Hæc verò ne, an falsò dicta fictáque, pro comperto non habeo: affirmare ausim, à populo captatore rumorum passim hæc divulgata & credita, ultróque excepta. Hinc in Vladislaüm prona studia, in Sigismundum invidia, tanquam plùs exteris, quàm subditæ faventem genti, dimanavit. Firmaverat deinceps opinionem vulgi juvenis Princeps, sumto vestitu Polonico, qui illi permultis annis continuus, nec, priusquam ad exteros abiret, depositus, alieno deinceps habitu usus, quoad vixit, corpori graviori & pinguedine prætumido commodiorem ratus.

Quod auxit vestitu gentis sumto retentóque.

A. D. 1624.

Et quidem prudentissimè.

Et quidem prudentissimè a Principe factum existimo, à puero populorum captante studia, dum patrio gentis ornatu decorus conspici vult: neque enim id perleve conciliandi

ciliandi amoris momentum. Si veterum meminisse libet, Alexandrum patrio vestitu moribúsque insignem, suorum Macedonum extulit robur, mox Persarum habitu degenerem contemsit. Vononem, Parthorum Regem, Româ accitum, Romanis infectum moribus, dedignantes accepêre Barbari, mox dejecêre. Recentiora refero: Carolus Quintus Imperator quibus præfuit populis, licèt cultu, linguâ, moribus discrepantibus, carus gratúsque, quoad vixit, fuit. *Nam mores exteros* (inquit Strada,) *ita induebat, ut non minùs cum Germanis Germanum ageret, Italúmque cum Italis, aut cum Hispanis Hispanum, quàm Belgis suis se Belgam præstaret. Philippus è contrario & esse & videri omnibus Hispanus, parcè loqui nec nisi Hispanicè, publico libenter abstinere, & quasi ex abdito venerationem intendere. de vestitu, déque cætero cultu, quem attulerat ab Hispania, nihil immutare. Id verò commotis semel animis, superbia & contemtus habebatur, perinde quasi eâ diversitate morum ipsi fastidirentur.* Atque hæc, si in Regibus, quos hæreditaria successio sceptris admovit, ingrata, tantò ingratiora libe-

Justinus lib. XII.

Tacitus lib. II. Annal.

De bello Belgico lib. 2. decad. I.

Qua in re peccavit Philippus secundus Rex Hispaniæ.

ræ genti, quæ lectos ex alieno orbe Principes in patrium cultum, moréſque immigrare vult, eóque benevoli animi profiteri teſtimonio, ſe amori Civium, non ſucceſſioni debere regna.

Et Sigiſmundus Rex Poloniæ.

Quod de Philippo Strada, id de Sigiſmundo Vladiſlaï Patre meritò dixerim: ut ille novi Principatûs initio Belgis, ita hic Polonis offenſam dedit. Namque in omnibus videri Germanus, & eſſe voluit. Germanicè libentiùs loqui, ejúſque linguæ gnaros, morúmque tenaces complecti, ex abdito venerationem intendere, tardè & paucissimis verbis reſponſa dare, externis plùs fidere conſiliis, ſeverâ majeſtate gravem quàm comitate facilitatéque blandum præ ſe ferre vultum, déque cultu, quem ſemel attulerat, nihil immutare, inſolitum liberæ genti videbatur. Quæ omnia, tantum apud populum benevolentiæ favoriſque Sigiſmundo ademerant, ut quidquid is ageret, ſive poſthac cultu Polono in Moſchovia, & inde redux aliquantiſper compareret, ſive beneficentiam liberalitatémque intenderet, ſive

ſive remitteret, captis ſemel ſuſpicione animis omnia ſecus interpretantibus, jacturam deperditæ ſemel reputationis reparare, quoad vixit, haud potuerit. Adeò novum Imperium inchoantibus utilis civilitatis fama, animis tunc attentis erectíſque, & primos mores obſervantibus, odium mox aut amorem conciliaturos. Atque illud, ſi ſuſpicaci tenaciùs inſederit vulgo, meliori deinceps famâ vix corrigi poterit.

Digreſſio ad cauſas belli Civilis.

Res poſcere videtur, ut (quia in mentionem nuptiarum Sigiſmundi incidimus, quæ motuum Civilium dedêre principia,) altiùs paulò deducamus offenſionis cauſas. Et lectori quidem non ingratum futurum exiſtimo, ſi pauliſper ſepoſitâ Vladiſlaï pueritiâ, cujus extrema in turbas incidêre, lætioribus pòſt ſecuturis, triſtiorum nunc temporum commemoratione interceſſero. Quanquam divina ſublimíſque Vladiſlaï indoles, turbatarum rerum ſtatum perſpiciebat, erudiebatúrque, licèt infauſto Patris exemplo; proinde, cùm conjunctam Patris cum filio ſortem video, vix me interruptu-

rupturum filum narrationis meæ ſpero.

Sigiſmundi iteratæ nuptiæ offendunt Proceres.

Iteratum cum Auſtriaca Sigiſmundi connubium offenderat nonnullorum Procerum animos, quibus altiora rimari, penitiora inveſtigare, indéque futura deducere conſuetudo; populis verò minùs ad hæc attendentibus, conjugium Principis inceſtum viſum, ſorore germanâ prioris uxoris thoro inductâ, iiſque, ut priſcæ religionis moríſque tenacibus, difficulter perſuaderi poterat, quid in ea re ſacrorum Rex poſſet. Hanc vulgi mentem fovebant turbarum avidi; Primores verò altiora ſuſpectabant, videlicet Auſtriacæ potentiæ metum obtendentes, ac ſi per geminata conjugia, Rege potiſſimùm favente, paulatim induceretur. Unde verò hic metus, paulò altiùs referendum arbitror.

Quod cum ſorore germana defunctæ Reginæ.

Et ob Auſtriacæ potentiæ metum.

Hujus origo.

Auſtriacorum familia, quamdiu intra ſuæ gentis hæreditarios ſteterat dominatûs, ſolo Imperii nomine Auguſta, venerationem ſui incuſſerat, minimè aliàs formidanda, cùm Provinciarum magna nomina, tenues verò numeraret cenſûs. At, poſteáquam per connubium, Belgium primò, deinde Hiſpania, illiúſque appendix novus Orbis acceſſit, Italiæ magna pars ſubacta, jam ad Europæ Imperium non obſcurè aſpiranti, poſuere obicem ii, quorum intererat priſcâ frui libertate, avitíſque potiri Regnis. Ceſſerant Caroli Quinti Imperatoris hæredi ampliſſimarum opulentiſſimarúmque terrarum ſpacia, & recens acquiſita dominia. Ferdinandus Caroli frater, vetus inſedit Auſtriacorum patrimonium, anguſtiori circumſcriptum margine, retentâ Cæſareæ dignitatis Majeſtate. Et quia tenuis in Germania potentiæ terrarúmque limes, Hiſpanis auxiliis opibúſque dominandi cupido hunc promovere ſuaſit. Regulorum Germaniæ ditiones, ut concordiâ fortiſſimæ, ita difficiles viſæ, quæ dominiis adjicerentur: Hungariam & Bohemiam vicina Regna aggredi placuit, quæ, ut ejuſdem cum Sarmatis originis, ita & priſcæ in eligendis Regibus libertatis. Delata primùm liberis vocibus ſceptra, accepere lubentes Auſtriaci, mox quæſitis coloribus, in hæreditatem traxere, imaginariæ Electionis

ctionis titulo populis ostentato relictóque.

Jagellones tres in Hungaria & Bohemia imperant.

Opposita postmodum regnandi libidini florens poténsque Jagellonum familia, quæ succedentium Austriacorum interrupit ordinem, ternis illic imperantibus: hinc odia, bella, dissidia internecina exarsere; sopita tandem celebri Regum Viennæ cum Maximiliano Imperatore conuentu, novísque fœderibus ac conjugiis in amicitiam Principum coaluere. Cæterùm dum eligendorum Regum libertatem pertinaciùs urget Hungaria, nobilissimam Regni partem Turcico subjecit jugo: reliquum Austriacæ cessit ambitioni; Bohemia, quia rebellis, infida, Regibúsque infesta, hæresi novam suadente perduellionem, privilegiis exuta, in hæreditarii juris tabulas transcripta est.

Vladislaüs Hung. Rex qui ad Varnam cecidit: Vladislaüs Hung. & Bohemiæ Rex Casimiri filius:

Ludovicus qui ad Mohacium periit.

Extinctis Jagellonibus inter candidatos Regni Poloniæ comparet Maximilianus secundus Imperat.

Extinctâ in Polonia Jagelloniâ stirpe ducentorum annorum regnatrice, quæ in Sigismundo Augusto defecit, circumtulit per universam Europam Polona libertas oculos, quem novo regimini admoveret. Comparuit inter Candidatos Maximilianus Secundus Imperator, sive id pro se, sive pro filio

filio ambiret, cui vetus Austriacæ potentiæ æmula Gallia, Henricum, Ducem Andium opposuit. Is concordibus votis lectus, aditum præclusit Austriacis, mox iterũ aperuit præcoci in Galliam reditu. Sollicitata, obtentáque nonnullorum iterum pro Maximiliano suffragia, à quo tentata & Urbium fides, expedita arma, ostentatáque. Vicit Stephani Regis, domi militiæque clarissimi, celeritas, qui adventu suo factionem Austriacam oppressit, rebelles domuit, Maximiliani asseclas officii admonitos in ordinem redegit, Imperiúmque suum frendentibus Austriacis stabilivit. Verùm ii tertiò, post Stephani Regis decessum, majoribus incubuêre viribus, auctis nonnullorum factiosorum hominum, &(quod mirere,) in religione dissidentium accessione: quibus obstitit benigna fati clementia, & provida mens Joannis Zamoscii, Regni Cancellarii & exercituum Præfecti; cujus operâ & Maximilianus Archidux fusus, fugatúsque, deinde captus, affectati pertinaciter Regni pœnas dedit. Sigismundus è Suecia arcessitus, quia materni

Opponitur illi Henricus Dux Andium.

Henricus III. Galliæ Rex.

Iterum Maximilianus ambit. prævenit celeritate Stephanus Transylvanus.

Tandem & Maximilianus Archidux.

Sed a Zamoscio fusus fugatúsq́, pòst captus.

Ad Bicinam in finibus Silesiæ.

Sigismundus è Suecia arcessitur, fitque Rex. terni Sanguinis Jagellonius, & linguæ nostratis peritus, pronis populorum studiis prælatus Maximiliano, ut & extero, & suspectæ apud omnes potentiæ, quasi vicinorum Regnorum libertati inhiantis. Ita tunc omniũ uno ore Zamoscii virtus prædicabatur, rejecti Austriaci, asserti pro Sigismundo Imperii, stabiliendæ possessionis veteris libertatis; tum, ne illud beatissimum, Sentire, ut velis, Civibus eriperetur, penès illum manente gloriâ. *Austriacis frendentibus.* Commota ad turpem Maximiliani repulsam detentíque Principis ignominiam Austriaca domus; movere lacertos incipiebat, & partim Germanica respectabat auxilia, partim cognatæ Hispaniæ ultrices vires. *Qui conquiescunt postea.* Sed arbitro Pontifice Maximo, Sixto V. per legatum Aldobrandinum, qui pòst Papæ Clementis VIII cognomẽ sumsit. Maximiliano libertati restituto, juratísque vicissim fœderibus, conquievit. Non absque doloris sensu, qui altâ mente repositus mansit; præsertim, cùm Ordinum consentientium lex, eïdem ad Regnum adipiscendum, inposterum viam præclusisset.

Austriacis irritatis nõ putabat Zamoscius Sigismundum fisurum. Irritatæ Austriæ difficulter conciliari posse Sigismundum, conceperat Zamoscius: quippe tantæ contumeliæ impatienti, nec Regem facilè fisurum iis, quos & spe Regni, & penè è solio regio dejecerat. At opinio Zamoscii mox elusa, petitâ ab Austriacis *At ille inde primam conjugem petit & accipit.* conjuge Annâ, Archiducis Caroli filiâ, acsi tam illustri affinitate novum stabiliretur Imperium, publicæque securitati ingens pararetur præsidium, fremente Cancellario, dejectos è Regni spe Austriacos iterum per connubium adduci. *Timeo* inquit, *Danaos & dona ferentes.* *Fremit Zamoscius, impedire cogitat, sed præventus desistit.* Mox novo exemplo Conventum Andreviæ indixit, armis etiam omnem aditum sponsæ in Poloniam præclusurus. Sed celeritate Regis præventus, nuptias apparantis & contrahentis, summo splendore tantis Majestatibus digno.

Inde Regi parùm æquior. Hinc primus Zamoscii in Regem impetus, & quem paulò antè extulerat jam populorum odiis objecturus depressurúsque, spargit rumorem, conjunctioni regiæ cum Austriacis occultioris vinculi pignus latuisse, quod mercede libertatis Polonæ soceris constaret. Deinde palàm professus est, innotuisse sibi perniciosa Regis clam deferendi,

Et spargit rumorem de tradendo Regno Austriacis, probaréque vult. rendi, & ad Austriacos deferendi Regni consilia, eáque se in Comitiis palàm evidentissimis documentis probaturum offerebat. Prolatæ in medio omnium Ordinum consessu Archiducis Ernesti literæ, quibus nonnullorum animos prensabat, præparabátque, *Quibus argumentis.* quod procul dubio facturus non fuisset, ni occulta spes, à Rege injecta, intercessisset, quæ talia suasisset, secretis fulta machinationibus. Anno 1598. Auxerat conjecturam Revaliæ in Estonia Sigismundi & Joannis Sueciæ Regis congressus & colloquium, acsi officii causâ filii cum patre institutum, quasi sub hoc pietatis velo, & illud, de tradendo Austriacis Regno, consilium lateret, Joanne Sueciæ Rege approbante, & ægre filium, ut Polonis imperaret, à complexu avulsum dimittente. Piasecius in Annal. Evulgata etiam cedendi Regni pacta, è quorum præscripto Livonia Sueciæ adjici deberet, & Anna, Infans ejus Regni, Ernesto Archiduci conjux destinaretur, cæteráque tunc passim edita, quæ mihi nec abnuere nec affirmare promtum. Vidimus Alberti Baranovii ProCancellarii Regni manu, itineris

neris Revaliensis scriptum Commentarium, nihil tamen de tradendo regno Austriacis ibidem annotatum comperio, cùm satìs omnia exactè, & ex fide annotasset. Nec illud leve suspicionum argumentum erat, Sigismundum tam arcto connubii nexu devinctum Austriacis, obtinere haud potuisse, quominus Rudolphus & reliqui Austriæ reguli conditionibus olim juramento firmatis, satisfacerent. Lubienius in profectione Sigismundi in Sueciam. Arrectis ad hæc omnium animis, & quod à viro patriæ libertatis amante, eóque grato objicerentur Regi probarentúrque, facilè credita. Secuti animorum motûs, murmura, vocésque auditæ palàm ad arma conclamantium, & quidquid impetus concitati suasit populi. *Hinc motus & murmur populorum, sed à Rege sedatur.* Sed is, blandâ oratione Regis alloquentis Ordines, quâ fatebatur, se fuisse appellatum ab Austriacis de Regno illis tradendo, pollicebatúrque se deinceps insciâ Repub. nunquam de successore tractaturum, sopitus conquievit.

Iterum erumpit ob repetitas cum Austriaca nuptias. Remansit nihilominus odiorum (quæ difficulter à populo deponi possunt) fomes, mox

mox accendendus, ac in Civilem belli flammam erupturus, cui excitandæ occaſionem dederunt repetitæ Regis cum Auſtriaca nuptiæ. Et Proceres quidem more inſtitutóque Majorum conſulti, ſuasêre, ut uno tantùm ſuperſtite Vladiſlao filio tunc decenni, pluribus munimentis domum regiam firmaret; nec ab Auſtriacâ alieno erant animo, ſi Anna Ferdinandi Tirolenſis Archiducis filia, in remotiori affinitatis gradu, tori ſocia peteretur, non verò Conſtantia, germana primæ conjugis ſoror, quæ non abſque ſummo vel Regis ipſius diſcrimine, vel Regni exitio arceſſeretur, immoto ad hæc Rege, qui datæ fidei ante ſeptennium Mariæ Archiduciſſæ tenax, à propoſito ſe dimoveri paſſus non eſt. Et illa jam colloquii citrò ultróque habiti, Auſtriacos commonefecerat, & Pontificem Maximum induxerat, ut ducendæ Conſtantiæ, literis propriâ manu exaratis Sigiſmundo auctor eſſet. (Clementem.)

Tumultuari itaque iterum cœpere Ordines, & turbulentior quiſque in perſonam regiam convicia ſpargere; inceſtas appellare nuptias, nec in Pontificem à maledictis abſtinere, palámque teſtari, non in ejus poteſtate fuiſſe, in tam arcto affinitatis gradu divini interdicti mandatum ſoluere. (*Non abſque conviciis & maledictis in Regem.*)

Zamoſcius Regis improbatis nuptiis, ubi ſe nihil profeciſſe videt, Clementem Octavum acrioribus compellat literis, petítque ne matrimonium, & Regi & Regno diſcrimen grande allaturum, auctoritate ſuâ ratum haberet; deinde Nobilitatem commovet ferociùs, nimirum: Connubio hoc ab Auſtriacis quæri modo, quibus Regnum Poloniæ in titulos hæreditarios tranſmittant: deinde ſpargit rumorem, ſeu verum ſeu fictum, apud homines turbarum cupidos, juxtà validum, Joannem Tarnovium Archi-Epiſcopum Gneſnenſem conſpiraſſe cum Rege, & Regnum invitis etiam Ordinibus in Vladiſlaüm Principem proximis Comitiis transferre velle. Ad extremum palàm teſtabatur, ſalutem publicam Regiâ ſibi potiorem fore. (*Zamoſcius Pontificem compellat; diſuadetque.*) (*Nobilitatem commovet.*)

Appetebat Comitiorum tempus, ad quæ ex- (1605 initio Janua.)

expediti pro more ex Nobilitate Nuncii, iis instructi mandatis, ne Rex novis nuptiis (si altera prioris conjugis soror ducenda esset,) se Remque publicam, in discrimen adduceret; legémque urgerent, quæ in posterum ab Austriacis affinitatibus securitati publicæ caveret, denique postularent, ut conditionibus, quibus illi Regnum delatum esset, satisfaceret.

Qualibus Nuncios mandatis ad Comitia instruit.

Postulata Nunciorum è mente consilióque Zamoscii profecta fuisse, ipso etiam fatente innotuit: & quia à Rege surdis excepta auribus, eadem verò urgente acriùs Equestri ordine Comitia irrita fuêre, quæ genuinam perturbati statûs expressêre imaginem. Certabatur non sententiis sed conviciis, motuum Civilium prænunciis, jámque inter discordes arma expediebantur, ni Zamoscius popularium studiorum prudens moderator, pacatioribus mediis continuisset. Et multitudo quidem tunc irritata bellum intestinum spirabat, & Zamoscius à Comitiis domum redux, quarto Mense in vivis esse desiit, opportunâ Regi morte extinctus,

Quæ irrita fuêre non tamen absque ingenti motu, quem Zamoscius sedat.

interea & ipse moritur.

in Majo 1605.

tinctus, quo sublato nihil morabatur, quin ociùs ad optata matrimonii transiret vota.

Verùm hilaritatem nuptialium dierum funestior belli civilis excepit catastrophe, & aula lætas plaudentium voces, subitâ conversione in publicum luctum mutavit. Commota in Regem Nobilitas, nuptiis adversa; Ducem inuenit Nicolaüm Zebrzydovium, Palatinum Cracoviensem, Regi infensum, & popularis auræ non impigrum captatorem. Accessit viro auctoritas, quasi è mente Zamoscii agere videretur, in cujus manus omnis illa potentia defuncti, tutoris nomine, venerat.

Sequitur Bellum Civile.

Atque has motuum Civilium causas tradidêre magni nominis scriptores. Ego verò, sicut occasionem principiúmque belli fuisse non abnuerim, ita eas non fuisse compertum habeo. Altiùs multo hærebat causa, Zamoscii (ignoscite magni Manes) in aula dominandi cupido, indignatione stimulata, excitata erga Regem omnium Ordinum offensione, hæc profecto fuit. Ac in ipsis penè Regni primordiis, non ad palatum

Ejus causa Zamoscius.

Quomodo. Zamoſcii Sigiſmundus acceſſerat, reperióque inſediſſe illius menti Andreæ Bachorei, *Lubienius.* Regis Stephani ex fratre nepotis ſuique affinis, egregiam indolem, dignam Imperio. Sed potentia æmulo impar, & recens familiæ Bachoreæ invidia, alio animum Zamoſcii flectere coëgerat, eóque inclinare, quò & favor populi. Et primum Zamoſcii cum Rege congreſſum haud reſpondiſſe ipſius opinioni, nonnullis obſervatum; cùm prolixiùs ſalutationis officium deferenti, Rex parciùs quàm ſibi deberi putabat, reſpondiſſet ad Martinum Leſniovolſcium Caſtellanum Podlachiæ verſus, *Et quod tandem*, inquit, *Dæmonium mutum nobis è Suecia adduxiſtis?*

Nec è congreſſu Revalienſi libenter reducem Sigiſmundum vidit, unde cùm Pater, Sueciæ Rex, ægerrimè ut Polonis imperaret, eum dimitteret, jámque filium cujus tenerrimo flagrabat amore, in Sueciam ſecum abducere pararet; conniventibus aliis Proceribus, Albertus Baranovius Regni ProCancellarius vel maximè obſtiterat; cujus *Piaſecius.* operæ præſtitæ, nullam à Zamoſcio gratiam retu-

retulit, quin imò acrioribus exceptus verbis, quòd abire volentem ſollicitè detinuiſſet, de novo Rege Polonis facilè ſe proſpecturum fuiſſe, inquiens.

Simultatis, offenſarúmque cauſa Zamoſcio inerat, Regis non tam propenſa, quàm expectabat benevolentia. Quippe ob ſtrenuam fidelémque in armis collocatam, inque Regno aſſerendo operam, à ſuo Regem juvenem volebat pendêre arbitrio, Magiſtratus dignitates ex ſuggerentis voto deferri, ex ſui ipſius præſcripto regimen adminiſtrare, & ut erat excelſiore animo, ingentes ſpes concipiebat. Rex è contrario, qui nullius gratiam ſuper auctoritatem ſuam eſſe voluit, gravem ſibi, multâque rerum geſtarum fiduciâ elatum, imperanti magis quàm ſervienti ſimilem, & veluti additum ſeverum Pædagogum, faſtidire incipiebat: mox ambienti, & totius penè Imperii curam ad ſe trahere cupienti, æmulos oppoſuit (frangendæ ſenis omnia ſibi deferri exiſtimantis potentiæ) inviſos, eóque graviores. *Simultatis cauſa inerat à Rege. Zamoſcio, ut ſibi videbatur, minùs propenſo.* *Tarnovium Karnkovium. Myſzkovium.*

Pupugit Zamoſcium ſpreta ipſius à Rege au-

auctoritas, & duriùs ſe accipi querebatur, confeſtim concitandi in Regem populi occaſionem dedêre nuptiæ cum Anna Auſtriaca, Vladiſlaï Matre, ob tam illuſtrem cum præpotenti Domo affinitatem, ſuſpectæ. Hinc de tradendo Regno Auſtriacis Rex levibus incuſatus argumentis, cui juveni extorta tunc quidem (minùs cauto quorundam conſilio) confeſſio, quàm ſenior irritam eſſe voluit, cùm ſanctè affirmaſſet falsò hæc de ſe tradita, & ultimis tabulis (quæ morientium excludunt mendacia) negavit tale quidpiam à ſe unquam tentatum. Indicti privatâ Zamoſcii auctoritate, exemplo hactenus inaudito, Conventûs, diffidentia erga Regem populis inculcata: poſtea accedente ſecundo conjugio, Principis odia aucta, turbata Comitia, ſeceſſiones inſtructæ, ſolum ſibi vindicant Zamoſcium auctorem.

Inde occaſione nuptiarum inſurgit.

Lubienius.

An verò ſuperſtes motûs ſtitiſſet, id cujuſque judicii relinquo. Quanquam exiſtimo flammam hanc erupturam non fuiſſe in tantum incendium, quam prudentia Zamoſcii, optimè de patria meriti Civis, in ipſa ſcin-

Pacatioribus fortaſſe mediis, non tam cruento bello, ſi ſuperſtes fuiſſet, turbas compoſiturus.

tilla

tilla extinxiſſet, niſi cui perſuaſum ſit, Naturâ infirmitatis humanæ tardiora eſſe remedia, quàm mala; & ut concitatæ quadrigæ laxatas ſemel habenas, tardiùs inhibent: ita populi commoti impetum, faciliùs ultrà protruſeris, quàm revocaveris. Illud ego tamen pro certo tradiderim, Zamoſcium Virum ſummæ dexteritatis, libertatiſque etſi acerrimum propugnatorem, nunquam tamen paſſurum fuiſſe, & cives mutuò digladiantes infami fœdari arenâ, & Regiam majeſtatem, cujus ille obſervantiſſimus erat, non tantùm ſeditioſis armis, ſed nec procacibus quidem impeti, temerariſque verbis. Inveniſſet procul dubio à ſua prudentia meliora tutioráque conſilia, ad reducendum in ordinem Regem, nec in tam præcipiti lubricóque paſſu ſtetiſſet ejus ductu Reſpub., quam pacatioribus mediis tueri ſervaréque ſolitus erat. Conſilia à morte ipſius malè intellecta ferocioribus ingeniis materiam præbuêre tumultûs.

Et quantò moderatior erat Zamoſcius, tantò fervidior Nicolaüs Zebrzydovius, Pa-

Zebrzydovius à morte Zamoſcii fer-

latinus

vidus bellum Civile promovet. latinus Cracovienſis, quem potiſſimum belli Civilis auctorem fuiſſe, omnes penè auctores unanimi conſenſu tradidere. Is gratiâ regiâ pollens, ſupremos in Repub. honores, magnáſque opes acquiſiverat, unde non minorem paraverat auctoritatem; animo tumidus, & æmulorum auctam liberalitate Principis potentiam dedignatus, triſti arrogantiâ tædium ſui moverat. Rebus novandis ſtudioſum, nec præſenti contentum ſtatu, ferocioráque Zamoſcio ingeſſiſſe conſilia, annotavere alii. *quid illum ſtimulaverit.* Stimulabat quippe virum innata parandæ potentiæ cupiditas, & illorum, à quibus ſe læſum exiſtimabat, creſcens indies fortuna ad vindictam propellebat, ſpe conceptâ, ſe vel Rege amoto, aut in ordinem redacto, extinctóque partium regiarum Senatu, ſolum Rempub. arbitratu ſuo adminiſtraturum. Odii in Regem, exaſperatíque animi occaſionem, præbuit domus in arce Cracovienſi Palatio vicina, quâ excedere coactus eſt. Eam Sigiſmundus ejus nominis Primus Rex, excipiendis externorum Principum Le-

Legatis commodam exſtruxerat, cujus uſum Zamoſcius, annuente Stephano Rege, quoad viveret, obtinuerat. Is verò ſiquidem rarus Cracoviæ, Zebrzydovio, quoties illuc divertere vellet, libertatem hoſpitandi conceſſerat, indulſerátque. Sublato è vivis Zamoſcio, Rex domum repetit: cunctatur Palatinus: Rege pertinaciùs urgente indignabundus ceſſit, non abſque minis conteſtatus, Se quidem nunc domo, ſed brevi Regem Regno exceſſurum. Atque ex occaſione nuptiarum Sigiſmundi & Conſtantiæ, bellum Civile animo agitare cœpit, ſeditioſis conatibus boni publici prætenſo velo. Auctæ mox partes acceſſione civium, qui turbato rerum ſtatu, compendium ſe aliquod facturos exiſtimabant, & quod ab iis plerumque fieri amat, inter turbas & ſeditiones libertatem dogmatis aſſerturi. *Accedunt partibus hæretici.* Quanquam non ſum neſcius, jactatas tunc cauſas complures, verſibúſque à vulgo comprehenſas, videlicet velum Macieiovio Cardinali, intra quod Legati à latere perſonam referens, conſederat, Rege jubente detractum

 amo-

amotúmque, indéque parùm æquiorem Regi Cardinalem, seditiosorum partes juvisse, suâque conniventiâ Palatini Cracoviensis fovisse consilia, eodem penè tempore ob ademtam domum excandescentis, occasionémque vindictæ arripientis. Et Radivilium, Magni Ducatûs Lithvaniæ Regi à poculis, privatum in Regem odium exasperaverat, denegata primùm à morte Parentis Solecensis, deinde Duclensis Præfectura, delata Chodkievicio à Rege, cujus ille possessionem jam extra juris debitam formam adierat. Boni itaque publici prætextu factioni accessit, adductis in partes dissidentibus in religione civibus nihilo pacatioribus. In Sigismundi itaque repetitas cum Austriaca nuptias, inque perniciem Regni collata consilia, & his consimilia, referre causas & originem, fidem Historici desiderarem: Principia, occasionémque fuisse judicium in æquilibrio positum, dicet facilé. Cæterùm ambitio nonnullorúmque æmulatio fuit vera genuináque turbandæ Reipublicæ causa.

Duce Radivilio.

Quis verò progressus belli Civilis fuerit, quantis motibus agitata concussáque Polonia, luculentissima Scriptorum & nostratium, & exterorum exstant monumenta. Nec mihi scribendi incumbit necessitas, feliciorem Vladislao suppeditante materiam, cui post victos domitósque rebelles, cùm Sigismundus non posset Regnum, solam hæreditario jure, certissimum Regnorum columen, reliquit Clementiam.

Lubienius latinè, Alessandro Cilli Italicé.

HISTORIÆ VLADISLAI POLONIÆ ac SUECIÆ PRINCIPIS,

LIBER SECUNDUS.

REductâ pace, ſuæque tranquillitati reſtitutâ Poloniâ, ne civium inter ſe concurrentium gladiatoria arena Principis adoleſcentis oculos infauſto fœdaret ſpectaculo, oſtendêre fata hoſtilem Moſchoviæ campum, belláque Septentrionis, quibus innutriri poſſet animus, excelſæ magnæque gloriæ appetens. Et cœli quidem favente ſuffragio, novum deſtinabatur Vladiſlao Imperium, dignúmque judicavêre Superi, cui poſitâ prætextâ, purpura ſtatim & diadema offerretur. Obtulêre

Moſchi Imperium Vladiſlao deferunt.

itaque Moſchi ſupplices ſceptra, atque juvenilem fortunam Principis venerati ſunt, veluti unicam Imperii ſui fluctuantis ac penè fatiſcentis Cynoſuram, maxima cum Vladiſlaï gloria, ut dum alii Majeſtatem quærunt & Regna, illum ultro in ætate tenera Regnum quæſiverit & Majeſtas. Utinam vetus aulæ malum, æmulationis comes invidia, abſuiſſet; profectò tot invitantium vota nunquam ad perjurium recidiſſent. Sed metus ille fatalis, optimorum corruptor conſiliorum, ſpecioſiora quàm tutiora Principibus ingerit, cùm Regum familiares occupat, anxios, ne arbitria negotiorum, atque adeò potentia ad æmulos transferatur.

Altiùs rem ordiri neceſſe habeo, ut Moſchoviæ in præcipitium ruentis ſtatum nonnullis Scriptoribus memoratum, non in comparationem curæ ingeniíve referam; ſed ut latè ſparſa negotii hujus magnitudo in unam coëat ſummam, unde conſtare poſſit, Vladiſlaum Principem, virilem animum ante annos gerentem, delectum; cujus virtuti ac felicitati Moſchovia turbata

Origo ejus negotii altius repetitur.

Imperii regimen tutò committeret.

Joannis Basilii Moschoviæ Ducis filii.

Joannes Basilii, Magnus Dux Moschoviæ, pestis & exitium generis humani, duos reliquit filios hæredes, Theodorum & Demetrium, quorum ille ætatis prærogativâ, à morte Patris sceptris admotus, non ingratus populis, quia ingenium mite, mollioris spem injecerat servitutis. Sed languidior lentiórque vix par erat Imperio, claustro regendo, quàm dominio aptior: quippe religioni ad superstitionem addictissimum mitis natura, (quam servilia Moschorum dedignantur ingenia) inhabilem penitus effecerat. Accepêre nihilominus lubentes populi; nam & initia Principatûs benignitatis spectaculo recreavit, & pulsam à crudelissimo Patre exulem hilaritatem revocavit; quæ sub Tyranno tristis, gaudiorúmque mendaciis tecta, ad ferocientis mandatum sumebatur, ut non corpora tantùm, sed animus ipse catenatâ premeretur servitute.

Theodorus à morte patris Imperium capessit.

Imperio vix par.

Cui insidiatur Borissius Itodunus.

Sed Borissius Itodunus facilè reputans non ignaviâ magna Imperia retineri, in summáque fortuna æquius, quod validius, Theo-

Theodori languore præbente occasionem, ambitiones ad spes novas concipit, amotáque paulatim Principis ignavâ manu à gubernaculis, vicariam substituit, ac Supremum Magistratum, stabuli videlicet Præfecturam, & cum ea vigilum & prætorianarum cohortium, multáque præmia virtutum consecutus, omnia in aula suo arbitrio administrat, Imperii curas disponit, ita ut cuncta soli obedirent, nihil ampliùs retinente Theodoro, præter Principis cognomen. Accendebat Arinna Itoduni soror Theodoro nupta, seu cui ipse potiùs nupserat. Ea, viro subacto, fratrem in Imperii consortium trahit, jubétque imminere rebus, suáque & mariti fata scrutari, non impigro adhæc Borissio, populis ostentante palàm habitu, ore, imagine honestatis, naturam throno haud indignam; cæterùm perfidiam, animum subdolum ad omnes attentum suspiciones, avaritiam ac libidinem occultante. De summa tandem potentia cogitare cœpit, quam & sterilis Theodori thalamus, & imbecillis valetudo certò pollicebatur.

In aula Theodori præpotens.

Accendente sorore Theodoro nupta.

Unicus

Obſtat alter hæres Imperii Demetrius, tollitur à ſicariis.

Unicus ad capeſſendam Principatûs fortunam obſtabat hæres Demetrius,quo ſublato, non dubia erat ſucceſſio. Is tunc Uglecii degebat, ubi poſteriùs geniti Moſchoviæ Ducum filii excipi feruntur, educatorum curæ traditus, cùm repentè immiſſis ſicariis opprimitur, ficto Principis mandato, juſſáque ejus ſimulante, quibus mortem pueri præſcripſiſſet.

Theodoro extincto, ſublato Demetrio, arripit Imperium Itodunus.

Sublato Demetrio, tum & ipſo, qui rerum potiebatur, extincto Theodoro, Boriſſius faſces Imperii Moſchovitici inuaſit; & tunc quidem è veteri Moſchoviæ Ducum ſanguine comparebat nemo, qui obſcuri generis hominem ad Principatûs faſtigium graſſantem ſtitiſſet, populis conniventibus. Tale namque ingenium olim induerat, quod illis regendis dignum videretur.

Arrepto Imperio,diſſimulatam hactenus vitioſiſſimæ naturæ larvam detegit, jam palàm arrogans, faſtuoſus, crudelis, quæ ſervientibus gravia, Imperanti odioſa; exiſtimabat optimè fundatam ſceptri potentiam, ſed in oppreſſæ gentis animis malè inhæſerat,

rat, & felicitate nimiâ ebrius, dum nullum timet ultorem, prodit è buſtis Demetrius, cujus olim, ut regnaret, cruore tinxit purpuram. Impoſtor tamen hic erat, & alter ab eo, quem Joannes Baſilii genuerat; audaciùs mentiri genus ſuaſit forma & oris lineamenta, quibus haud diſſimilis in Demetrium erat. Cæterùm è monaſtico profugus clauſtro in Ruſſiam ſe contulerat, pérque cœnobia ampliſſimarum Regni ditionum Volhiniæ Kioviæque vagus, ignotus primùm latuit; donec imponeret larvam, ſub qua Ducis fabulam confidentiùs ageret.

Innoteſcit Viſnieviecìis, per hos Georgio Mniſzek Palatino Sendomirienſi.

Et hanc quidem apud Adamum Ducem Viſnieviecium exorſus, ab hoc ad fratrem Conſtantinum remiſſus; deinde illo promovente in ſoceri Georgii Mniſzek, Palatini Sendomirienſis gratiam amicitiámque provectus, vultu accommodato ibi, genus fugæ, evitatæque cædis modum diſertiùs aperuit. Facies liberalis, audax, promtáque eloquentia movit ſtudia & fidem. Jámque velut avitæ ſtirpis inter anguſtias fortunæ retinens, promiſſis filium

Magni Ducis agebat, designabat in domo Palatini Sendomiriensis sceptri thorísque sociam, Regno amicitiam pollicebatur; iis verò opes, quorum fidelem operam in adeundo Regno cogniturus esset. Speciosa promissa, videlicet ostentata vetus Moschoviæ Ducum gaza, bellorum præstitíque auxilii non vile præmium, deinde optandum in regnatrice domo Magni Ducis connubium; commovêre animum Palatini scriptæ tumultuariæ cohortes, privato Palatini ære: contrahitur clientum amicorúmque operâ militaris manus vix uni probè munito oppido, ne dicam Imperio subjugando, par. Infert raptim coactum agmen in Moschoviam Demetrius, significat Proceribus servatum munere Deûm verum Imperii hæredem, jam jámque adfore, & per scelus à Tyranno usurpati, Regni ultorem, & priscæ avitæque assertorem libertatis. Tum per idoneos sibíque fidos crebrescit, superstitem esse Demetrium, occultis primùm sermonibus, mox vago rumore apud imperitissimi cujusque promtas aures, aut rursum

Is patrocinium exulis suscipit, & exercitum scribit.

Intrat armatus in Moschoviam.

sum apud turbidos, sævâque Itoduni tyrannide fessos, eóque nova cupientes. Vulgabatur interim per Moschoviam credebatúrq;, finitimas arces passim metu, passim sponte, adventantis novi Ducis accepisse imperium: jámque Moschorum multitudo confluebat Orienti soli debitam præstitura venerationem, jam in ipsa regni sede clandestini cœtûs Demetrium celebrabant: cùm Itodunum anceps cura distraheret, an suo ductu falsum coërceret hæredem, an suis auspiciis rem gerendam committeret: modò nihil spernendum, modò, ne si Imperii sedem desereret, ubi omnia intutâ fluxâque laborabant fide, ambiguus pudoris ac metûs reputabat. Placuit tandem insidere Urbem, quam præsens Majestas suo coërceret terrore. Interea ire jubet Joannem Juanovicium Godonovum, fratrem germanum, sexaginta, vel (ut alii recensent) octuaginta millium copiis armatum, additis ad consilium & regimen Basilio Mscislavio, & Joanne ac Demetrio Suysciis: is fit hosti obviam exile trahenti agmen. Invenio apud celebrem scriptorem,

Itodunus turbatur, urbem nihilominus insidet.

Fratrem cum exercitu obviam mittit.

rem, à Demetrii partibus ſeptingentos equites totidémque pedites ſtetiſſe, pugnæ idoneos: etſi Petricius, Moſchoviticæ Hiſtoriæ auctor, haſtatos mille, velites quadringentos, pedites trecentos recenſeat, tumultuariam veriùs manum, ad hæc incertam ſtipendii; ideóque minùs obſequentem Duci, abſque ulla militari caſtrorumque diſciplina, nervum belli nullum, apparatum nullum, ipſos agminum Ductores reï militaris rudes ac imperitos.

Demetrius pugnæ aleam non detrectat, & vincit. Nihil his movetur Demetrius, & fatis impellentibus, temerarius magis quàm audax, non tantùm intrepidus pugnam excipit, ſed infert, mox ingenti editâ ſtrage, hoſtem ſubmovet. Is intra munimenta receptus recollectúſque ex fuga, eò ſecuriùs reparabat vires, quò manifeſtiùs ſpem ultrà audendi paucitati Demetrianorum præciſam videbat.

Poſt varia certamina Itodunus moritur. Jactâ non infeliciter belli aleâ, adoravêre populi propitia Demetrii fata; pertinacem, ſi uſpiam comparebat, turbam, ſubmovente feroci lictore, cujus vices pavor & conſternatio

natio egerat. Denique circumferebat ſecum Themiſtoclis Deos, Vim & Suaſionem. Atque poſt varia cum Moſchis certamina, Itoduni mors litem diremit, Demetrio ad Imperium faciliori patefacto aditu. Námque anxium ſollicitúmque, déque mutuo cum Suecorum Legatis à Carolo miſſis, fœdere ineundo agitantem, ſubitò triſtitiæ magnitudo oppreſſit; mortémque acceleravit ſeu potiùs venenum, clam à Demetrio per ſecreti conſcios datum propinatúmque. *Plutarchus in Themiſtocle.*

A morte Boriſſii in Urbe ad uxorem filiúmque ipſius conceſſum eſt; at caſtra, quæ ad Cromum oppidum conſtiterant, ad Demetrium inclinavêre. Quinque cohortes Prætoriæ, tranſitione factâ, exemplum aliis præbuêre; deinde evocatis in Urbem Mſciſlavio Suyſciiſque, Petrus Boſmanus, Vir militiæ ſtrenuus clarúſque, primus ſe tranſdit ad Demetrium, quem ſecutus Baſilius Galicinus eódem mox vertit: tum & milites juravêre in nomen Demetrii, præeuntibus Præfectis ſacramentum. Godunovum *Demetrio miles & Proceres ſacramentum dicunt.*

 verò

verò detrectantem, perque aversam castrorum partem furtim digressum, retraxêre vinxeréque, offerendum Demetrio. Ad quem tandem, missâ legatione, redditísque quæ solita Principibus, Cæsarem ex more gentis consalutatum, ad castra duxêre, renovatóque Sacramento moto ad urbem agmine processêre.

Suyscii cunctantur soli, quibus catenæ injecta.

Et ibi quidem ingressus Suysciorum aliquantum secum virium ad novos motus attulerat, cùm auditâ exercitûs defectione deditionéque, dilapsis præcipuis, plebs ad obsequium, quod abnuerat, versa; cæde amicorum propinquorúmque Borissii omnia permiscet, Suysciis catenas injicit: Uxorem cum filio fractis cervicibus ad inferos protrudit, ferale posteris relicturam exemplum, flagitio parta Imperia haud perennare, nec diuturnam cœlo exprobrare posse patientiam, sceleratos sceptri invasores. Suyscii, ad Demetrium adducti, demissi fuerunt; sive inde clementiæ famam captaret, sive Polorum gratiæ daret, quos pro se deprecatores habuerant. Cæterùm Joannes Godunovus

novus interfectus, ac si ejus morte novarum discordiarum semina aboliturus compressurúsque. Isque fuit tandem omnibus dubitandi finis, exindéque cuncta ad Demetrium conversa.

Occupato Imperio Demetrius, insolenter se gerit.

Occupat itaque solium Demetrius tantæ fortunæ vix par, qui in ipso Imperii limine, crudísque adhuc Moschorum animis, crudiorem mox revocavit tyrannidem; timerique non amari volebat, cùm ferociùs in partes inquireret, secures pro largitionibus expediret, edicta non ad clementiam populis recenti dominatione acquisitis, temperaret; sed verbera, cædes minitaretur: Proceres alios exutos trabeïs, infami addiceret carceri, alios ad carnificem amandaret. Nihil reliquum Moschis supererat, quàm intolerandam aliquando excutere servitutem, & se de Impostore ulcisci, qui cruento priùs ferro quàm regali auro manum induerat. Jámque secretò instruebatur seditio, & perfidia ad opportunum acuebatur scelus, cùm Demetrius fatali securitate consopitus, lætiora apparat, & malè coalescentibus Regni exor-

exordiis, thalami ſociam quærit; cùm amore priùs, potiſſimo regnantium vinculo, civium corda ſtabilienda forent.

Legatos in Poloniam mittit ad petendam Sponſam.

Mittit itaque Legatos in Poloniam ad petendam deducendámque Sponſam, quæ in domo Palatini Sendomirienſis lecta, ut (cujus opibus, auxiliis id obtinuerat, ut regnaret) felicitatis ejuſdem filiam, ſociam dominationis haberet, vel hoc ipſo erga Patrem grati animi exſtante teſtimonio. Mox à Sigiſmundo Rege facile annuente, Cardinalis Macieiovius, Marinam Palatini Sendomirienſis filiam, Moſchorum Principi deſpondit; Legato illius nomine, ſponſionem ratam fore, promittente. Frequens aderat Procerum Polonorum concurſus: unde maximus ſponſaliorum ſplendor, ſed à præſentia Regis ſingularis; qui & convivio interfuit unà cum Principe Vladiſlao filio; & Anna Infante Sueciæ ſorore germana, ac Sponſam manu ſuâ deductam, Legato recipiendam tradidit. Additi inſuper Nicolaüs Oleſnicius, Caſtellanus Malogoſtenſis, vir antiquiſſimæ Nobilitatis, qui & Pa-

Obtinet Marinam Palatini Sendomirienſis filiam.

Cracoviæ.

Quam Rex Legato tradit.

Athanaſio Vlaſieio.

Palatinus Lublinenſis fuit, & Alexander Gaſievius Præfectus Velifienſis, veteranus militiæ Dux, poſtmodum Smolenſcenſis Palatinus, ut nuptiali feſto adeſſent, in Moſchoviam officii cauſâ Legati. Auxit deinde ſponſæ majeſtatem inſignis deducentium comitatus, à Palatino Patre lectus inſtructúſque, & honoris & præſidii cauſâ: Publica tunc ferebat fama grandem pecuniæ ſummam à Demetrio, videlicet quingenta millia florenorum Palatino miſſam, utpote qui imperii ſui vix ſecurus, parúmque lubricæ Moſchorum genti jámque exacerbatæ fidens, exteriorum auxiliis tutiorem ſe fore cenſebat.

Deducitur in Moſchoviam ſplendido cum apparatu.

Interea quò magis famâ præceptus jam adventus Sponſæ erat, accenſáque urbs exſpectatione & deſiderio videndi è longinquo venientem Pricipis conjugem, rerúmque ſuarum & Imperii futuram dominam; eò exquiſitiori apparatu, ambitu, immenſis venerantium, gratulantium, deducentiúmque agminibus excepta eſt. Decimo deinde octavo Maji die, Proceribus Moſchorum

Ibidem insignia Imperii accipit.

& omni multitudine circumfusâ, insignia regia, & sacramentum à Primoribus accepit, nuptiæque celebratæ summo cum luxu prodigentiâque.

Moschis interea seditionem prementibus.

At inviti tunc dissimulantésque, Demetrii insolenti exacerbati fastu, profitebantur hilaritatem Moschi: mox arreptâ occasione in ipso nuptialium dierum apparatu, strepentísque hymenæi fervore, serenam faciem in proditoriam, quam hucúsque celaverant, commutant; quippe quòd sperarent occupatis in effusâ lætitiâ, vinóque intemperantiùs hausto hospitibus, promtiores ad patrandum aditûs. Atque illi ipsi hospites Poloni, hæreditarii Moschorum hostes, magis popularium in Demetrium exacuerunt odia, quos & tanto numero in ipsa Imperii sede obversari fremebant, eóque à novo Principe excipi favore, qui hactenus exteris ibidem insolitus fuerat, utpote apud gentem servituti natam, suáque tantummodo æstimantem, cæterorum contemtricem. Quin & illum splendorem comitatûsque externi frequentiam, domestico ære arcessitam esse crede-

Cujus causa, Polonorum numerus, favor apud Demetrium, insolentia, sed maximè fastus & crudelitas Imperantis.

credebant, quod Demetrius longo superiorum Principum corraso ærario, sacrosanctóque hucusque, avidas injecisset manus, veterésque illæ opes è gazâ depromtæ divisæque inter Polonos, tanquam præda noscerentur, quibus ex largitionibus, facilitatéque Demetrii nulla satietas, modus aut verecundia erat, velut omne Imperium munerí donóque cessisset. Ad hæc quasi jam debellatum esset, non aliter quàm in media pace, & non in alieno solo, libidinem, insolentiam, cupidinem, avaritiam intendebant; cum Moschis in jurgia, contentiones, rixas sæpius erumpentes, vulgo in Demetrium vertente questûs, tanquam juberet, quidquid auctoritate suâ non vetaret. Tantóque ea promtiùs suggerebat exaggerabátque, crudelitate & arrogantiâ Demetrii, commoto populo, fax & incentor Basilius Suyscius, cui non ita pridem sub carnificis securi procumbenti, vitam à Demetrio Poloni impetraverant.

Incentor verò Suyscius.

Paucis itaque ab adventu Marinæ in Moschoviam diebus, ad signum æris campani sum-

Erumpit tandem atrox tumultus. ſummo diluculo datum (quod apud Moſchos magni tumultûs indicium eſt) clamor ingens ab omnibus partibus tollitur, arma adversùs impoſtorem, Polonóſque invocantium: tum præcipui cum armatis cohortibus regiam invadunt, inferuntur in thalamum parricidales faces: Demetrius propinquante tumultu, vociferationéque exterritus, latebras quærens, cùm nullum videt effugium è feneſtrâ ſe præcipitem ejicit. *Demetrius occiditur, inque Cadaver ſævitur.* Inſtat furens miles, & tanto penè caſu exanimem configit, vulgo ſaxis, fuſtibus, gladiis, quæque ſors attulerat graviùs ſæviente; dein contumelioſè raptatum alligato pedibus Boſmani cadavere, tanquam fidiſſimi ſatellitis, & proditoris Patriæ, in forum trahit, quò conſpectior populis mors foret: denique, poſt edita per biduum omnis exquiſitæ crudelitatis exempla, igni crematur. Liber hoſpitum populus à conjuratâ plebe invaditur, fit utrinque atrox cædes: multi inter hoſpitalis menſæ ſacra interfecti, multi bonis exuti, in ergaſtula compacti: Legatorum jus detentione violatum. *In Polonos poſtmodum verſa rabies.* Conſtantinus

tinus Dux Viſnieviecius, vir bellicâ gloriâ illuſtris, cùm ſibi vim inferri cerneret, animosè prorumpit, Moſchos rejicit ac profligat, irruentémque turbam non ſine cæde ſuſtinet ad Suyſcii adventum, fatalem ſedantis quoquo modo rabiem. Palatinus domo munitâ, optiméque ad defenſionem comparatâ, impetum non minori felicitate moratur; ſed creſcente, gliſcentéque indies barbarie undique circumſeptus, ſpéque ſalutis, (niſi quam hoſtis daret) præciſâ, acceptis datíſque obſidibus cum hoſte componit, Uxorem Demetrii mundo muliebri penitùs exutam, unà cum Gynecæo recipit, infauſti hymenæi, & veluti in ſcena ad aliquot horas geſti Principatûs perennaturum exemplum. *Marina ſpoliata omni mundo muliebri, Patri redditur.*

Madentem recenti ſanguine thronum occupat hujus tragœdiæ ſubdolus artifex Baſilius Suyſcius, & ut erat favore popularium potens, ingenio audax & efferus, de trunco ferali ad purpuram ſurrexit: ſed quantum, proh Superi! civilis fuſum cruoris. Oppoſuit namque in ipſis initiis Suyſcio, falſum *Imperium occupat Baſilius Suyſcius.*

 ab

ab antiquis Ducibus ſtemma, velut certiſſimam Regni prærogativam Petrus quiſpiam; at ille quid, niſi fortunæ ludibrium: per horrendam trecentorum millium ab utrinque ſtragem, cùm diadema exſpectat ambítque, laqueum à carnificis manu accepit.

Compáret iterum alter Demetrius.

Sed iterum è recenti calentíque adhuc rogo, emicuit redivivus Demetrius; quaſi adinſtar Phœnicum fatalis cinis, Demetrios immortales ſuæ reſtitueret Moſchoviæ. Crebreſcit itaque ſubitò evitaſſe Suyſcianas manûs per ſubterraneos meatus Demetrium: Ignoto vultu quippe, nec dum Moſchis perſpecto multos fefellit; pleroſque impotens Suyſcii dominatus ac tyrannis, (licèt non ignaros) eò traxêre, ut credere mallent. Acceſſêre partibus irritati nuperâ perfidiâ, cladéque popularium ſuorum Poloni, illorúmque cædes ulturi; & ſelectæ legiones, motu civili compoſito, bellum adhuc ſpirantes, è Polonia Demetrio in ſubſidium advolavêre. Jam & peracto bello Livonico adfuit præſto exercitus, cui Joannes Sapieha præerat. Vir majorum meritis, & cla-

Cui ſe adjungunt Poloni, & Joannes Sapieha Præfectus Uſviatenſis.

clarus militari laude Tribunus, ſæpiúſque à nobis non ſine elogio memorandus. Is etſi à Leone Sapieha Magni Ducatûs Lithvaniæ Cancellario fraternè moneretur, ne ſe illis immiſceret bellis; interceſſiſſéntque inter utrumque eo in negotio acriores concertationes, mihi ſatìs ab inſpectis utriuſque literis notæ perſpectæque, perſtitit ille nihilominus, virum illuc Martiali ducente genio.

Marina tanquam ad ſuum Conjugem redit.

Jam verò quò majoribus adminiculis firmaretur recenter emergentis Ducis auctoritas, verúmque non fictum conſtaret eſſe Principem, intercepta prioris Demetrii uxor, coacta maritum, quem amiſerat, vivum agnoſcere, & non cum ſuo conjuge ſuum iterum auſpicari Imperium: Palatino Patre diſſimulante, accedentéque unà cum filia impoſturæ non ignaro. Legati Regii à Suyſcio dimiſſi, ex itinere retracti, & novo impoſtori tanquam legitimo, adeſſe juſſi. Denique ut fidem adſtruerent, ad illum Uxor, Legati, Pater, Poloni, Comites, aula, & ea, quæ occidiſſe putabatur, iterum redierat Majeſtas. Tam validis cinctus præſidiis

diis novus hic Demetrius, fortior ſæpe imminebat Suyſcio, ſui regiminis anxio, quamdiu præpotens æmulus, & armis & civium quorundam non ambiguo favore polleret.

Turbatæ res Moſchoviæ Sigiſmundum Regem ad bellum inferendum invitant. Lex lata 1609.

Jam bellorum civilium diſſipatâ tempeſtate, amœnior facies Orbi Polono illuxerat, & lege ſancitâ Amneſtia, animos malè cohærentes iterum coaleſcere fecerat, cùm ad invadendam Moſchoviam ſuâ mole ruentem, tótque fatiſcentem ſeditionibus, unita virtus & concordes legiones, velut civilis belli ſcelus expiaturæ, Sigiſmundum invitabant. Res ardua viſa, & quæ magnis egeret conſiliis: Eapropter ad Senatum referre placuit, ut quid quiſque eo in negotio cenſeret, ſuam promeret ſententiam. Plerique reï magnitudine ſuſpenſi, proſperum haud pollicebantur exitum; nonnulli religione moti, de juſtitia inferendi belli addubitabant, aſſerentes, fœderum ac induciarum pacta cum Moſchis inita à noſtris penè violata eſſe, cùm, privato auſu nonnullorum, ficto Demetrio arma ſuppeditata, & Moſchoviæ invadendæ à noſtris cœptum initium fuiſſet, Ito-

Deliberatio ſuper hoc negotio. Diſuadent nonnulli.

duno induciarum unicè ſecuro. Meminerant Leonem Sapieham, magni Ducatûs Lithvaniæ Cancellarium, Legatum in Moſchoviam profectum, qui fœdus morte Theodori exſpirans, viginti annorum ſpatio definiret. Et ejus quidem Viri in Repub. maximi, rerúmque Moſchoviticarum apprime gnari, cum applauſu tunc excepta fuerat legatio: utpote, qui juvenis ſub Rege Stephano Joannem Baſilium, ſævâ ferocientem tyrannide, ſplendidæ legationis famâ exterruerat. (Quæ ipſius animi fortitudo exterorum etiam Hiſtoriis eſt celebrata) Theodorum in ſpem pacis repoſuerat, ad extremum Itodunum inſolentem, pace ſequeſtrâ, à bello removerat. Addebant: Miſiſſe Itodunum ſuos ad Regem Legatos, qui eundem, unáque Proceres icti fœderis admonerent, ficti Demetrii genus ac originem edocerent: obtinuiſſe Legatos à Rege reſponſum, Se fœderis memorem, opem imploranti auxilium ferre noluiſſe: cæterùm in ea Polonæ Nobilitatis libertate prohibere non potuiſſe, quin aliqui privatim Deme-

Michaël ab Iſſelt in Anno 1584.

 trio

trio ſtuderent, ſi tamen & ii modum excederent, aut aliquid contra pacta admitterent, daturos ex formulâ pactorum pœnas. Specioſa verba accepêre Legati, at quo effectu? Si enim privatos tantùm, ac turbam quietis impatientem, Demetrius ad ſigna evocaſſet, nullum nobis crimen imputari poterat: Sed magnus Regni, ac inter primos Senator, generis ſplendore, affinitatibus clarus, clientelis potens, falſi Demetrii patrocinium ſuſcepit, militem ſcripſit, fines Regni tranſgreſſus, conflixit, non auſurus tantum facinus, niſi Rege connivente, à quo in ipſis præſtiti patrocinii initiis publico edicto revocandus fuerat, cùm nec publici boni intereſſet, Moſchoviam hæredi dubio reddere. Neque verò fœdus illud à Leone Sapieha cum Itoduno pactum extingui poterat, quippe annorum ſpatio non vitæ ipſius termino circumſcriptum. Nec inſuper Legatorum Regis detentionem juſti belli titulum facere, namque ad Demetrium nec dum regiminis ſecurum miſſi: Et perſpexiſſe priùs ſtatum Moſchoviæ

viæ oportuerat, an ſuo fida Duci, num certum hæredem agnoſceret, neque laterent inſidiæ, mox recenti fortunâ ebrium oppreſſuræ. Et hos quidem rebus bene pacatis firmatóque Imperio mitti, tutiùs videbatur; cùm experientia docuerit, juramenta à peſſima natione concludi perfidiâ, & in contrarios eventus deſinere. Deinde in turbido illo ſtatu, ubi Polonorum vires ſuſpectæ erant, inſolentia, (quæ minùs hoſpites deceret) intoleranda denique populi commoti furentíſque rabies falſi hæredis accenſâ indignatione, quomodo Legatis regiis peperciſſet, cùm primariâ hujus tragœdiæ perſonâ ſublatâ cæteros quoque ſcenæ actores pari ruinâ involvi neceſſe exiſtimaverit. Jam verò, qui de invadenda Moſchovia cogitet, contendebant eï magnópere conſiderandum, an virium abunde ſit: hîc certè perpaucæ legiones, quarum aliquæ fidæ Regi, nonnullæ nutantes adhuc, & Principis obſequio nec dum aſſuetæ, Imperium vaſtum magno exercitu tentandum eſſe, non exiguo caſtrorum vallo Majeſtas in-

cludenda, quæ Moſchoviæ latè terrorem inferre deberet. Neque uno tantùm exercitu opus ad fatigandos barbaros: quippe unus Suyſcio, alter toties redivivo opponendus eſſet Demetrio. Ad extremum, ubi pecunia, ubi apparatus; priùs impenſæ ad calculum reducendæ, antequam de bello cogitare incipias. An verò eæ ab Ordinibus efflagitandæ, incertum, quorum animi bellis Civilibus exulcerati, & vix recenti obductâ cicatrice ſaniores, ne iterum ſubitâ exactione exaſperentur, verendum eſſe.

Et ita quidem maturiores, ſummæque prudentiæ Viri ſuadebant, tutiora quàm ſpecioſiora conſiliis prætexentes, ac inter eos præcipuè Staniſlaüs Zolkevius Palatinus Kiovienſis, Magiſter equitum Generalis, cujus ſententiam Rex per Henricum Firleium, Regni Referendarium exquiſiverat; dehortabatúrque Regem à propoſito adductis fortiſſimis ad convincendum rationibus: ad extremum miſſo Staniſlao Tarnovio, âulæ ſuæ Præfecto, ſi quâ ratione declinare poſſet eam expeditionem, ſummopere annitebatur.

E contrario alii juſtam belli cauſam aſſerebant, ruptíque fœderis occaſionem Moſchos dediſſe cenſebant. Id illi ſibi imputent, quod tanto ſtudio applauſúque verum ac legitimum Demetrium agnoverint, cujus nunc ficti ſimulatíque Principis memoriam deteſtantur. Illorum favore Imperii conſcendit Solium, advenienti ultro patuit, inter feſtos apparatus plaudentiúmque populorum voces Metropolis, nec antè titulum à Rege Magni Moſchoviæ Ducis obtinuit, quàm delata Imperii inſignia eum induiſſe conſtitiſſet. Jam verò adeptus Principatum de novis fœderibus cum Rege egit, miſſis ſuo Procerúmque nomine Legatis, petitâ ſponſâ Palatini Sendomirienſis filiâ in matrimonium, ac obtentâ, iviſſe complures illuſtres viros, ipſius deducendæ gratiâ, in Moſchoviam: cur primo ingreſſu non prohibiti? cur ubique humaniter excepti? an ut tantò fidentiùs inter ſacra menſæ, nec quicquam hoſpitales Deos invocantes, pecudum ad- *Suadent alii.*

adinſtar mactarentur, & repentè gaudiorum extrema funeſtarent. Cur Legati regii detenti, arctioríque traditi cuſtodiæ? Si falſus non placebat Demetrius, cur ante nuptias Polonorúmq; adventum non detecta feralis & inviſa impoſtoris larva? ergóne vindictam hucuſque differri oportuit, ut inſimul hoſpites ad meditatam ſervarentur ultionem? Miſſi novi à Rege iterum Legati, qui jus gentium violatum quererentur, réſque repeterent, nullo cum honore, prout tanti Regis decebat, Oratores excepti & ultra annum ſub cuſtodiâ habiti, malè itaque Moſchos de nobis conqueri, quos auctores rupti fœderis, luce ipſâ clariùs, conſtaret. Deinde fatalem hanc Moſchoviæ converſionem, invitare ad recuperandum vetus Polonorum Magníque Ducatûs Lithvaniæ patrimonium Severienſem Ducatum, ejuſque Arcem primariam Smolenſcum, à centum penè abhinc annis à Glinſcio proditam. Ac ut in turbida aqua facilior piſcium captura provenit: Ita in diſcerpto factionibus ſeditionibúſque agitato Im-

Staniſlaüs Vitovius Tribunus Parcovienſis, & Joannes Drucius Sokolienſis.

A.D. 1514.

Imperio, munitionum ac provinciarum obtinendarum opportuniorem occaſionem fore. Inde ſibi Rex immortale gloriæ pararet decus, unde amiſſi Smolenſci, nec recuperati, avo ipſius inſederat macula. Quodſi verò recenti bello Civili famæ regnantis aliquid eſſet detractum, repararet felicibus armis, ſimúlque liberaret Poloniam ab inſolentibus turmarum reliquiis impune vagantibus, cum hoſte quàm cum agricolis glorioſiùs ac decentiùs pugnaturis.

Sigiſmundo Primo Regi Poloniæ.

Si quoque hæ belli inferendi rationes non procederent, diſpiceret Rex, cui diſcrimini non Polonia tantùm, ſed penè univerſus Orbis Chriſtianus expoſitus pateret. Quippe Moſchos continuâ tyrannide, cædibus atque diſcordiis ambientium feſſos, deſperatione ita ſuadente, ultro Turcicum ac Tartaricum iterum ſubituros jugum. At quanta barbaris potentiæ appendix accederet, quámque metuenda immaniſſimis Chriſtianitatis hoſtibus, ſi tam latè patentes terræ à Sarmatico limite ad Perſarum Regna

gna ſe ſe extendentes, Turcarum aut Tatarorum ſervirent ſceptris. Quod ſi adhæc transferri ſuffragia non placuerit, fortaſſe viciniorem quempiam, infeſtúmque nomini Polono advocabunt Principem. Jámque non obſcurè Caroli Sudermani amicitiam ambiunt, qui nuper erepto Sueciæ Regno, indéque pulſo nepote, in Moſchovia potiùs faceſſet negotium, ut ab hæreditariis avocatum Regnis, in alieno ſolo, alienis opibus diſtineat. Iret tantummodo bonis avibus Rex, ſecuturos Principem egregia meditantem Regni Proceres, lectámque nobiliſſimorum juvenum manum, ſplendidum gloriæ præclariſſimorúmque facinorum, habituram theatrum: non commeatus, non ſtipendia defutura pronis in Regem Ordinibus, nec difficulter, ubi in publico Comitiorum conſeſſu requiſiti fuerint, conceſſuris. At denique fauſtis precationibus pugnanti victorias, redeunti plauſum ac triumphum ominabantur.

Quibus Rex aſſentitur. Vicit hæc ſententia Rege facilè approbante, lætóque, utpote Civilium motuum pertæſo, ac velut à domeſticâ aurâ contagionis lue afflatâ, recentiorem ſaniorémque alibi quæſituro. Et Zolkievio reſponderat Rex, non eſſe ſibi commodum à deſtinatâ reſilire expeditione, cujus jam vicinos Principes admonuiſſet, famæque ſuæ ac exiſtimationis intereſſe, propoſitum ſuum apud exteros evulgatum exſequi. Compellati quoque de bello Moſchis inferendo Ordines; aſſenſère tunc quidem, ſed poſtmodum graviter ingemuêre, oppreſſâ propè à ſeditioſo milite Repub. truci minacíque vultu efflagitante ſtipendia, cùm præter direptam veterem opulentiſſimámque Moſchoviæ Ducum gazam, multis centenis aureorum millibus æſtimatam, vix avaritiæ ac libidini ferocientis militis complures ſuffecêre milliones, quos ad illorum crudeles exactiones adjecit gemens Polonia.

Sed de ruptis induciarum Pactis apud diverſos Principes conquerentibus Moſchis, ut à nobis belli juſtè illati conſtaret Orbi Chriſtiano ratio, miſſæ, paucis interjectis annis ab ingreſſu Sigiſmundi in Moſcho-

1615. viam, causæ ad Imperatorem Romanorum Matthiam, evulgatæque typo, quæ stylo Stanislaï Lubienscii, Viri in Ecclesia & Repub. maximi, conceptæ, in ipsius posthumis operibus leguntur.

Et in Moschoviam armatus tendit. Annus tunc agebatur nonus supra millesimum sexcentesimum, cùm mense Augusto Rex, lustrato apud Orsam exercitu, *Orsa Urbs Russiæ albæ ad Boristhenem.* adversa Boristhenis legens, in Moschoviam processit; bellúmque Suyscio, literis rationes, quas supra attigimus, justi illati belli continentibus, denunciavit, misso qui eas Datis 8 Sept. 1609. ferret Stephano Strumilovio. Erant qui *Consilium optimum promovendi belli.* suaderent nec immeritò, ut in penitiora Imperii pergeret: duos namque in mutuum exitium sine modo ruentes, facilè opprimeret, Philippi Regis Macedonum exemplo Justinus lib. 8. monente, qui dum contentiones alit, auxilium inferioribus ferendo, victos pariter ac victores subire regiam servitutem coëgit. Apud Demetrium plures è Polonis versari, in ipsorúmque virtute potissimum robur, si Suyscium conjunctis viribus invaderent, non laturum impetum, móxque spe

spe Imperii dejiciendum. Nec Demetrio hinc magnam accessuram fortunam: Nam populares mox in partes regias transituros, deserturósque fictum Principem, cujus ut causam tuerentur, non tam æqua Demetrii causa, quàm Polonorum atrox cædes stimulaverat, scenæque tantisper servire jusserat. Et quod inviti Demetrio ibant assertum diadema, tantò alacriùs Regis sui capiti impositurum. Atque hoc consilium si tunc valuisset, profectò major rerum gestarum Sigismundum exspectabat gloria, cujus propositi pœnitentia animum postmodum serò subiit.

Verùm Rex, ne videretur pruritu ac libidine dominandi arma sumsisse, (quod sibi objici non ignorabat) ad recuperandam Severiam ejúsque fortissimam arcem Smolenscum, animum adjecit; testatúmque facere voluit, se sua tantùm, non aliena appetere, nec externis avidè inhiare sceptris. *Rex postponit.* Mense igitur Octobri, ut propiùs Smolenscum accessit, arcem è vestigio obsidione cinxit, mœnibus, propugnaculis firmam, *Smolenscum obsidione cingit.*

 com-

commeatu abundantem, præſidiariorum numero validam.

Ampla vaſtáque tunc erat urbs, ut pleræque Ruſſiæ ſunt. Smolenſcum in longum magis quàm latum ad ripam Boriſthenis projecta, extenſáque. Octenis millibus ædium eam conſtitiſſe ferunt, & quia difficulter defendi poterat, incenſa ab incolis, ad arcem, adverſæ impoſitam ripæ, cum fortunis ſuis pignoribúſque confugientibus. Et hæc vix minor urbe mœnibus cincta, triginta octo turribus ſeu propugnaculis munita, tantam multitudinem facilè cepit. Cenſa fuêre in univerſum incluſorum in arce hominum capita, ducenta circiter millia, ac inter eos ad ferenda arma pugnámque idonei, quadragies mille numerati, præter præſidiarios vix pauciores, quos delectûs in Severiæ Ducatu habiti, ſubminiſtraverant. Et hi, quotquot erant in tam vaſto arcis ambitu, accepêre Gubernatorem bellandi peritum Michaëlem Boriſſium Seynium, è Moſchoviâ huc propere ire juſſum, pecuniâ & commeatu optimè inſtructum,

Arcem & à Propugnaculis & à militum oppidanorum numero firmam.

Eam defendit Michaël Boriſſius Seynius.

ctum, ut non ſolùm obſidionem in plures menſes extendere, ſed cum regiis juſtâ etiam pugnâ quandóque confligere poſſet. Atque hic eſt ille Seynius, qui Sigiſmundi & Vladiſlaï Regum triumphos auxit, ab illo captus, ab hoc ſub jugum miſſus, dum contra Patris exercitum Smolenſcum fortiſſimè propugnat, Vladiſlao verò, acri obſidione cinctum, eripere tentat.

Nihil commotus Rex & defendentium numero & tantâ annonæ commeatûſque abundantiâ; partitis inter Tribunos ſtationibus, arcem circumvallare aggreſſus eſt. Cùm enim nullo vallo foſſâque deforis cincta, ad ipſa mœnia craſſitudine & crebris firmiſſima propugnaculis, aditum facilem præberet, tormentis admotis murum concuti expugnaríque poſſe haud difficulter exiſtimabat: deinde illam ipſam annonam, licèt tantâ copiâ invectam, à tam numeroſo populo brevi conſumendam, ſecuturámque fame jubente deditionem rebatur, atque in hoc turbarum Moſchoviticarum æſtu fluctuantes & auxilii inopes obſeſſos

obſeſſos æquis conditionibus tranſacturos, ſperabat. Sed Rex cùm obſidet magis, quàm oppugnat, lentiúſque arma promovet, ſpe ſuâ fruſtratus, viginti circiter menſium ſpatio, antequam expugnaret, ad arcem hæſit.

Obſidionis accelerandæ Regi auctores.

Obſidionis accelerandæ, promovendíque in Moſchoviam exercitûs, duos potiſſimùm memorant auctores, illorum temporum accurati Scriptores: Leonem Sapieham, magni Ducatûs Lithvaniæ Cancellarium, & Alexandrum Goſievium Præfectum Veliſienſem. Et hic quidem, vel ipſo Zolkievio teſte, inſtabat ardentiſſimè, reï bene gerendæ occaſiones, momentáque obtendens, præſertim in tam turbido Moſchoviæ ſtatu, ubi nutarent omnia, in ipſáque Metropoli crebri invaleſcerent tumultûs, internæque ſeditiones gentem inter ſe colliderent affligeréntque. Nuntiabat inſuper, Smolenſcum Arcem milite vacuam, patêre Regi, ſi armatus properaret, & ſi quid antea habuiſſet præſidii, illud à Scopino inde abſtractum eſſe. Nec ceſſabat identidem com-

plura his ſimilia ſuggerere, ad evocandum Regem in hoſticum, Smolenſcíque obſidionem maturandam, cujus recuperandæ facile commonſtrabat compendium.

Zolkievii alia ſententia, & quia neglecta ſeriò Regem pœnituit.

At Zolkievius, vetus militiæ Dux, prævidebat animo & temporis & ſumtuum jacturam, ſi Rex obſideret Smolenſcum, ſuadebátque ulteriorem in Moſchoviam progreſſum armorum, plus commodi lucríque, ſupérque hæc gloriæ allaturum, nullo à tergo imminente à derelicta arce metu, quam claudi poſſe, ſtringíque caſtellis, milite ibidem impoſito, edocebat, parvo cum exercitûs diſpendio, quem adveniens Olowcinko, triginta millibus Coſacorum auxiſſet. Cujus quidem conſilii tunc omnino poſtpoſiti, frequentem poſtmodum apud Regem fuiſſe, non abſque aliquo doloris ſenſu memoriam, ex illorum temporum commentariis accepi, prout ſuo referemus loco.

Cæterùm (hactenus origines turbarum Moſchoviæ, & cruenta partium pro Imperio certamina) Sigiſmundi Regis arma laceſſita,

lacessita, obsidionis Smolensci initia, contractiore exposita sunt stylo, veluti non ingrato præmisso lectori præludio, faciléque ex primis deducturo lineamentis, quâ viâ ad vastum Septemtrionis Imperium propitia Vladislaüm duxêre fata. In hac tamen rerum summâ, plurima à me explicata dictáque esse scio, quæ vel à nonnullis suppressa, vel certè per incuriam omissa sunt. Nunc quò propior ero in referendis Moschorum erga Vladislaüm studiis, majore circuitu res prosequi consilium est, tantóque fidentiùs, quantò à Commentariis eorum, qui hæc ipsa gesserunt, instructior sum, ita ut ex iis rariora quædam neque divulgata hactenus promere possim.

HISTORIÆ VLADISLAI POLONIÆ ac SUECIÆ PRINCIPIS,

LIBER TERTIUS.

NOn cessabat interim duarum factionum atrox dissidium, & discerpta Moschovia nesciebat, aut quem constanter amaret, aut quem odisset. Ac Polonorum quidem præsidiis cinctus Demetrius par erat, sæpéque superior Suyscio: Quippe auxiliares illæ copiæ validum conficiebant exercitum, magnis non imparem ausis. Namque præter eas (quas superiùs commemoravimus, bello civili peracto) propere huc advolantes, tum

Demetrius validum conflat exercitum.

& Joannis Sapiehæ è Livoniâ deductas legiones, Romanus Dux Rozynius Demetrianas partes non contemnendâ militum manu juvit, quamprimùm per Legatum suum Martinum Valovium præmiserat, mox ipse subsequutus; ob spectatam fortitudinem probatámque in rebus bellicis dexteritatem, oblatam sibi à Demetrio ac omnium unanimi consensu militaris imperii summam, accepit: non tamen absque flagitio: Quippe Miechovitium Virum strenuum ac bellicosum, regendo priùs exercitui Præfectum, interfecit; pòst cruore æmuli, cui subesse nollet, madentem dexteram regimini admovit. Accessit legio mille sexcentorum equitum Alexandri Zborovii Tribuni, & generis splendore, & militari scientiâ clarissimi. Adduxêre quoque numerosas cohortes cæteri Chiliarchæ & Centuriones, & ii quidem veterani, multorúmque non magis stipendiorum quàm victoriarum, quorum mihi nomina ad posteritatis memoriam transmittenda brevi subjungo serie; quanquam à sua virtute,

Romano Rozynio totius imperii militaris summam defert.

Alexander Zborovius legionem mille sexcentorum equitum adducit.

tute, rebúsque gestis satis famæ acceperint. Ii verò fuêre: Mlocius, Vilamovius, Bobovius, Tyskievicius, Lanckoronius, Rusiecius, Stabrovius, Zarucius, Madalinscius, Stravinius, Buizynius, Gaiovius, Rudnicius, cæteríque in ipso historiæ contextu à nobis referendi. Auxêre exercitum, levis armaturæ militum Zaporoviensium & Demensium Cosacorum octo circiter millia.

Nomina Tribunorum & Centurionum.

Donenses à Tanaï fluvio, cujus ripas incolunt, dicti.

His igitur copiis, & tam prævalido armorum robore, biennio ferè ante Sigismundi in Moschoviam adventum, bellatum est, vincentibus sæpius Demetrianis: quorum victorias, Urbium, Provinciarum accessiones, & nonnunquam etiam, prout belli sors tulerat (rariores tamen) clades, pugnarúmque vicissitudines referre supersedeo, neque enim id operis mei argumentum est.

Iis copiis Metropolis obsidetur.

Fatigato interim tot ærumnis Suyscio nec Imperii securo, imminebat Demetrius; & castris ad ipsam positis Metropolim, æmulo extorquere dominatum atque Regiâ potiri satagebat, intra cujus angustias, & Majestatem & salutem suam continebat.

Moschovia Urbs.

Castrorum ambitus & situs describitur. Castrorum ambitum à Meridie, Occidente, & Septemtrione, cingebant fluvii duo, undis mutuò confluentibus juncti, Moscuæ videlicet & Tusini; quorum ille Urbi primariæ totíque Imperio, hic campo vicino, quem præterlabitur, nomen dedit. *Moscua.* Ad Orientem porrecta patebat planities, in qua porta satis firma, septo fossâque altiori tegebatur; ipsa verò castra palis validis ac præacutis, fossâ quoque non adeò latâ altâque cingebantur: In illâque planitie, Cosacis, Dunensibus, statio attributa erat. Casimoviensis deinde Regulus cum suis auxiliaribus Tataris, ripam fluminis Moscuæ quâ in longum patebat, insederat. Ad alteram castrorum è regione portam, modico à flumine intervallo, levis armaturæ milites constiterant, quibus ex adversâ ripâ tergum claudebant Moschi, Demetrianas quidem secuti partes, sed quia sæpius tumultuantes, ideo castris exclusi, locóque separato consistere jussi. Atque hæc castrorum structura ædibus non temporaneïs constans, sed in longiorem usum eúmque percommodum excitatis, foro, rerum venalium amplo, insignis, Civitatis potiùs optimè ordinatæ, non militaris domicilii nomen, jure merebatur.

Joannes Sapieha Cœnobium Trinitatis oppugnat. Jam verò Joannes Sapieha Præfectus Usviatensis, unà cum legionibus quibus præerat, separatis castris, ad Cœnobium Trinitatis consederat, illud obsessum tenebat, ut inde præsidium Suyscianum vicinum pelleret, & frænum Urbi ferocienti injiceret.

Atque eâ tempestate, quâ Rex Moschoviæ fines ingressus, ad Smolenscum constiterat, & validâ obsidione arcem cinxerat, in eo rerum statu constitutus Demetrius, cum Polonorũ auxiliaribus copiis ad Moscuam hærebat; quarum nonnullæ erumpentes è castris, urbanorum reprimebant excursiones, aliæ per Provincias sparsæ, hosti fidos populabantur agros: nunc captas urbes insidebant; nunc si quæ Suyscianæ comparerent turmæ, ibant obviam animosè cum iis pugnaturi. *Adventus Regius in Moschoviam Demetrianum exercitum turbat.* Sed subitò adventus Regius nihil tale opinantes exterruit, ad cujus nuntium fremere Duces, Tribuni, Centuriones, milites,

tes, totáque turbari cœpere castra, nec defuêre qui turbidos incenderent: Venire videlicet Regem, cruentum illorum ad præmia & gloriam cursum remoraturum; ergóne ideo toto penè biennio bellatum est, ut paratam alieno sanguine & sudore, recentérque armatus Rex invaderet victoriam? & quando tandem, & ubi debita laboribus præmia recepturi essent? aut à quo repetituri? num à Demetrio? at huic quæ facultas tandem superesit exsolvendi promissa? quandoquidem Severia nobilissima ac opulentissima terrarum Moschoviæ portio, regiis teneretur armis, in quam miles, & castris attritus & vulneribus invalidus, spes suas omnes intenderat: Quippe annuente Demetrio, pignoris loco tamdiu insidendam, quoadusque promissa non persolverentur stipendia & donativa. Itáne verò pugnandum est ut alter vincat? indignum profectò si penès cæteros præmia, penès se tantùm servitii necessitas foret.

Maximè Duces ac Tribunos. Sed Duces ac Tribunos gravior incesserat cura, qui suam in re militari operam, su-

supra gregarios, non exiguâ æris summâ, sed centenis aureorum millibus compensandam exspectabant, tenebántque anxios liberalia promissa Demetrii, cui nec dum asserto regimine, & ad quod mox asserendum nova adventantis Regis arma ponerent obicem, omnis penitus exsolvendarum pollicitationum præcidebatur facultas. Tum & illud altè pupugit, quasi militari privarentur imperio: primis namque apud Demetrium honoribus assueti, si regio accederent exercitui, cæterorum mixti manipulis, inferiorem prævidebant dedignabantúrque militiæ gradum: inde verò non præmiorum tantùm, sed famæ ac bellicæ gloriæ tantâ fortitudine partæ, certissimam jacturam.

Itaque contra communem metum, antequam à Rege Legatio (quam ad se mitti jam præsenserant) adveniret, novo fœdere novóque sacramento sese communire statuunt, & conjuratis animis armísque Demetrio fortissimè adhærere. Dux verò Rozynius accendendos magis ratus, in ipsis ca- *Proinde novo fœdere ac sacramento se consociant.*

strorum

Rozynius milites alloquitur incitatque. strorum principiis, ita cœpit: *Inter Stipendiarios, & herum temporarium, inter Subditos ac legitimum Dominum, disceptatio à nobis finienda imminet, Commilitones. Herus ac Dominus dispares sunt, stipendiarii subditique prorsus idem. Ab hero stant nostra decora, emerita præmia, mutuæ ac fraternæ conjurationis vinculum, gloria denique ac nostri nominis integritas: Domino verò fides, subjectio, charitásque erga Patriam debetur. In horum utrumque peccare, præsertim iis, quos cupido gloriæ acquirendæ exstimulat, plenum opus periculi. Námque Patriæ charitatem violare, fidem ac subjectionem Regi debitam infringere, apertæ rebellionis perduellionísque nota censetur; deinde verò jusjurandum Hero præstitum convellere, stipendia ac præmia, & toties fuso cruore gloriam partam posthabere, extremæ amentiæ est. Sed cùm eas ipsas res æquiori examino lance, nihil ab eo in Patriam delinqui video, qui Patriam non lædit, nihil illi detrimenti aut incommodi imminere, cui debita subjectionis observantia salva est, Dominúmque non in suo tantùm regno, sed & in extero peregrinóque positum solo, venerabundus agnoscit, honorem ac fidem salvis juribus & immunitatibus suis, ut fas & lex jubet, præstare non detrectat.*

Herum vocat Demetrium, Dominum, legitimum Regem.

E con-

Econtrario is mihi perjurus, præmiorum suorum corruptor, labes Reïpub. fluxæ incertaque fideï censetur, qui ex denario diurno conductus, Hero suo sacramento obstrictus, tot laboribus pro eo exantlatis fusóque ejus causâ sanguine, præpostero rursus studio eundem terræ allidere oppriméreque nititur, laborúmque suorum præmia, non sibi sed aliis ultrò concedit. Verùm causæ nostræ cum Regia Majestate æquitatem integritatémque, non modò hæ quas commemoravi rationes, sed magis præclara vestra facinora constituunt. Quis enim Regem Dominum non agnoscit? quis cum regio ac Reïpub. hoste, Patriæ suæ impiis conatibus machinatur perniciem? quis eïdem adversùs Rempub. suppetias ferre cogitat? Atque cùm fideï integritatísque nostræ conscii simus, metuendum minimè est, ne Rex fratrésque nostri aliquid sinistri de nobis suspicari possint, & (quod absit) pro hostibus Patriæ judicent. Quod verò cum Magno Duce arctis stringamur vinculis, partæ nimirum sanguine nostro gloriæ, stipendiis emeritis, & sacrosanctè dicti sacramenti religione, profectò nihil adversùs Regem, nihil contra Remp. delinquimus: Non enim existimo futurum, ut aut Rex pro suâ singulari clementiâ id à nobis exigat, aut quispiam ejusmodi suggerat consilium, ut gloriæ labem,

Demetrio.

N præ-

præmiorum detrimentum, denique perfidiæ notam ſubeamus. Quapropter ita mihi de vobis polliceor, unumquémque veſtrûm memorem ſacramenti, gloriæ, ſtipendiorum præmiorúmque, pro debita ſua conſtantia mutuíque vinculi nexu, ſedulò curaturum, daturúmque operam, ut officium noſtrum erga Dominos, ſalvâ utriuſque dignitate, dextre conſervetur. Eia Commilitones quo ſecuriùs rebus noſtris conſulamus, his fœderis capitibus, quæ vos ïpſi alacres obtuliſtis, invicem nos conſociemus.

Fœderis capita ſubſcripta juratáque.

Et alloquente adhuc Rozynio militum ardor eminebat, mox finem orationis ingens alacritas conſecuta eſt; ſtatímque milites paritérque Tribuni ac Centuriones, ſeptem capitibus comprehenſum fœdus, chirographis & ſolenni firmant juramento.

Capita juratæ ſocietatis hæc fuêre. Primo: Spondent ſe Demetrio conſtantiſſimè adhæſuros, nec deſerturos Principem cujus hactenus auſpiciis bellatum eſſet, eidemque obligatæ fideï memores, ab ejus ſignis non receſſuros, niſi aſſerto illi priùs Moſchoviæ diademate Imperiíque ſolio, qui ſecus faceret, abſens ac fugitivus perpetuæ infamiæ damneretur notâ, præſens verò militum gladiis è veſtigio objiceretur. Altero capite id cautum: Ne quiſpiam ad alienam tranſire militiam, alteriuſve ſigna ſequi, præterquam ſolius Demetrii, præſumeret, ni infamis eſſe (ſi clam abſceſſerit) aut ſi præſens adſit, convictus capite damnari velit. Tertio: Procul eſſent machinationes, & clandeſtinæ per contubernia conſiliorum inſuſurrationes, ceſſarent factiones, contrariáque molimina; aliter, reüs ſociorum teſtimonio evidentibúſque argumentis compertus convictúſque, ſtipendiis & ſupellectili caſtrenſi privetur. Quarto: Nemo auderet ab exercitu ſigníſque abſque graviſſimâ cauſâ conſenſúque delegatorum diſcedere, ſecus faciens mulctaretur ſtipendiis & ſupellectili; illis templi alicujus neceſſitati applicandis, hâc vero inter egentiores diſtribuendâ milites. Quinto: Quiſquis hactenus obtentâ facultate in Poloniam profectus eſſet, is ad Paſchatis aut Pentecoſtes ſolennes dies, in Anno Milleſimo ſexcenteſimo decimo futuros, reditum acceleraret,

ret, ni rediret, abſque gravi impedimento, proximè memoratis ſubjacêret pœnis. Sexto: Sponderent invicem, fidéque & honore mutuo ſeſe obſtringerent, quod poſt aſſertum Domino, cui militant, Moſchoviæ Imperium, à ſignis non recederent dilaberentúrve, donec ſtipendia adamuſſim ſingulis perſolverentur. Quâ in re nemo propriis commodis cum alterius detrimento inſerviret, neque ulla de exercitûs ſtipendiis conſilia iniret; verùm juxta mutuum fœdus invicem ſeſe tueri, quoad vita facultatéſque ſupereſſent, tenerentur, donec unicuique pro meritis ſatisfieret. Si verò conſtaret, quempiam ſuis acceptis ſtipendiis excedere velle, aut exceſſiſſe, & in aliorum detrimentum perverſa contuliſſe conſilia; is extremum ſupplicium ſeveriſſimè irrogandum ſubiret, & bona ipſius fortunæque, ubicúnque locorum ſitæ eſſent, invadendæ, evertendæ, diripiendæque, juſto militum furori cederent, tantúmque crimen univerſus exercitus ulciſci ac perſequi non deſineret. Septimo:

ptimo: Si quis, cujuſcunque ille conditionis fuerit, gloriam hactenus partam ſtipendiáque, ſeu verbis acrioribus, ſeu vi & armis violare aut invadere attentaret, is pro hoſte judicaretur, mutuíſque viribus, conſiliis, quoad vita ſupereſſet, fortiſſimè oppugnaretur.

Nuſquam arctiore vinculo ſtringi poterant milites ac Duces, veluti firmiſſimo quodam adversùs regios conatus munimento, cui ſi interim vis pararetur, majori ſeſe robore conſolidandos cenſebant, præſertim ubi & reliquæ copiæ per Provincias ſparſæ, fœderi acceſſiſſent. Et Sapiehæ quidem Cœnobium Trinitatis oppugnantes legiones, invitatæ tunc, detrectabant; pertractæ nihilominus poſtmodum: & ſuaſoriæ à Rozynio & Vieloglovio ad Coſacos Bialam obſidentes ſcriptæ, ſurdis auribus exceptæ fuêre: quibus ille pro imperio mandaverat, ut Oſipoviam quamprimum ſe conferrent, & communi fœderi nomina darent, ni ſtipendiis & præmiis excidere mallent. Addidit inſuper manu propriâ: *Mandato noſtro*

Sapiehæ Legiones tardè accedunt fœderi.

Roſynius.

Di data 24 Octo. 1609.

nostro obsequimini, tunc enim primùm experiemini voluntatem erga vos meam, cognoscetísque quantum vobis militaribus viris consultum velim. Vieloglovius fusiùs initæ societatis commodis enumeratis, *Sequimini* inquit, *exemplum Commilitonum vestrorum Viasmæ, Nalevaiconis imperio parentium, qui alacres promtique, strictis mucronibus in verba fœderis solenne præstitêre juramentum.* Hæc de Cosacis Viasmæ degentibus falsò à Vieloglovio scripta fictáque comperio, ut commentitio exemplo cæteros in partes conspirationis attraheret. Namque ii spreto fœdere, missis ad Regem Legatis in ejus se potestatem concedere significarunt, provideret modò Rex, ne stipendiis, quæ hactenus in Moschoviâ fecissent, exciderent. Et hi qui Bialâ Civitate potiti, arci oppugnandæ acriùs incumbebant, per Legatos vexillum à Rege petierunt, usitato illorum militiæ more, quæ accepto regio vexillo ejus se confestim stipendiariam profitetur. Atque illa ipsa authographa literarum Rozynii & Vieloglovii postmodū Regi deferenda, Alexandro Gosievio Præfecto Velisiensi tradidêre.

Nalevaico Cosacorum dux.

Viasma Civitas Severiæ.

Cosaci spreto fœdere regias sequuntur partes.

Unitâ

Unitâ itaque virtute fortes suásque circumspectantes vires, Regem per Legatos adire statuunt: & delecti qui id muneris obirent, Dudzinius, Marchocius, Sladkovius, Rozniatovius, Urzescius, primi iique veterani Ordinum ductores, quibus prope castra regia adventantibus, Strussi equitum centuria Imperatoris Zolkievii mandato, honoris causâ obviam processit. Ducti ad Regem jussique exponere quæ attulissent: Marchocius post officia venerationémque, ferociùs quàm apud Principem deceret, immemórque Majestatis Regiæ, ante quam constiterat, ita locutus est: *Adventum Regium in Moschoviam haud consentire responso, quod è Comitiis Varsaviensibus, Legati exercitûs Demetriani à Rege commilitonibus suis retulissent, proinde si quid adversùs eorum cruenta merita, atque hanc præmiorum messem, quam ipsi sibi ferro, sudore, ac sanguine parassent, statui tentaríque deberet, se tunc neque Dominum Domini, nec fratres fratrum, neque Patriam Patriæ loco habituros.* Plura dicere parantem interpellavit Felix Kriscius Regni ProCancellarius: *Quæ est*, inquit, *ista impudens*

Exercitus Demetrii per Legatos Regem adit, qui excipiuntur honorificé.

23 Novemb.

24 Novemb.

Marchocius Regem alloquitur sermone procaci.

ac

Interpellatur à Kriſcio ProCancellario Regni. *ac temeraria oratio? an tam procaci ſermone juſſerint Commilitones Regiam impetere Majeſtatem, adeóque ſuperbis & inurbanis inſtruxerint mandatis?* Nihil territus Marchocius reſpondet: *ne latum quidem unguem ſe à mandato Commilitonum ſuorum receſſiſſe.* Proferre igitur in medium Commentarium Legationis jubentur, mox bina protulêre, chirographo Ruzinii Romani Narymunti Imperatoris, ac Marſchalci Copiarum Sereniſſimi Ducis, (hos titulos adſcripſerant) tum Alexandri Zborovii munita, quorum unum ProCancellario, aliud Zolkievio, regiæ militiæ ſupremo Præfecto, tradidêre, datáque eſt illis ſtatim abeundi licentia, brevi reſponſum habituris.

Commentarium Legationis proferre jubetur.

Tradit unum ProCancellario, aliud Zolkievio.

Commentarii verò ampliſſimè inſtructi, ſumma hæc fuit. Exercitum memorem ſui erga Regem Patriámque officii, veritum tamen ne extra fines patrios evocatus, & Demetrii, Joannis Filii Magni Ducis Moſchoviæ addictus obſequio, inde aut rebellionis, aut perduellionis ſubiret notam, miſiſſe Legatos ad Regem fidelem ſubditorum ſubjectionem nomine ipſius delaturos, cauſáſque ſui

Ejus ſumma.

ſui abitûs & peregrinæ militiæ expoſituros. Exceptos fuiſſe à Rege perbenignè, dimiſſóſque attuliſſe Commilitonibus ſuis maxima clementiæ regiæ documenta. Jam verò modernum Regis adventum in ditiones Magni Ducis Moſchoviæ, procul eſſe ab eo reſponſo olim Legatis dato; ſiquidem eæ Provinciæ armis regiis tenerentur, quæ exercitui à Demetrio deſtinatæ, eſſent pignoris loco eò uſque retinendæ, quoad emerita ipſi non ſolverentur ſtipendia. Atque inde vel maximè commotum exercitum, & animi regii erga Principem, cui militant incertum, tum & cauſæ adventûs ejus ignarum, nullius tamen delicti ſibi conſcium, mittere Legatos, qui exponerent regiæ Majeſtati labores hactenus exantlatos, impenſas, fuſúmque ſanguinem, quæ omnia adventus ejus irrita faceret, non abſque ſummâ injuriâ ac detrimento omnium Demetrio Joannis Filio, Magno Moſchoviæ Duci militantium. Poni namque iis obicem ad ea quæ deſtinaverant aſſequenda, diſtractis videlicet à Demetrio Magno Duce Moſcho-

viæ incolis, qui passim jam in ejus transierant partes, non exiguo æmuli hostísque Suyscii commodo, cujus hæc potissima cura artésque erant, populorum animos à Demetrio avocare sibíque adjungere, quod nullâ effecisset ratione modóque, nisi Rex armatus subitò Moschoviticas intrasset ditiones. Orare itaque Majestatem Regiam, haberet rationem subditorum fide erga se & Patriam integerrimâ, qui nullis Reipub. impensis, sed proprio fortunarum adminiculo, auspiciis verò Demetrii Ducis bellum hoc inchoassent, decrevisséntque ejus partibus adhærere tam diu, quàm diu propitia permitterent fata. Obtestari itaque clementem optimúmque Principem, ut subditorum suorum commodis prospiceret, essétque auxilio potiùs quàm impedimento consiliis cogitationibúsque eorum, quas ad gloriam, fideï integritatem, ac ad Imperii Moschovitici restitutionem, fortunarúmque suarum jacturam reparandam, intenderent. Precari se Patriæ faustissima quæque, prout probos Cives filiósque decet, contra quam

quam nihil hostile molirentur: id tamen seriò profiteri, si quispiam dolo malo, pravísque consiliis, ditiones aut vitam Serenissimi Magni ducis impetere, stipendiáque illorum intervertere ausus fuerit, (quam tamen suspicionem nec in Regem, nec in Fratres suos cadere posse existimant) eam injuriam neque à Domino, nec à Patriâ, nec à Fratre, sed ab hoste sibi inferri judicaturos. Implorare itaque benigni Regis clementiam, Reïpub. verò ac Patriæ suæ charissimæ amorem, quæ materno illos potiùs fovebit affectu, panes illis non lapides comedendos porrigens, & in extera militia partâ gloriâ conspicuos dignis condecorabit præmiis, nec sinet ex hac arenâ hoste præsertim attrito (secus vires resumturo) discedere, verùm alienis bellis probè exercitatos, aptiores suo admovebit obsequio. Intueretur etiam Rex benigno oculo sanguinem è Commilitonum corporibus manantem, cerneret tumulos cadaveribus opletos, quorum animæ inclytæ è beatorum sedibus hæc spectarent, superstitum verò non-

nonnullos videret, membris invalidos, mutilos, ſaucios, facultatibus exutos, in eam calamitatem parandæ gloriæ cauſâ redactos, cujus pars maxima ad Rempub. pertineret, malléque reliquum vitæ fortunarúmque ſuarum miſeros cœptis laboribus impendere, quàm meritis & gloriâ defraudari. His itaque perſpectis exercitûs Demetriani conſiliis, ſperare Commilitones non defuturam Majeſtatem Regiam, daturámque ſuis precibus locum, ſatiúſque ac utilius exiſtimaturam, iis abſtinere conatibus, qui plùs incommodi, dedecoris, ac detrimenti adferre poſſent. Neque enim id novum eſſe, diuturnâ poſſeſſione firmata loca uno momento everti, excutíque è manibus ſceptra, quibus ferendis longo uſu manus aſſueviſſet. Ad extremum precari exercitum Regi omnia fauſta, viciſſímque ſe eadem exſpectare, quandoquidem ille & Regis & Fratum ſuorum communis felicitatis, abſque ſuo tamen detrimento, ſtudioſiſſimum ſe eſſe profiteretur.

Poſt hæc è ſcripto in præſentia Regis Senatûſque

natûſque recitato, deducuntur Legati ad frequentiorem Præſide Staniſlao, Zolkievio, Palatino Kiovienſi Imperatore, Senatûs, Tribunorum, Centurionum, militúmque conſeſſum, verbíſque lenioribus ac temperato ſermone, nec jam ad ferociam compoſito, Demetriani exercitûs mandata, & quorum exemplar Zolkievio antè tradiderant, breviùs ad eum exponunt modum. *Iidem Legati mandata exponunt apud Zolkievium in conſeſſu militum.* Uſitatum id ſæpius fuiſſe inclytæ ac heroïcæ genti Polonæ, in delicatiſſimo aureæ libertatis gremio natæ educatæque, in exteris Provinciis Regníſque, gloriæ ac fortunarum ferro ſibi quærere acceſſionem. Quæ libertas ſtimulos addidit Commilitonibus, ut arma ſua tanquam Martia gloriæ aratra, in Moſchoviticam immitterent glebam, è qua uberrimam immortalis nominis ac præmiorum meſſem, nullo Reïpub. damno, magno verò cum emolumento ſperarent obventuram. Sentire ſe nimium, nec abſque intimo doloris ſenſu, eóque graviori, quod à concivibus ſuis, generoſæ & excelſæ indolis impediri conſilia, aditúmque tam præ-

præclaris cogitationibus intercludi animadvertant, quem jam sanguine tantóque conatu aperuissent. Atque hac provocatos injuriâ, tendere se manûs supplices ad supremum Regni Copiarum Ducem, sub cujus imperio ad militarem gloriam eruditi essent, implorare Senatûs, tanquam legum libertatísque custodes, patrocinium, prospiceret ille pro ea, quâ prævaleret apud Regem gratiâ consilióque, ne tantis affecti incommodis penè iam maturâ fraudarentur messe, crebro sanguinis imbre hactenus irrigatâ productáque. Moveret illos numerosæ flos Nobilitatis, & patriæ commodum decúsque moverent grandævi parentes, in hoc exercitu spes suarum fortunarum unà cum filiis reponentes, qui etsi hìc præsentes genibus affusi singulorum non comparerent, solicitudines tamen illis suas expendendas ultrò porrigerent. Conservarent itaque parentibus filios, filiis parentes, nec immissâ hac subitâ tempestate, juventutem ad virtutis fastigium gloriæque grassantem, everterent opprimeréntque: promove-

moverent potiùs egregios ausûs, Ducésque se ad adipiscendam nominis claritudinem præberent. Servarent Cives, fratrésque suos, beneficii non immemores, & perpetuo grati animi obstringendos nexu, immortale inde decus ac nomen servatorum videlicet concivium relaturi.

Regius exercitus insolentem Legationem abhorret.

Diversos animorum motûs in exercitu Regio excitavit, insolens Demetrianorum Legatio, & quia tam arrogans plenáque fastûs, eò magis invisa, nec absque indignatione audita, Legatorum imminuit auctoritatem: Secuti militares ioci sparsique sales, falsum ridentes Demetrium, & personati Principis quasi indecoram carpentes militiam. Interrogati à Regiis Legati: An Marina Magni olim Demetrii conjux, iterato nupsisset huic, cujus nunc signa sequerentur, Demetrio? respondêre: nihil secundis opus esse nuptiis, eas sufficere, quæ præsente Rege, Cracoviæ per Legatum contractæ essent celebratæque. Ac profectò non constat Marinam cum hoc redivivo Demetrio secunda repetiisse vota, nec uspiam in

Legatos perstringit dictis mordacibus.

Marinam non constat huic alteri nupsisse Demetrio. in accuratissimis rerum Moschoviticarum Commentariis, annotatum memini. Affirmasse tamen comperio Præfectum Sanocensem, qui ad regia castra è Demetrianis transierat, sororem Kalugam ad Demetrium celerrimè contendentem, Osipoviæ sibi obviam factam, inter cætera arcana ultrò citróque habita colloquia, sanctè confessam, novo sese obstrinxisse fideï sacramento huic, cui jam adhæreret viro. Fratris sororísque testimonia suspecta mihi esse non diffiteor, nobilísque familiæ honori potiùs quàm veritati consentanea existimo; præsertim cùm certum exploratúmque habeam Marinam dissimulatâ mariti cæde, absque ullâ cæremoniarum pompâ impostori adhæsisse, & velut ad sui conjugis (quò Moschos evidentiori quasi viventis Demetrii, argumento falleret) domum thalamúmque transiisse. Adeò insolens dominandi cupido mortalium obcœcat mentes, ut satiùs ducant pudicitiæ, quàm imperandi jacturam pati.

20 Martii 1610.

Stanislaüm Mniszek.

Neque illam inter arctioris fortunæ angustias

gustias excelsus ac generosus deseruerat spiritus, & æqualem tam in adversis quàm prosperis præ se ferebat vultum, suæque tenacem Majestatis. Acceperat à Stadnicio Castellano Præmisliensi, cognato & necessario suo literas, quibus pro jure sanguinis suam erga illam contestabatur voluntatem, nunciabátque de regio in Moschoviam adventu, eósque tantùm apposuerat literis titulos, qui non Magni Ducis Conjugem, sed illustrem paternam condecêrent familiam. Respondit paucis: Gratum sibi accidisse tam propensum erga se Stadnicii animum, utpote ab eo profectum, qui arcto sanguinis nexu sibi devinctus esset: cæterùm Deo injuriarum vindici ac justitiæ tutori se plenè confidere, ejus Divinam Majestatem propediem executuram id, quod de hoste ac proditore suo decrevisset, nec permissuram ut diutius fraude & scelere lætaretur suo: quod etiam Regiam Majestatem optaturam minimè dubitaret. Nihil amplius de Rege, déque ipsius adventu penitus subticuit, silentio professa minùs sibi gratum,

Quæ in arctiore fortunâ satis animosa.

Dat. 10 Novemb 1609.

Suyscio.

tum, ſuiſque rebus haud commodum accidiſſe. Titulos omiſſos graviùs tulit, nec diſſimulavit. Namque & in capite literarum, ingentem illam Moſchoviæ titulorum paginam præpoſuit, & poſt adſcriptum manu propriâ Marinæ Imperatricis nomen, eâdem manu addidit: *Quem Deus luce donat, fulgorem ſuum haud deperdit; non ideo ſerenus deſinit eſſe ſol, quòd atris quandóque nubibus obtegatur.*

Titulúmque ſibi denegatum moleſtè tulit.

Conſilium interim apud Zolkievium (ubi frequens convenerat Senatus & præcipui quíque Ordinum Ductores, militéſque veterani) habitum, de reſponſo Legatis Demetrianorum dando, offenſis feroci legatione pleriſque, cenſentibúſque: indignos conſpectu ac vultu regio eſſe, quem tam audaci læſiſſent ſermone. E contrario aliis ſentientibus, condonandum id militaribus viris temerario impetu abreptis, benignitatíſque regiæ majorem habendam rationem, quàm, pœnitentiâ ducti, præclaris pro Rege & Repub. facinoribus demereri poſſent: caſtigandos interea paulò ſeverioribus verbis, ſuæque temeritatis exercitum du-

De reſponſo Legatis dando conſilium apud Zolkievium. 25 Novemb.

duriori (non ſine aliquo tamen clementiæ regiæ indicio) admonendum reſponſo. Prævaluítque hæc ſententia, & tertio ab expoſita Legatione die vocati, iterum in præſentiâ Regis conſtitere. Felice Kriſcio ProCancellario regio his illos compellante verbis: *Gratam nuper fuiſſe Regi exteriorem illam fidelitatis ſubjectioniſque teſtificationem, quam nomine exercitûs præſtitiſſent; verùm, cùm maturiori conſilio res cum verbis conferretur, mirari ſatis non potuiſſe Regem, Senatum, ac denique univerſos, quibus legationis iſtius mandata audire vel legere contigiſſet, quod rem tam arrogantem blandis involutam verbis attuliſſent, quod ſubjectio atque hæc quam profiterentur fides, auſa fuiſſet Majeſtatem Domini ſui acriori perſtringere ſermone. Exceſſiſſe id limites libertatis. Patriam eum lædere certum eſt, qui Dominum non reveretur, legibus adverſari, qui violat Magiſtratum. Porrò qui Patriam legéſque aggreditur, eum metam tranſgredi libertatis, neque fœdo crimini honeſtam poſſe prætexere libertatem: Illibenter itaque nec ſine offenſa audiviſſe Regem legationem, qualis per eos miſſa eſſet ab illo exercitu, cum quo pro ſuâ innatâ clementiâ de iis rebus, quæ ad Remp. vitâ ſibi*

Alloquitur illos Kriſcius in præſentiâ Regis.

ſibi cariorem, pertinerent, per Legatos ſuos agere inciperet. Acciperent itaque tale in ſcripto reſponſum, quale mox legendum eſſet, & quod res ac verba iſtius legationis mererentur. Inpoſterum ſcirent, fratréſque ſuos admonerent, Majeſtatem Regiam, populorum quos Deus regimini ſuo commiſiſſet, ſentire ſciréque, ſe Dominum ac Regem eſſe.

Reſponſum ad illorum Legationem ſcripto conceptum perlectúmque à Kucborſcio traditur.

Sermonem Kriſcii excepit Joannes Kucborſcius Cancellariæ minoris Præſes, (Regentem vulgò vocant) ac reſponſum è ſcripto recitavit, quod in breve compendium redactum refero.

Kucborſcius Epiſcopus Culmenſis nominatus Plocenſis obiit 1624. *cujuſque is erat tenor.*

Optaſſe Regem ut exercitus ille ſuos potiùs exſpectaſſet Legatos, quàm ad ejuſmodi legationem ad ſe inſtituendam animum adjeciſſet. Intellectâ etenim ejus erga ſe voluntate, & adventûs in Moſchoviam causâ, judicaſſet, quantum Reipub. intererat, in has eum veniſſe regiones. Sed quoniam impotentis animi ductum ſequi maluiſſet, qui illum ad hanc legationem verborum rerúmque aculeïs refertam impuliſſet, non poſſe ad hæc propoſita capita non reſpondere, demonſtraréque ex ipſis Patriæ

triæ legibus, non exercitum à Rege, ſed Patriam ac Regiam auctoritatem ab exercitu Demetriano violari oppugnaríque. Allegare milites libertates & exempla gentis Polonæ, gloriæ ac fortunarum acceſſionem apud exteros armis quærentis. Gaudere equidem Regnum Poloniæ ampliſſimis libertatibus immunitatibúſque à majoribus acceptis, ita tamen legibus omnia circumſcripta eſſe, ut non licentia quæ ſceptra evertit, ſed auctoritas, non inſolentia quæ rerum gerendarum ordinem turbat, ſed conſuetudines, ac ſtatuta Regnum hoc moderentur. Superare quidem gentis noſtræ immunitates omnium exteri Orbis populorum jura, ſed qui cæteris libertate eſſet ſuperior, modeſtiâ eum omnes anteire neceſſe eſt, neque eâ libertatis felicitate ad dedecus & excidium nationis ſuæ abuti. Majores noſtros certè Provincias atque ditiones obtinuiſſe ampliſſimas, non abſque tamen auctoritate Magiſtratuum, qui rerum gerendarum præſcriberent rationem, neque abſque conſenſu publico, qui leges conderet:

quæ utráque ab exercitu protrita conculcatáque esse, evidenter demonstrari posse. Vetare leges Polonas ad bella apud exteros gerenda sub signis proficisci, ne vicinis gentibus idem liceret nostros quoque inimicos auxiliis confirmandi. Vetare leges, Regni injurias à finitimis populis illatas, privatâ auctoritate repetere, ne ictis foederibus, & paci publicæ vis inferatur. Vetare ipsis Regibus, Polonas Lithvanásque leges, bellum inferre inconsultis Ordinibus, ne Respub. subito pateret discrimini. Interim exercitum illum revulso effractóque temerario impetu, augusto sanctissimarum legum Sacrario, non libertatis jure, quæ legum juberet habere rationem, sed pro libitu potentissimum hostem, cui cum Regno Poloniæ & Magno Lithvaniæ Ducatu de amplissimis Provinciis ingentes essent controversiæ, exasperasse, insciâ prorsus Regis Magistratuúmque auctoritate. Quod si exercitûs illius (ut plerumque incerta est belli alea) vires fractæ fuissent, equidem Patriam suam tunc intestinis dissidiis labo-

laborantem distractámque, ruptis foederibus in discrimen fatalémque adduxissent periodum. Frui duntaxat itaque eum debere libertate, qui legibus obtemperaret, Magistratuum revereretur auctoritatem, Patriæ commodis, non verbis, sed re ipsâ prospiceret. Nam gloriam quærere legibus violatis, fortunas consectari spretâ Principis auctoritate, privatis indulgere cupiditatibus, pacem ac securitatem publicam infringere, non liberi Nobilis Poloni, sed insolentis hominis rem censeri.

Verùm sensisse nimiùm Poloniam & Magnum Lithvaniæ Ducatum tot incommoda ac clades, quorum exercitus ille maximam præbuisset occasionem. Eâ arreptâ Suyscius per emissarios suos Tataros Podoliam afflixit, quæ nudata præsidio Cosacorum in exercitu Demetriano militantium, vehementer ingemuerat. Carolus, Sudermaniæ Princeps, ejus opibus adjutus, mari terrâque in Livoniam immissus: quanta tam potentis hostis instabat procella, nisi illam Caroli Chodkievicii fortissimi Imperatoris pru-

prudentia, militúmque virtus, dissipasset. Ponderarent itaque æquâ lance gloriam scilicet, quam tantopere deprædicarent, ac Patriæ damna quæ nescirent, ac tum partis utriúsque expensis momentis, de rei judicarent æquitate.

Responsum à Rege Legatis fidelitatem subjectionis deferentibus, dari aliud Varsaviæ non potuisse: nunc verò plena insolentiæ verba qui dissimularet, cùm hinc fidem & subiectionem Principi testarentur, inde rebellionem, hinc charitatem Patriæ prædicarent; gloriarentúrque, nihil se hostile adversùs Rempub. cogitare, inde minas miscerent, verbísque duntaxat Dominum, non animo & corde profiterentur. Facile esse objicere se periculis, sed revocare gradum non ita expeditum, nec raró spes, quas manibus tenere videmur, subitò elabi, securitatémque eludere nostram, sentimus. Deprimere plerumque solet arrogantes animos Deus, eorum verò præsertim, qui ad arrogantiam, officii sui neglectum contemtúmque adjicerent.

Sed

Sed nec dum hostem debellatum aut supplicem comparére, esse adhuc viribus integris, quod ipsa hæc fateretur legatio. Ecquid igitur exercitus ille caneret triumphum ante victoriam? quorsum hæc jactantia? quorsum vani verborum fastûs? At nec illud maximè prætereundum esse, quod integerrimum Regis consilium, à pessimorum rumorum auctoribus proseminatoribúsq; aliter sparsum, exercitus criminetur: acsi Rex venisset in Moschoviam ad intercipiendos illorum labores, præmiáque abolenda, eámque opinionis temeritatem dedisse ansam tam vehementis legationis. Sed Legatos regios jam ad exercitum missos, demonstraturos evidenter, quæ causæ huc Regem adduxissent. Si enim hostis barbarorum & exterorum copiis auctus, vires exercitûs illius diuturnis exhaustas laboribus fregisset profligassétque, tergísque victor inhærendo in viscera Reïpub irrupisset, securas ditiones Provinciásque invasisset, quâ ratione gloriæ cupiditas, quam jactaret exercitus, Rempub. à periculo vindicasset, quâ virtu-

 te

te finitimorum parietum incendium restinxiſſet, patriæque ſuam probaſſet innocentiam. Quæ ideo commemorata eſſe, ut vanæ & futiles cogitationes de regio adventu ex ignorantium animis evellerentur. Cui etenim nunc ſtipendia emerita interverſa eſſent? cui unquam difficiles de diurno denario poſitæ rationes? an non potiùs liberalem ſe in diſtribuendis honoribus facultatibúſque pro cujuſque merito Rex oſtendiſſet?

Atque ita paternè exercitu admonito correptóque, declaratâque integerrimâ ſuâ voluntate, requirere Regiam Majeſtatem, ut ad ſaniora rediret conſilia, ne (quod minatur) animas fortunáſque ſuas tantis objiceret periculis, quin potiùs innocentiam integritatémque Principis revereretur, admiraretúrque clementiam, quæ ad omnem gratiæ ſuæ teſtificationem promta paratáque eſſet. Expenderet apud ſe Legationem tam paternam, quæ jam miſſa eſſet, redirétque ad officium boni ac fidelis ſubditi, genuini ac veri Poloni, qui non exotico exter-

nóque

nóque impetu ac furore, ſed innatâ Polonis virtute ac judicio cum patriâ ſuâ ac Domino agere ſoleret teneretúrque.

Legati reſponſo accepto Regi valedicunt.

Lectò à Kucborſcio reſponſo, traditóque Legatis, venerabundi ad regiæ manûs oſculum prociderunt, frementе palàm univerſâ adſtantium Magiſtratuum totiúſque aulæ coronâ: notabantúrque omnium indignabundi vultûs, nec tacitum deinde ſurrexit murmur, tantum illis à Rege exhiberi honorem: qui regium nuper petulanti proſcidiſſent ſermone. Atque id vehementer perculit Legatos, queſtíque ſunt apud Zolkievium, indignos ſe regiâ manu judicari, cùm nec perduelles eſſent, nec crimine læſæ Majeſtatis convicti.

Excepti deinde Convivio à Zolkievio & aliis, abeunt.

In eandem penè ſententiam accepêre aliud reſponſum à Zolkievio ac Senatu; illud tamen pro jure Majeſtatis durius, hoc pro fraterna erga concives ſocióſque charitate lenius temperatiúſque. Ad extremum excepti convivio, primùm à ViceCancellario, dein à Potocio Palatino Braclavienſi, ultimò ab Adamo Zolkievio Caſtrorum

Ducis ex fratre Nepos 29 Novem.

Præfecto, tractatíque perhumaniter ad ſuos abiere. Verùm apud commotum reſponſo regio exercitum, gravis ejus Legationis recordatio fuit, reducéſque Legatos commilitones triſti excepêre vultu: mox eodem in loco, quo pridie Oratores regios audiverant, advocato frequenti concilio, ingentem excitavere tumultum, raptáque contra Janikovium & Marchocium arma: ille, quod inſcio exercitu nec conſentiente duriora aſperioráque ad Regem Legatis mandata ſcripſiſſet tradidiſſétque; hic, quod conſcius modeſtiæ ſuorum commilitonum, debitæque erga Principem obſervantiæ, ea retuliſſet inciviliùs, regiámque ab exercitu abalienaſſet voluntatem. Sed major in Janikovium vis incubuit tanquam auctorem facti, palàm vociferantium: indignum eſſe honorem exercitûs ejus tractari manibus, qui ſuum tueri neſciviſſet poſthabuiſſétque. (nam proſcriptum ac perpetuæ infamiæ damnatum notâ, Polonicis in Moſchoviam abeuntibus copiis ſeſe immiſcuiſſe, conſtiterat) Jámque minas & ultionem

à Commilitonibus ſuis duriùs excepti ob tam inurbanam Legationem, quam verbis exaſperaſſent.

nem intentabant, ſed accurrentes Duces ac Tribuni furentium impetum ægre continuerunt, interpoſito edicto: Ne inpoſterum quiſpiam plus nimio in exercitu ſibi arrogaret auctoritatis, præſumerétque ipſo inſcio privatis aut publicis ſeſe ingerere conſiliis.

Audita quoque per hos dies Legatio à Legionibus Sapiehanis, quæ (prout retuli) ad Cœnobium Trinitatis caſtris conſederant, Marco Vilamovio & Andrea Sladkovio perorantibus, benignitatem regiam applauſúmque meruit, quòd debitam erga Principem attuliſſet reverentiam, præmiorum tantùm ſtipendiorúmque ſuorum haberi rationem, brevibus verbis iiſque ſupplicibus poſtulaſſet. Data iisdem Legatis à Sapieha arcana mandata Regi perferenda, videlicet, de Legatis quantocius ad univerſum Demetrii exercitum à Rege expediendis, de ulteriori progreſſu belli, de perſolvendis ſtipendiis eorúmque ſecuris reddendis militibus, ideóque patentes ſibi literas Sapieha à Rege quamprimum mitti poſtu-

Legati à Legionibus Sapiehæ mitius agunt cum Rege proindeq; gratiores.

postulabat, queis ille posset ad Majestatis ejus obsequium venientibus, offerre Principis & gratiam & præmia: tum de mittendis exercitui auxiliis suggerebat. Admonitus denique Rex, ut sese pluribus fidisque sepiret custodiis, cùm apud gentem pessimam versaretur, quæ saluti incolumitatíque insidiaretur suæ. Ultimò missa nominatim partium capita Demetrianæ, Suyscianæque factionis, cum quibus in rem Majestatis regiæ transigere expediret.

Rex pertentat animos Demetriani Exercitûs, déque illius statu per fidos exploratores inquirit.

Prævenerat jam & Sapiehæ & cæterorum sibi addictiorum desideria Rex, missâ solenni splendidâque ad exercitum Demetrianum Legatione, quæ tamen non perperam expedita fuit, sed pertentatis priùs per certos fidósque exploratores illius partis animis, statúque belligerantium ad urbem Moscuam copiarum. Ubi jam fidelem Regi operam præstiterant, Rusiecius ac Bucinius, qui militem seditosis Kasimirscii vocibus abalienatum, crebros de Regis benignitate sermones per contubernia miscentes, paulisper flexêre, & in meliorem erexêre

re spem. Et exploratores certò attulerant, Duces haud alienos esse à voluntate regia: quippe Zborovium nuper ad Tuerum re improspere gestâ anxium, desperantíque similem, & Ruzynium ad urbem Moscuam à Suyscianis repressum, facilè ad Regem inclinare, quod vel inde constaret, cùm Ruzynius tam lentè ageret, plurésque sibi consultò è manibus victorias elabi pateretur, ne Impostori assereret Imperium, homini & Regi & dominiis ipsius infestissimo: jámq; urbem fame enectis civibus deditione accepisset, nisi deduxisset Mlocium & Bobovium cum præsidiariis Colomnæ impositis, qui fluvium ibidem insederant ex uberrimâ Rezarensi ditione profluentem, præcluserántque invehendi commeatûs ac annonæ facultatem, quasi maluisset beneficio liberati fluminis reficere obsessos, quam Impostoris jugo subigendos tradere. Nec Sapiehæ defuisse vires occasionésque occupandi Cœnobii Trinitatis, sed & hunc desidére minùs attentum victoriæ, alia fortasse belli momenta, quæ Regis adventus offerre posset,

Moscuam.

ſet, præſtolantem. Summa itaque capita occupanda, & exercitum ornatiſſimâ recreandum Legatione, iidem ſuadebant exploratores. Nec adeò immenſas ſtipendiorum rationes pertimeſcendas eſſe, habere milites ſuos calculos, neque omnes velle ad eam admittere offam, & poſt recenſitum luſtratúmque exercitum, vix terna fore millia quibus emerita ſtipendia deberentur. Jam verò & illa animorum mutua conſociatio jurejurando firmata, non eſt quod deterreat, ambiguis quippe verbis facta, pleráque ibidem capita fœderis in rem Majeſtatis regiæ eſſe, ſi probè expendantur. Ad extremum nomina Tribunorum ac Centurionum, apparatum bellicum, ſitum caſtrorum, totiúſque militiæ ſtatum ad amuſſim inſpectum, Regi in ſcripto obtulerunt.

Legatos, Viros Illuſtres ad illas copias mittit, & Suyſcium, ac Ordines Moſchoviæ compellat.

Quibus omnibus tam exactè cognitis Rex maturandum ratus, Legatos, Viros illuſtres militiâque claros ad copias Demetrianas, Suyſcium, Patriarcham, ac univerſos Moſchoviæ Ordines aſſignavit. Staniſlaüm Stadnicium Caſtellanum Præmiſlienſem, Chriſtophorum Zbaraſcium, Præfectum Cremenecenſem, Januſſium Skuminum Tyſzkievicium, Notarium Magni Ducatûs Lithvaniæ, Præfectum Braclavienſem, Staniſlaüm Domaracium Terræ Leopolienſis Subdapiferum, Martinum Kazanovium veteranum Ordinum ductorem. Et qui de adventu illorum nuntiaret præmiſſus Joannes Dobcus, proſpecturus in iis admittendis, & regiæ dignitati & Oratorum auctoritati. Sed is humaniſſimè in caſtris exceptus, mox ſignificat, Legatos ſummâ omnium voluntate exſpectari, orare tantummodo, ne plures quingentis equitibus ſecum adducerent, ob ſummam annonæ difficultatem; adhæc liberi commeatûs teſſeram à PſeudoDemetrio datam, tranſmiſit, ac univerſum exercitum ſecuritati Legatorum unitâ virtute proſpecturum, nuntiavit.

6 Novemb. 1609.

Inſtructionis contenta.

Inſtruxerat Rex Legatos mandatis, & ſuæ clementiæ & exercitûs Demetriani exſpectationi accomodatis: ac primùm exponere juſſit cauſas belli Moſchoviæ illati: videlicet, vis gentium Legatorum detentione

ne à Suyſcio violatum, pacta fœdera ejuſdem temeritate rupta, fuſum ſanguinem præcipuæ Polonæ Nobilitatis, fidei datæ ſecuræ, ſollicitatos immiſſóſque Podoliæ Ruſſiæque terris Tataros, immaniſſimos Chriſtiani nominis hoſtes, Carolum Sudermanum Regis perduellem pecuniâ inſtructum Suyſcii, bellum tantis viribus tantóque apparatu (cui impar fuiſſet Suecia) Livoniæ induxiſſe. Nec minùs Regem anxium reddebat ulterior iſtius exercitûs progreſſus; ſubverebatúrque, ne tam diuturno bello fatigatus, exterorum præſertim auxiliis à Suyſcio arceſſitis, ſuccumberet, quæ calamitas aperiret viam genti perfidæ, ad infeſtandas ditiones Regni, excitandáque iterum cum Ducatus Lithvaniæ ingentia illa bella, non annis ſed ſæculis perennantia, & nec dum ſopita, verùm ſuppoſita tantùm cineri doloſo, quæ ad levem auram in flammam gravéque erumperent incendium. His itaque rationibus expoſitis, explicatíſque periculorum circumſtantiis, agerent cum exercitu Legati, ſuis verò ſubditis

ditis fidelibus, ut ad voluntatem conſiliúmque regium, ante omnia verò ad patriæ (cui vitam deberent) res componendas, ſuas & ipſi adjungerent voluntates.

Secretiorum mandatorum ſumma.

Et hæc quidem mandata Legatis tradita quæ in publico exponerent, arcana, ſecretiori comprehenſa libello, hæc erant: videlicet: Captarent maximè prehenſaréntque ſingulorum animos, & pro virili adniterentur, ne extraneo cuipiam Rege hîc præſente, ſed Regno ac Magno Ducatui Lithvaniæ, omnis gloriæ ac ditionum facerent acceſſionem. Docerent: non ideo veniſſe Regem, ut eorum labores fortunarúmque impendia præpediret, ſed ut provideret Patriæ ipſorúmque commodis, quibus non extraneus quiſpiam, ſed illi eorúmque liberi totáque poſteritas perfrueretur. Offerrent ſingulis gratiæ regiæ non tantùm promtitudinem, ſed & fructum, percipiendum poſteaquam hoc negotium optatum ſortiretur finem. Quod ſi quiſpiam aut ſanguinis, aut officii, aut certè commiſerationis jura allegaret, reſponderent Legati: facilius

ciliùs posse & à potentiori, & à viribus unitis afflictos erigi, & eorum detrimenta, occupatâ subactâq; Moschoviâ, compensari. Quod verò ad stipendia attineret, eorum persolvendorum possibilitatem facultatémque, ex collatione eorundem cum censu Imperii legati, coram singulis expenderent metirentúrque. Neque enim aliunde quam ex Moschovitico ærario accipi posse stipendia ab eo, cui nunc inservirent Domino, à quo tam liberales syngraphas accepissent, censu verò majores fieri posse largitiones, neminem judicaturum. Atque si Demetrius non priùs se persoluturum æra pollicetur, nisi eorum virtute ac operâ Imperium adeptus fuerit, ac ne tum quidem eorum securi essent, quibus fortasse census impar foret, cur eadem à Rege non exspectarent, qui suorum populorum fortunæ incrementa non detrimenta procuraret? Faciliúsque ea posse, præsertim si ea in immensum non extenderent à Rege, consequi, quàm ab iis quibus & fides lubrica esset, nullúsque Deï timor reverentiáque, & famæ apud homines integritas.

Si verò partes regias sequi ejúsque militiæ nomen dare voluerint, stipendia consueta pollicerentur, quæ tunc mereri inciperent, cùm ad exercitum Regis accederent. Neque enim consultum nunc videri, distrahere exercitum illum è tot gentibus collectum, militis Poloni avocatione, ne Moschi accisas Demetrii vires abitu Polonorum animadvertentes, suæ jam debilitatis conscii, vertantur subitò ad Suyscium, partésque ejus accessione confirment. Nisi fortè aliter hac de re statuendi, rei exigentia ac militum Moschorúmve consilia, legatis necessitatem attulerint. Quodsi debiles illius exercitûs vires Legati animadverterent, non deessent & consilio & auxilio, Regémque certiorem facerent, propter copias illuc subsidiarias quantocius promovendas.

Exercitûs illius capita Ducésque viritim compellarent, Regísque nomine pollicerentur, eos pro suis studiis non modò in hoc Imperio, sed & in Polonia, præmia luculenta relaturos.

Rationes belli gerendi, adminiſtrandi exercitûs, rejicerent Legati ad felicem Regis adventum; quippe præſente Rege hæc expeditiùs commodiúſque tractari poſſe.

Moſchis, qui in tutelam ac patrocinium Regium concedere voluerint, exponerent; Regiam Majeſtatem eos benigniſſimè excepturam, conſervaturámque integerrimè eorum Religionis, rituum Eccleſiaſticorum, ac Judiciorum inſtituta, & facultates eorum poſſeſſionéſque non modò intactas relicturam, ſed pro munificentiâ ſuâ aucturam.

Compellarent quoque Legati Suyſcium per Internuncium, déque literis & mandatis à Rege illi communicandis monerent: is verò mitteret certos homines ad colloquium cum iis, non in civitate ſed in campo inſtituendum. Atque ſi mandata illa ad Suyſcium regia, ad exercitûs notitiam nondum pervenerint, nec Legati propalarent quidquam, ſi verò ſubolfeciſſe milites quidpiam præſentirent, declararent non legationem à Rege, ſed admonitionem ad Suyſcium

ſcium mitti, ut à ſanguine Chriſtiano abſtineret, Regno ſubditiſque illatas injurias reſarciret, ſéque adduci pateretur ad res juſtis mediis cum iis, qui ad urbem Moſcuam eſſent, tranſigendas.

Ad prolixæ Legationis Commentarium additæ ad Baſilium Suyſcium literæ: quibus Rex atroces ſibi Regnóque injurias illatas ab ipſius perfidiâ commemorat, inſimul & rationes, quæ eum infeſtis ſignis in Moſchoviam evocaſſent. Addidit præterea hæc verba, quæ latinè reddita refero: *Nos tamen prout Chriſtianum Monarcham decet miſerati tantam cladem, perturbationem ac ruinam Moſchovitici Imperii, tantámque ſanguinis Chriſtiani effuſionem, volumus adjuvante Deo, ac Beatiſſimæ Virginis Deiparæ, Omniúmque Sanctorum precibus ſuffulti, Magnæ Moſchoviticæ Monarchiæ res componere, ſanguinis Chriſtiani effuſionem inhibere, populis Chriſtianis pacem ac tranquillitatem reſtituere. Quapropter mittimus ad noſtros homines Polonos ac Lithvanos, qui ad Vrbem Moſcuam caſtra poſuêre, Legatos*, poſtquam nomina Legatorum expreſſiſſet, ſubjunxit: *Id autem tibi*

Ad Suyſcium quid Legatis injunctum.

Datæ 12 Novem. 1609.

tibi significamus, ut Consiliariis tuis mandes, quatenus in campo Moscuæ vicino cum legatis Nostris conveniant, colloquium instituant, ut, te primùm in omnibus satisfaciente, bella atque motûs in Imperio Moschovitico componi, sanguis Christianus sisti, populis pax ac tanquillitas reddi posit.

Tum ad Patriarcham, Clerum, Universósque Moschoviæ Ordines.

Deinde Patriarcha, Clerus, universíque Ordines Moschoviæ, binis iisque brevibus & uno eodémque exemplo scriptis compellati sunt literis, in hunc sensum: Compati Regem maximis Moschoviæ cladibus, quæ tantum Cristiani sanguinis funderent, cuperéque pristinam tranquillitatem reducere, si voluntatem suam grato exciperent animo, ac in patrocinium regium concedere, suæque manûs excelsæ beneficio protegi cuperent. Quod verò attineret ad fidem illorum Christianam Græcam: verbo regio polliceri, se eam salvam & illæsam manu tenere velle, institutáque omnia Ecclesiastica ac ritûs à majoribus acceptos, possessiones, Ecclesias, & Cœnobia spectantes, sanctè integréque conservare augeréque.

Ad Demetrium nihil penitus Legatis commissum, neque enim è dignitate regia visum, tantum honorem impostori tribuere, quem cum titulis Moschoviæ Ducum splendidis, Suyscio detulisset. Senatus nihilominus dedit epistolam, quâ significat: injunxisse se Regiis Legatis, ut illi ejus nomine officium salutationis deferrent, oraréque, ut eos & perbenignè advenientes exciperet, & abeuntes pari comitaretur affectu, permitterétque tam diu in exercitu versari tranquillè, quoad mandata regia exponerent. Hæsit nonnihil Senatus quos epistolæ insciberet titulos, sed satìs honori ipsius datum judicavit, desuper imposito Clementissimi Principis, & suæ Celsitudinis nomine.

Demetrium Rex præteriit, Senatus tantùm literas dedit.

In eum modum instructâ ordinatâque legatione, Legati ad Castra Demetriana decimo septimo Decembris die advenere, splendido lectissimóque centum hastatorum equitum, & ducentorum octuaginta peditum comitatu cincti. Duxerant illi quidem secum duas legiones viris armísque præstantissimas, sed eæ Mosaïsci substi-

Legati Regii veniunt ad Castra Demetrii.

ſubſtitêre, ob annonæ commeatûſque inopiam, præſertim hoſte vicinos agros infeſtante, & totis viribus Duce Scopino Demetrianis imminente. Excepti itaque Legati longiùs à caſtris ab Alexandro Zborovio, qui cum ducentis equitibus proceſſerat, ſalutatíque facundo viri militaris clariſſimíque ſermone. Minori pòſt intervallo ſupremus copiarum Dux Ruzynius unà cum Præfecto Sanocenſi carpento vectus, incuſatâ & per nuncium quem præmiſerat, & ipſe compoſitis verbis corporis invaletudine, quæ officium longiùs progrediendi impediviſſet, Legatis fèlicem adventum gratulatus eſt. Præ caſtris obviam venêre, frequenti Moſchorum agmine ſtipati, Demetrii Oratores, Joannnes Pleſceiovus & Theodorus Unicovus, tituliſque Magni Ducis recitatis, gratum eſſe eorum adventum Magno Duci Demetrio nuntiarunt, ipſiúſque nomine quæſivere: recténe ſua Majeſtas valeret? Reſpondit Caſtellanus Præmiſlienſis: Grato animo Legatos accipere eam Domini illorum erga ſe volun-

Excipiuntur à Zborovio, deinde à Ruzynio.

Staniſlao Mniſzek.

Tum à Demetrii Oratoribus.

luntatem, fauſtáque viciſſim ipſi omnia apprecari. Tum caſtris ſubeuntes Demetrius unà cum conjuge è feneſtra palàm ſpectavit, & tamdiu curioſis oculis proſecutus eſt, quoad illi ad ſtationem Ruzynii, perhumaniter invitantis hoſpitali excipiendi menſâ, divertiſſent.

Humanitatis peractis officiis, poſtero die Ruzynius à Legatis compellatus de tempore legationis peragendæ, quam abſque ulla mora innoteſcere exercitui peroptabant: in mora quidem non eſſe militem reſpondit Ruzynius, orare tantummodo, ut id primùm honoris deferrent Legati Demetrio tanquam Magno Moſchoviæ Duci, cujus ipſi ſigna & auſpicia ſequerentur. Adhæc Legati: permitterent id & Regis voluntati, & ſuo arbitrio, præſertim cùm de ipſâ legationis peragendæ apud Demetrium ratione, cum univerſo inprimis exercitu conferre ſtatueréque vellent. Confeſtim milites collatis inter ſe capitibus decreverunt, audiendam eſſe legationem libere, quæ ad liberas copias à Rege & Domino

mino advenisset: condixeréque diem tertium, ad quem universi convenirent. Atque hic ubi illuxit, accepere summa cum observantia Legatos, deduxeréque extra castra, commodâ amplâque delectâ planitie, ubi omnes attenti, & ob reverentiam Principis cum supremo armorum moderatore Ruzynio stantes, Legatis assidere jussis, unum ex iis primarium Castellanum Præmisliensem perorantem audivere: qui posteaquam regii in Moschoviam adventûs causas, & cætera mandata quibus instructus erat, disertè exposuisset, mox totius exercitûs nomine veteranus miles Vitkovius ævi judiciique maturus, pereleganter respondit: Gratias agere Commilitones suæ Majestati, quòd amplissimam clarissimorum virorum ad eos misisset legationem, cæterùm polliceri se omnem grati animi debita cum veneratione significationem, vitam denique fortunásque suas Regi Patriæque libentissimè devovere, orare tantummodo eâ, quâ par est modestiâ, Legatos, ut legationis suæ mandata in scripto exercitui porrigerent.

Legati ab Exercitu Demetriano audiuntur.

Respondit iis Vitkovius.

Ac

Ac ea quidem quæ ad legationem pertinerent, in scripto se daturos pollicentur Legati, cæterùm authographum Instructionis regiæ minimè expedire illorum manibus permitti, quod suis tantùm Rex concredidisset. Subjunxit Zbarascius: Eam esse illius legationis summam, ut Legati, quod è re & commodo Regis ac Reipub. judicarent, quæque in gloriam exercitûs cessura essent, communicato utrinque consilio, statuerent.

Petunt milites in scripto Legationis mandata.

Negat Zbarascius.

Ita solutâ concione discessum, diversis animorum motibus, prout in diversa inciderant ingenia, quæ in tanta multitudine plerumque dissona. Et Ducum quidem animi pacatiores, eorúmque militum, quos avitæ nobilitatis tetigit decor; illorum non item, quos dulcedo prædarum stimulabat, ambiguæque domi res, proindéque turbas ex turbis serere soliti, nec aliter spirare poterant, nisi auram seditionum turbine concitatam, affatim hausissent. In hoc tantùm unanimes consensere, ut ad vigesimam primam Decembris, duo Commilitones ex quâvis centuriâ

Legatio diversis animorum motibus excipitur.

Diem tractando negotio præfigunt.

turiâ delecti comparérent, ulteriorem voluntatem ac desiderium Regis à Legatis cognituri, tunc verò & ipsi suas commodiùs aperturi essent sententias.

Aberat cum suis legionibus Joannes Sapieha, & ad Cœnobium Trinitatis pertinaci adhuc virtute hærebat, cui valido cum exercitu gravis imminebat Scopinus, Suyscianarum partium Dux, immoto adhæc Ruzynio nulláque submittente auxilia, quasi ex professo illinc ab hoste, hinc ab odiis privatis, quæ inter Duces orta æmulatio accenderat, oppugnari virum fortem dissimularet: Misère nihilominus Demetriani ad illas legiones, qui binos itidem ex singulis centuriis ad condictum tempus invitarent. Sed nec tum ulla tractandi negotii aderat felicitas; facillimè quippe comparuerat selectus ille miles contumacioribus instructus postulatis, tumidúsque: & cùm primùm proposuisset, ut Rex Severiâ & Smolensco à Demetrio accepto, placatus discederet, ab omníque penitus vi abstineret, quin suas copias ad recuperandum Imperium illius copiis

Compáret miles contumacioribus instructus postulatis, ad quæ singillatim Legati Regii respondent.

copiis adjungeret: respondisséntque Legati, minùs illos regiæ consulere dignitati, quæ non pateretur ejus in adipiscendo Imperio patrocinium suscipere, cui nullum jus, nulláque causæ æquitas suffragaretur. deinde nec dum adesse tantum Demetrio facultatis potestatísque, iis cedere ditionibus, pro quibus Moschi, tanquam de universo ageretur Imperio, hucúsque pertinacissimè dimicarent. pressi rationum pondere subticuêre aliquantum, mox redeunte audaciâ erumpunt acriùs, urgéntque vicies centenûm millium summam, quam ea, quæ hactenus in Moschovia meruissent stipendia, efficerent: Demetrii itidem ejúsque conjugis rationem habendam, flagrantissimè postulant; quæ duo si obtinerent, sine mora ad Regem se transituros pollicentur. Tum Legati: Enormi summæ quam tumidè perfidentérque jactarent, vix Indicæ classis sufficere opulentiam, nedum Moschoviæ bellis exhaustæ attritæque: nec Poloniam Peruanas aurifodinas habere, quò minùs è vestigio tantum, necdum satis probè expen-

fâ

ſà deductâque ſtipendiorum ratione numerare poſſet: ceſſarent proinde ea ingerere, quæ & facultatis & æquitatis excederent metam, neque eam cum Rege exercerent licitationem, cujus potiùs & Reïpublicæ, Patriæ ſuæ inſervire commodis tenerentur. Ad extremum, cùm ſex menſium emerita veteráque petiiſſent ſtipendia, nova verò in futurum trimeſtre ardentiùs popoſciſſent, & inſuper poſtulaſſent, ſi quid debitorum remaneret, ut obtento aſſertóque Moſchoviæ Imperio caveret Rex exercitui, conceſſâ tantiſper Severiâ, quæ certum redderet ſecurúmque prætenſi æris militem inpoſterum exſolvendi. Iniquum dixere Legati ea petere ſtipendia, quæ necdum meruiſſent, trimeſtre verò ante præſtitum ſervitium difficulter obtineri poſſe, ſi tenues ærarii rationes inſpicerentur: nihil æquius eſſe, quàm è ditionum Moſchoviticarum vectigalibus cenſúque requirere ac repetere pecuniam debitam, non tamen ut prætendunt, tot centenis millibus computandam, neque enim modus perſolvendæ ſuffi-

ſufficeret. Ita denique ſua moderarentur ſtipendia, prout ratio calculorum juſtè ac legitimè deductorum pateretur, & qualia hactenus regius miles acciperet, ſua verò non tam caro immenſéque æſtimarent. Quod verò ad donativum præmiáque attineret, in iis repetendis modum adhiberent, qui juſtas non excederet facultates, poſſibilíſque foret.

In hoc diſceptantium utrinque conflictu, ne legionum Subdelegati penitus ſe ſuccubuiſſe faterentur, differendum colloquium, rémque tam arduam ulteriori committendam deliberationi cenſuerunt, expendendam tractandámque adhuc communi ſociorum conſilio. *Vlteriùs milites deliberant.*

Non ceſſabant interim Legati Duces Tribunóſque prenſare, illis gratiam regiam offerre, hos largitione allicere, non ignari quò caput, eò & cætera membra inclinare. Qua in re luculentam poſuiſſe operam fertur Chriſtophorus Zbaraſcius, is & ingenium quo pollebat, & opes in largitiones impenderat. Præbuit ad animos Ducum occu- *Prehenſantur interim Duces Tribunique qui inter ſe diſcordes.*

occupandos occaſionem mutua æmulatio, quæ diſcordes fecerat, penéque apertis inimicitiis diſſidentes. Nuper enim Zborovius Ruzyniúſque ſingulari certamine conflixerant, qua ex arena Zborovius loricæ hamatæ beneficio, incolumis evaſerat, & Sapieha ſupremum Ruzinii militare imperium dedignabatur, nec Ruzynius Sapieham parem ferebat: hinc ſimultates, indéque magnis expoſitæ periculis legiones, fruſtra ſæpius auxiliares Ruzynii copias implorabant.

Et Scopini cum numeroſo exercitu advenientis certi, proindéque anxii.

Angebant quoque Duces enervatæ tot præliis vires, & Scopini metuebant potentiam, numeroſum exercitum recentémque, partim ex Moſchis conſcriptum, partim exterorum copiis auctum, ſecum trahentis, indiéſque graviùs imminentis, quem ſolus terror adventûs regii hactenus ſtiterat retardaverátque: aliàs periculum erat, ne ſumma cum ignominia & clade ſignum jam receptui dediſſent. Demetrii verò auctoritas apud illos nulla erat, nec reverentia quæ Principem deceret; pa-

palámque mores hominis & impoſturam deteſtabantur. Sed ſub prætextu larvati Principis, privatæ utilitati inſerviebant, ſtipendiorum ingentes ſummas totiúſque Moſchoviæ opes, quaſi debitas, ſpe devorantes. Hæc illos unica fœdere ſocietatéque ſtrinxerat utilitas, non verò reſpectus Demetrii, qui penè nullus. Namque & in ejus præſentiâ Ruzynius quendam è Polonorum præcipuis, aliàs exercitui inviſum, ipſi carum familiarémque pugnis ceciderat, deinde fulcro ſubalari, ita ut in partes frangeretur, atrociter exceperat, Demetrio in penetralia domûs fugâ ſeſe recipiente. Et Tyſzkievicius inter jurgia plura, illi objecit mendacia, verbáque contumelioſa ingenuo minimè toleranda ingeſſit. Sed nec Moſchis ignota erat illius perſona, qui Suyſcii tyrannide feſſi, mallebant impoſturam pati ſimularéque, quàm crudeli exponere ſeſe carnificinæ, ſummæque intemperantis dominationis libidini, exſpectabántque interim quem benignioris cœli ſuffragium, ipſorum admoveret Imperio.

 Et

Legati Moſchos adeunt Clementiam Regiam offerunt.

Et Legati quidem conſentiente annuentéque exercitu, in Moſchorum animis tractandis alliciendíſque non inſtrenuè ſe geſſerunt; advocatâque concione, quæ ex ſola ipſorum natione conſtabat, præſide Filareto Metropolite Roſtovienſi, & nonnullis præcipui Ordinis hominibus, expoſuerunt regiam clementiam benignitatémque id unicum intendere, nihílque Regi ad hanc diem armato, aliud in votis fuiſſe, quàm Imperium Moſchoviticum exſtinctis per fraudem dolúmque legitimis Sceptri hæredibus importunâ ambitione impoſtorum, ſumma cum Chriſtiani ſanguinis effuſione exagitatum, populóſque duro ſervitutis jugo oppreſſos, & Tyrannorum crudelitate dolíſque in fraudem inductos, ſuæ tranquillitati reſtituere, oppreſſíſque regium patrocinium porrigere.

Audiuntur placidiſſimè.

Audivêre lubentes plenam benignitatis regiæ legationem Moſchi, ac mixtis præ gaudio lachrymis, ad priſtinam felicitatem temporum anhelabant: oſculabantur nomen regium literis inſcriptum, quas Rutheno cha-

ractere & idiomate exaratas, inſpiciebant avidè, pectoribus apprimebant, denique præ lætitia geſtientes, æternum Numen ſupplices venerabantur, cujus beneficio optimus Rex expetitam illis temporum, velut è poſtliminio, reducere vellet tranquillitatem. Et quoniam gens mirè ſuæ religionis Græcæ tenaciſſima eſt, Romaníſque ritibus nulla capitalior hoſtis, non ceſſavêre Legati ſanctè polliceri, Regem nihil de antiquis illorum Privilegiis demturum, inſtillabántque partim omnibus, partim cuique primorum ſeorſim, eam unicam illi curam futuram, videlicet, tueri veteres illorum ritûs, augere Cœnobiorum reditûs, promovere in templis divini Numinis cultum, Sanctos Moſchoviæ Patronos venerari, nihílque denique permiſſurum quod illorum Religioni à majoribus acceptæ, adverſum foret.

Unicè illis cordi Græca Religio.

Quam ſanctè ſervaturum pollicentur Legati.

Atque in ea re potiſſimùm inculcanda laboravere Legati, ſeu primores alloquerentur privatim, ſeu univerſam multitudinem in publico, ſacramentóque etiam (ſi ita juberet neceſſitas) ſe obſtricturos pollicebantur.

tur. Etsi enim nullum animorum tenacius vinculum sit religione, sed quia apud Moschos in superstitionem versa, tantò stringit tenaciùs, quantò gens rudior, omnísque civilitatis ignara est: Ac intellexerant Legati Suyscium malis fraudulentísque artibus potentissimum, in Urbe, Imperii sede, ad conciliandum Regi odium exasperandósque populos sparsisse, illum non regionis sed religionis expugnandæ, templorum non urbium hostem, eversorem rituum, expilatorem Cœnobiorum in Moschoviam advenisse: quapropter nec literis regiis respondit, nec Consiliarios ad colloquium nostris exposcentibus Legatis misit; denique literas ad Clerum, Ordinésq; & primores aliquot per fidos nuncios à Legatis transmissas, suppressit, additis ad custodiam portarum urbis hominibus, quos illi vel sanguinis nexus, vel intima amicitia obstrinxisset, qui venientes excuterent rimarentúrque, ad illúmque omnia deferrent, ipsius arbitrio quæ sciri expediret, aut propalanda, aut supprimenda. Adeò meticulosa Tyrannis est, quæ

Contraria spargente Suyscio inculcantéque populo.

Is nec literis Regis respondet, nec Consiliarios ad colloquium misit, literasque ad Ordines missas suppressit.

quæ interni tortoris excitata flagello, nusquam tuta quiescit, sempérque anxia lictorem cervici impendentem circumspectat! Oderat Suyscium populus (quod nostris non leve attulerat momentum) pertæsus duræ servitutis, execrabatúrque ingenium subdolum, fallax, quod ad recenter acquisitam dominationem securiùs retinendam, ut rebatur, attulerat; in tantáque exacerbati vulgi inconstantia, lupum, ut ajunt, auribus tenebat. Erupêre sæpius in urbe tumultûs, palámque voces audiebantur inquirentium: num Legati regii in castris Demetrianis essent, quorum colloquium unicè exoptabant, Regi spes suas pacandi Imperii restituendæque libertatis palàm devoventes, intento adhæc Suyscio, & novo semper artificio populum vel deliniente, vel severiùs coërcente.

Et jam sanè apparebat in castris Demetrii eâ consuetudine & comitate Legatorum, quotidiè magis cohærere animos consentiréque. Ac milites quidem remissiores ad conditionum moderamen accipiendum videban-

Exercitus Demetrianus ad mitiora propendet consilia.

debantur; Moſchorum verò animi planè ad Regem propendebant, dicto etiam privatim in nomen regium ſacramento. Hinc Demetrius tam facili tranſactione Legatorum unanimíque conſenſu exterritus, totúſque anxius, cùm hinc & inde circumſpectaret conſilia, nec inveniret, relictâ Marinâ conjuge triſti, & ob abſentiam mariti contabeſcente, clam è caſtris Kalugam profugit, inde velut è ſpecula ſecuriùs præviſurus præſtolaturúſque, quid de ſe tandem ad extremum fortuna ſtatueret.

Demetrius militi diffidit, & clam fugit.

At vulgatâ in caſtris Demetrii fugâ, novus mox exoritur tumultus, & propè ſtationem Zbaraſcii Ducis, milites accurrunt veluti lymphati, invehuntur in Ruzinium quaſi Demetrianæ fugæ auctorem, nec in Legatos maledictis abſtinent, expulſoréſque Magni Ducis appellant, ſpretâ Tribunorum ac Centurionum auctoritate, turbidis vocibus omnia complent, nunc feroces vultu, minacéſque armis perſtrepunt, nunc ad Demetrii currûs accurrunt, excutiunt, & ſi quid auri argentíque ac ſupellectilis pre-

Novus inde in Caſtris tumultus exoritur, & in Legatos convicia ſparguntur.

pretioſæ lateret, diripiunt, omnia ſus déque miſcent, attentis interea ſecuritati ſuæ Legatis, cujus gratiâ legionem tam equitum quàm peditum ſibi circumdederant. Primus idque jam ſub veſperam tumultuantes compellare auſus Bucinius, egregii animi Centurio, deteſtari increparéque tumultûs auctores, qui non ex iis eſſent, quos nobilis natalium ſplendor, aut inſignis per præclara facinora virtus evexiſſet, ſed permitterent ſe ab iis impelli concitaríque, quibus neque lar neque focus eſſet, homines vanos, futiles, nuper ſutoriæ aut ſartoriæ tabernæ alumnos, ſolæ militiæ honore aſſumto inſoleſcentes, ſeſéque nobiliſſimo cuique exæquantes, tantúmque ſervis licere quantum illorum non auderent Domini: eos niſi compeſcerent, turbas ex turbis, diſſenſionéſque continuas, ac certam exercitûs ruinam exſpectarent. Bucinii ſermonem excepêre Mlocius & Jaikovius veteres Tribuni, eóque audentiores: ad extremum Dux Ruzynius, cùm longioribus verbis ſuam probaſſet innocentiam, pro imperio

Sedatur tumultus.

Per Bucinium pòſt & alios primores.

perio tumultuantes corripuit repreſſitque.

Vix miles turbidus reſederat, mox occultioris ſeditionis injectæ ſcintillæ novum promittebant incendium: literæ videlicet profugi Demetrii, quibus rediturum ſe ad exercitum ſignificabat, ſi novo iterum ſe Poloni obſtringerent ſacramento, déque Moſchis, qui fidem datam fefelliſſent, ſumerent ſupplicium. Kazimirſcius, notum per ſeditiones nomen, clam per contubernia ſpargebat literas, deferebátque. Atque id ubi compertum eſt, ſubitò edixere Duces ac Tribuni conſentientibus univerſis, ut, quicunque accepiſſet literas à Demetrio, eas confeſtim deferret in publicum cremandas, ſecus faciens & Kazimirſcii teſtimonio proditus, mortis pœnam ſubiret: eandem & ipſum manere Kazimirſcium pronuntiant, ni ab excitandis ſeditionibus inpoſterùm abſtineret. Ita in herba, quod ajunt, oppreſſa eſt ſeditio, & piaculari abolita eſt flammâ.

Edictóque cavetur talibus inpoſterùm ſeditionibus.

Sed & Legati tantæ vix patientes inſolentiæ, tumultuantes milites duriùs exceperant,

perant, itérque apparabant celeriùs, minimè eam laturi proterviam, quæ perſonæ, quam referrent Regiæ, gravem faceret injuriam. Leniti deinde accurrentium militum deprecantiúmque ſubmiſſâ veneratione, qui blando & in omnem reverentiam compoſito ſermone oravere: ferrent tantiſper breviorem moram, ſe paucos intra dies reſponſum Regiæ Majeſtatis voluntati accommodatum, daturos. Interim Moſchi poſt fugam Demetrii conſilio inito, exercitui Polono ſacramentum dixere, novóque ſe conſociavere fœdere, cujus capita & jurejurando, & appoſitis firmavere chirographis. Demetrio ampliùs fidem non habendam edicunt, ab exercitu nunquam ſe diſceſſuros cúmque eodem unanimi conſenſu conſilia ſua inituros, ad extremum, utriúſque fortunæ ſocios futuros ſe ſpondent: Inſuper Suyſcii Scopiníque conatibus animoſi unitâ virtute obviam ſe ituros obſtringunt. Cætera fœderis ac ſocietatis capita, promtum mihi referre foret, habenti præ manibus exemplar, ſed ſatìs erit præcipua retuliſſe,

Moſchi ſe novo Polono exercitui obſtringunt juramento.

liſſe, ne prolixa nimium narratio lectori tædium faſtidiúmque moveat.

Legati dimittuntur, abeúntque cum reſponſo modeſtiæ pleno.

Dimiſſi tandem Legati regii, applauſu militari illuſtres viros proſequente, Procerum verò Moſchorum fauſtâ comprecatione comitante, accepere reſponſum tuleréque Regi plenum modeſtiæ, ac clementiæ benignitatíſque erga ſe regiæ luculentiſſimâ refertum panegyri. Cauſas adventûs regii in Moſchoviam juſtiſſimas æquiſſimáſque profitentium, votóque ad Imperii Moſchovitici ſceptra proſequentium, iis appoſitis reſponſo verbis: *Quam in rem nos pro virili fortunas noſtras, ſanguinem, vitam denique, ſi deinceps gratiam clementiámque experti fuerimus, libenter regiæ Majeſtati devovemus: volumúſque labores hactenus exantlatos, fuſum cruorem, nos denique totos patriæ chariſsimæ, Regique Domino noſtro, conſecrare ac dedicare. Quam ob cauſam Legatos viciſsim ad ſacram Regiam Majeſtatem fratres & Commilitones noſtros mittimus, ſpe pleni, non paſſuros nos repulſam in iis poſtulatis, quæ illi eſſent porrecturi.*

Ita reſponſum à milite: à Moſchis non modò gratiæ Regi actæ, ſed ſpes etiam Imperii

perii Moſchovitici facta, ídque per Legatos quoque ſuos uberiùs aperiendum pollicebantur.

Marina quoque Regem literis compellat.

Et Marinam Demetrii profugi conjugem videbatur dexteritas Legatorum Regiis conciliaſſe partibus, quæ in clientelam regiam ſe velle concedere, miſſurámque Legatos & literas profeſſa erat. Ac Legatos quidem ipſius nuſquam comparuiſſe ſcio, literarum exemplar legi, quibus felicem Regi in Moſchoviam adventum gratulatur, proſperóſque vovet ſucceſſûs, de fortuna illudente ſibi, multoties queritur, quam nihilominus æquanimis ſummo rerum moderatori committeret, à quo deſiderata exſpectaret ſolatia. ultimo Regem ita compellat: *Omnia mihi adverſa fortuna eripuit, ſolam reliquit cauſæ æquitatem, ac jus ad Imperium Moſchoviæ munitum meâ inauguratione, firmatum receptione in hæredem, ſtabilitum duplici ſacramento, quod omnium Ordinum homines mihi dixere. Hæc ego clementi arbitrio, & graviſsimo Majeſtatis Veſtræ judicio alacris ſubmitto. Certa ſum Majeſtatem Veſtram pro eximia prudentia optimè judicaturam,*

E caſtris 15. Jan. 1610.

ram, pro integerrima conſcientia me familiámque meam, quæ negotium hoc tanto ſanguine tantiſque impenſis promovit, liberali regiâque ſuâ munificentiâ cumulaturam. Atque ea Majeſtati Veſtræ ad Imperium Moſchoviticum obtinendum, firmóque jure ac nexu retinendum, favente Numine, quod juſtitiam magnâ compenſat mercede, non mediocri ſunt futura adjumento.

Sed parùm ſinceris. Verùm nihil horum præſtitit pertinacis animi fœmina, ſpretâque Regis benignitate ac beneficentiâ, Impoſtori tenaciſſimè adhæſit. Et has ipſas literas invitam diſſimulantémque dediſſe, haud falſus ſum, ſuáque animi ſenſa callidè obtegentem; quippe in iiſdem, cum pleraque demiſſiùs ſcriberet, ut cliens ad Patronum, altos deinde exeruit ſpiritûs, & parem ſe Majeſtati, quam compellabat ferens, manu ſuâ appoſuit, *Sacræ Majeſtatis Veſtræ omnia fauſta gratulabunda Marina Imperatrix Moſchoviæ.*

Legatorum operam Rex probat. Redeuntium Legatorum operam ſolicitudinémque in tractandis promovendíſque negotiis collaudavit Rex, & ubique in caſtris fideliter & egregiè præſtiti officii perſona-

ſonabant encomia: cùm propera Staniſlaï Stadnicii Caſtellani Præmiſlienſis ejúſque legationis Principis mors, communem interturbavit lætitiam. Febri malignâ altero à reditu die correptus, fatis conceſſit, maximo omnium luctu: quippe vetuſtâ nobiliſſimâque Stadniciorum familiâ, geſtis magiſtratibus honoribúſque illuſtri ortus erat, deinde optimarum ſemper in Repub. partium habitus, regiæ dignitatis propugnator acerrimus fidiſſimúſque, cui egregiè navatam in bellis civilibus operam, unà cum Adamo Stadnicio Caſtellano Caliſſienſi fuſiùs non nemo expoſuit. Inde non poſtremum in gratia regia locum obtinuit, tantóque ei carior, quantò alacriùs vir militaris in Moſchovia bellantem ſecutus fuerat, adductâ legione, quæ è quingentis peditibus, centum velitibus, ducentis haſtatis, totidem Hungaris conſtabat. Prudentiâ non vulgari præditus erat in tractandis negotiis, dexteritate & eloquentiâ ſingulari, dignus longiori ævo, ſi vota hominum, arrectis non ſurdis auribus, exciperet immitis fati neceſſitas.

Stadnicius Caſtellanus Præmiſlienſis moritur. 17 Feb. 1610.

Ejus elogium.

Lubienius lib. Mot. Civil.

Cir-

26 Febr. Circumlatum in castris cadaver, militaríque pompâ defletum est; ac ibidem, justis magnificè persolutis, deportandum in Russiam reddendúmque gentilitio tumulo, eduxere legiones incomtis signis, versis armis, comitante Supremo Copiarum Duce Zolkievio, Tribunis cæterísque primoribus mœstis, ultimo pietatis honorísque officio mortuum condecorantibus.

HISTORIÆ VLADISLAI POLONIÆ ac SUECIÆ PRINCIPIS,

LIBER QUARTUS.

STatuebat jam fortuna Vladislao initia causásque Imperii, quas per Legatos regios Ducibus Tribunísque exercitûs Demetriani suggesserat, Moschorum animis jam præparatis feliciterque in partes transeuntibus, præsertim fastidio utriusque Principis, quorum dedecus apertiore indies famâ noscebatur: neque aliud in promtu inveniebant remedium, quàm si unus præpoténsque legeretur, in cujus sinu securiùs tutiúsque Imperii status con-

Vladislao sternit fortuna viam ad Imperium Moschoviæ.

Suyscii & Demetrii.

quiescerent. Augebat gloriam Vladislaï regia indoles, adolescentiæ decor, Majestásque haud tristi severâque cincta formidine, & inclinatis penè omnium animis, ipsa etiam adspirabat felicitas.

Moschorum Legati ad Regem veniunt.

Aperuit tandem affectum desideriúmque ultrò Principem expetentium, missa per hos dies ad Regem honorifica & insignis Moschorum Legatio. Quadraginta duo Legati fuêre, quem numerum præcipui Senatores, Provinciarum Præfecti, Notarii, Consilii à secretis, Dapiferi, Aulici ex urbe primaria, cæterísque conficiebant: auxit splendorem ac magnificentiam, selecti numerosíque famulitii comitatus. Et Rex de propensa erga se voluntate Moschorum admonitus, statuerat omni officiorum genere Legatorum animos demereri: cujus jussu processere obviam venientibus, levis armaturæ militum signa quinque, deinde hastatorum equis armísque insignes aliquot centuriæ, postremò occurrêre Joannes Sapieha Slonimensis Præfectus, Magni Lithvaniæ Cancellarii filius, & Jacobus Potocius Albi

Splendidè.

Ducenti & undecim famuli.

Excipiuntur præ castris ab equitum turmis.

bi lapidis in Livonia Gubernator, aulicorum ac multorum nobilium frequenti stipati globo, inter quos medius ibat Princeps Legationis Michaël Solticus, deinde verò singulorum Legatorum latera, viri è nobilitate primarii bini, adequitantes cingebant. Tum festo ornatu militaríque pompâ regio nomine salutatos, ad Trinitatis Cœnobium stationi ipsorum destinatum, deduxere.

Vaisteníum.

Introducuntur ad Regem 31 Jan:

Jámque post quatuor dies quieti datos, pari magnificentiâ comitantium deducentiúmque splendore in conspectum Regis venere, auditíque in amplissimo Senatûs consessu, frequentíque aulæ adstantis militúmque coronâ. Allocutus Regem Michaël Solticus princeps Legatus, faustísque comprecationibus & suam Majestatem, & Principem Vladislaum absentem veneratus, generatim exposuit causas Legationis adventûsque; quarum non postrema esset pietas Regis Christiana in avertendis sistendísque Moschoviæ calamitatibus, delatâque operâ, quam demissè actis gratiis eo exciperent animo, quem tam benigni Principis spe-

Alloquitur Solticus.

ſpectata mereretur clementia: deferre ſe libentes Majeſtati regiæ, Moſchoviæ ſuâ mole ruentis, patrocinium, unáque velle de ſumma totius Imperii & colloqui, & aliquid ſtatuere decernereque: Excepit patris ſermonem Joannes Solticus filius Legatorum alter, & poſtquam Patriarchæ, Cleri, omniúmque Ordinum Moſchoviæ nomine, Regi ac Vladiſlao feliciſſima detuliſſet vota, recenſebat longâ oratione Magnorum Moſchoviæ Ducum ſeriem, exorſus à fabuloſo quodam Rurico Auguſti Cæſaris cognato, uſque ad Theodorum Joannis Baſilii filium, & Demetrium fraude Goduni ſublatum, ultimos regnatricis ſtirpis hæredes, à quorum obitu viciſſitudines cladéſque Imperii referentem, velut ex condicto Dux Baſilius Maſalſcius primæ notæ Legatus juvit; retulítque, Regem non abſque præſenti Numinis benignitate in Moſchoviam armatum veniſſe, velut ſacram in procelloſo tumultuantis Moſchoviæ Oceano anchoram, in qua tandem aliquando tantis agitata penéque merſa fluctibus Imperii navis

pòſt & cæteri ſingillatim.

navis quieſceret. Subjunxit Joannes Paraſovicius Protonotarius: Quandoquidem Regem ſupremi Numinis favor cruentarum contentionum deſignaret arbitrum, orare ſupplices Patriarcham, Clerum, totiúſque Moſchoviæ Ordines, ſuſciperet curam Religionis Græci ritûs, conſervarétque intactam, tueretúrque, quam tot ſæculis majores ſui inviolatam ſanctiſſimè coluiſſent: adſpiraturos benigni cœli favores, conceſſuróſque Regnorum incrementa, eundémque Regis ac Principis Vladiſlaï gloriæ terminum, qui & maris eſſet, futurum: Hæc dicentem iterum interpellavit Michaël Solticus, & rejectâ omni verborum ambage, diſertiſſimis iíſque brevibus verbis Principi Vladiſlao Imperium totius Moſchoviæ detulit, ſi Regis accederet voluntas & conſenſus. Interruptum ſermonem continuavit Paraſovicius, diſſeruítque, quantum civibus decoris emolumentíque accederet, ſi Vladiſlaüs delato ſibi potiretur ſceptro, quo Principe Moſchovia ac Polonia in unum amicitiæ conjunctioníſque coaleſcens fœdus,

Interpellat dicentes Michaël Solticus, & Principi Vladiſlao Imperium Moſchoviæ defert.

Continuat ſermonem Paraſovicius.

dus, hoſtibus ingentem adferret metum. Ad extremum concluſit: conceſſam eſſe ab Ordinibus de ſummâ Imperii religionîſque tractandi facultatem, Michaëli Soltico, Joanni ejus filio, Duci Baſilio Maſalſcio, & quidquid illi ſtatuerent, ituros in eorum ſententias Ordines, probaturóſque.

Ad Legationem Moſchorum reſpondet nomine Regis Leo Sapieha, Cancellarius Lithvaniæ.

Ad ea quæ prolixè (ut mos eſt gentis multa & præcipitanter loqui) Legati dixerant, Regis nomine reſpondit Leo Sapieha, Cancellarius Lithvaniæ: Lætari Regem de eorum adventu adventûſque cauſa, libentérque excipere tam honorificam, quam ad eum miſiſſent Ordines, legationem, non defuturum ſe eorum commodis, eóque complexurum patrocinio ac favore religionem templáque ritûs Græci, quemadmodum Chriſtiani Regis exigeret pietas, & illorum tam prona propenſáque erga ſuam Majeſtatem ſtudia. Et quoniam tanti negotii quod adferrent magnitudo, ulteriori indigeret deliberatione, maturóque conſilio; permitterent id ſequentibus diebus, quos eï tractando, unà cum Senatoribus viríſque primariis,

mariis, deſtinaret. Ita benignè regio excepti reſponſo, ad ſuam ſtationem, præeuntium comitantiúmque nobiliſſimâ cincti coronâ, rediere.

Altera Legatio exercitûs olim Demetriani.

Secuta mox alterâ die Legatio, miſſa ab exercitu olim Demetrii, auditáque adſtantibus Stabrovio Joannis Sapiehæ ipſiúſque legionum, Jaikovio verò Orzechovio, Chruſlinio, earum quæ ad Moſcuam urbem conſederant copiarum, nomine. Et Chruſlinius ſermonem orſus: Adferre ſe ab exercitu debitam Regi Dominóque fidelitatem, ac pro ut obſequentes deceret ſubditos, ſupplicem venerationem: adferre & ſpes omnes, partam gloriam, fuſum cruorem, impenſas, quas pedibus Majeſtatis ſubſternerent, ſuæque clementiæ ac benignitati libentes volentéſque concrederent. Acciperet itaque alacri lætóque vultu tam propenſam ſubditorum ſuorum voluntatis teſtificationem, paternâque illos foveret clementiâ, cujus fructus penderet ex faventi, ſuis quæ porrigerent poſtulatis, reſponſo, regiâque quam præſtolarentur munificentiâ.

Chruſlinio perorante.

Col-

Respondet Rex per Kriſcium ViceCancellarium Poloniæ.

Collaudavit Rex per ViceCancellarium Kriſcium fidem integritatémque exercitûs, quam majorum ſuorum inſiſtentes veſtigiis, Regi Dominóque ſuo teſtarentur, gratularíque ſibi eam temporum felicitatem contigiſſe, de quâ olim Avus ipſius gloriari ſolitus eſſet: ſe videlicet tam fidos obſequentéſque cernere ſubditos, in quorum ſinum, & dignitatem regiam, & incolumitatem tutò reponere concrederéque poſſet. Pergerent conſtantes in ea quam deferrent fide, nunquam eos in ſuſcepto conſilio à benignitate Regis fallendos, qui & poſtulata eorum ſeriò inſpecturus eſſet unà cum Senatu, habiturúſq; eorum rationem, quantum & ipſa res, & clementia expoſceret. Quæ verò illa fuerint, & cujuſmodi tulerint reſponſum, ſuo notabimus loco: namque Moſchoviticæ legationis progreſſus me avocat, quem ut non interruptâ ſerie lector cognoſcat, facturum me operæ pretium exiſtimo.

Sigiſmundus Primus Rex Polon.

Et Legati quidem non cunctandum rati, celeriúſque ſuæ proſpecturi Moſchoviæ, Kalendis Februarii horis antemeridianis ad ſta-

ſtationem ViceCancellarii Regni Felicis Kriſcii conveniunt, ibi Senatu præſtolante paratóque colloqui, mox initium dicendi faciunt: Extinctâ imperatrice Moſchoviæ Ducum ſobole hæredibúſque, eam primam ac unicam fuiſſe omnium cogitationem, ut è Sigiſmundi regnatrice domo, Dominum ſibi adſciſcerent, qui novam Ducum familiam felicibus auſpiciis repararet, & poſt ſera fata throni ſceptríque relinqueret hæredes. Adeſſe hîc ævi maturum, Magnorum Ducum familiarem, arcanorúmque totius Moſchoviæ conſcium, Michaëlem Solticum, quem tanti conſilii indubitatum advocarent teſtem. Obſtitiſſe primùm tam præclaris cogitationibus Boryſſii Goduni ſævam tyrannidem, occupatúmque peſſimis artibus per cædem ultimi hæredis ſolium, toleraſſéque Moſchos tamdiu impotentem animi cunctáque ſuperbiâ ac libidine metientem Dominum, quoad impoſitum cervicibus jugum Supremi Numinis clementia non depuliſſet. Ac viventi quidem adhuc oppoſitus erat falſus Demetrius, hære-

Legati Moſchorum contenta legationis ſuæ apud Senatores exponunt.

hæredíſque nomine inſolens impoſtor, qui Boryſſium raptorem Imperii ad mortem compulerat; at ipſe mox affectati per nefas Regni, populis pœnas dedit: cùm cæſus, raptatus, laniatúſque, non ingrata populis victima concidit. Hæſiſſe tum in animis Moſchorum deſiderium Vladiſlaï Principis, eadem illa recurriſſe ſuffragia, quæ illi Majeſtatis inſignia deſtinarant, ni iterum prodiiſſet Baſilius Suyſcius, habenáſque Imperii arripuiſſet, magna cum nobilium Polonorum clade, quorum cruore ſatiatus, impiam manum ſceptro admoviſſet. Cohorruiſſe ad tam audax facinus Moſchoviam, fuiſſe nonnullos tam generoſæ excelſæque mentis, qui indignum judicarent Imperio, palámque id objicerent: & Theodorum Juanovicium vulgaſſe ſparſiſſéque per urbem libellos, quibus prædixiſſet, penès ſolam Regum Poloniæ ſtirpem tranquillandi Imperii reſtituendæque libertatis, manſuram gloriam, ſi ei ſe regendam permitteret Moſchovia. Jam verò & Timotheum in Suyſcium palàm invectum, cædem Polonorum expro-

exprobraſſe, unde vel maximam tot ærumnarum periculorúmque arceſſiviſſet occaſionem: eam quidem loquendi libertatem vitâ conſtitiſſe Timotheo, Proceres nihilominus memores ſui priſtini conſilii, eò magis de ſumma rerum cogitaſſe, quantò duriori preſſi eſſent ſervitute, cujus tandem aliquando impatientes, redivivo iterúmque emergenti Impoſtori adhæſiſſe, ſecutóſque partes non æquitate cauſæ, quam nullam haberet, invitatos, ſed mero Suyſcii odio adactos, tam diu reï bene gerendæ momenta, & expediendorum ſuorum conſiliorum, tranquillandíque Imperii occaſiones, in quas intenti forent, præſtolantes.

Atque dum Regium in Moſchoviam adventum exſpectarent, communicaſſe illos ſua conſilia per ſecreti conſcios cum iis, qui in Urbe principe manerent, conventúmque fuiſſe, ut hi quidem ſuum Tyrannum, illi verò Impoſtorem è medio tollerent, junctíſque viribus & animis Regiam advocarent imponeréntque Moſchoviæ regendæ ſtirpem. Neque verò evanuiſſe illam apud

Suyſcium & Demetrium impoſtorem.

apud Moſcuæ incolas cogitationem; quæ, etſi tantiſper fatis ita jubentibus premeretur, venerari nihilominus Regem, & afflictis Imperii rebus propitium optare exſpectaréque. Se verò ſtatim ab adventu regio in has terras ditionéſque aperturos fuiſſe pronas voluntates, ni Impoſtoris conatûs, junctæque Polonorum vires, obſtitiſſent. Poſteaquam verò Legatio à ſua Majeſtate miſſa, exercitum partibus regiis adjunxiſſet, & Patriarcha cæteríque Ordines compellati fuiſſent, tantò alacriùs ſe voluntates animóſque declaraſſe, quantò ardentiùs id à tanto tempore expetiiſſent.

Ad extremùm petunt ut è ſtirpe Regiâ Magnum Ducem legere poſſint.

Jam, cùm & tempus, & occaſio, & animi conſpirarent; orare ſe, ut è ſtirpe regia Magnum Ducem legere liceret: quoniam verò Rex ampliſſimis præeſſet Provinciis, quæ illiùs præſentiâ carere non poſſent, nec Moſchoviâ vicarium regimen pateretur, concederet Rex petentibus Moſchis Vladiſlaüm filium, in quem omnium inclinarent vota. Accepturos hilares feſtóque apparatu populos expetitum Monarcham, aper-

turas urbes, arces, munitionéſque in ſui Principis obſequium, portas, veneraturum Patriarcham & univerſum Clerum divinitus ſibi conceſſum datúmque Ducem; annueret duntaxat Rex totius Moſchoviæ poſtulatis, præcideret moras, iret in penetralia Imperii, admoverétque exercitum urbi primariæ, recrearet copias Polonorum, quibus recens validúſque inſtaret hoſtis, oſtenderet ſe partium Ducem, liberaret metu Cives, cum quibus eò tutiùs fidentiúſque in armati Regis præſentiâ colloqui mutuóque conferre poſſent, ſperaréntque maximam omnium acceſſionem propenſionémque, caſurum inviſum Suyſcii caput velut piacularem victimam, eſſe modos occupandæ urbis, quâ captâ, inſeſſâ, oppreſſóque Suyſcio, & Smolenſcum quod tantis oppugnatur viribus, & cæteræ arces, velut ſuæ metropolis appendices, frænum imperiúmque Regis eſſent accepturæ. *Moſcuæ.*

Senatores audiunt Legatos placidiſſimè.

Non ingrato ſermone Moſchi audientes tenuere Senatores, ea enim afferebant, quæ & Regi immortalem nominis gloriam compara-

pararent, & Poloniæ maximas emolumentorum accessiones pollicerentur, præsertim si hæc à Patre, Moschovia verò à filio regeretur: namque præter dulcissimi sanctissimíque affectûs vinculum, si tam arcto conjunctionum societatísque nexu colligarentur Imperia, & quid ad summum potentiæ restaret fastigium.

Polonia.

Probant illorum consilium.

Probavere itaque Moschorum consilium, eámque in patriæ suæ rebus turbidis solicitudinem: sed quoniam gravissimum proposuissent negotium, quod & diligenti indigeret trutinâ, & regiæ Majestatis exploranda esset primùm voluntas, differre se responsum tantisper, oraréque, ne Legatis tædio fastidióque aliquot dierum mora esset, quos mutuis interim darent consiliis, ex spectarent interea ab optimo Rege omnia fausta, à cujus conspectu se non recessuros tristes confiderent.

Rem ad Regem defferunt maturiùs expendendam.

Atque, ut Regi Regnóque gloriosissimum, omnes censebant vocari ad tam potentis Imperii regimen juventutis Principem, spémque totius Christianitatis Vladislaüm

Vocari Vladislaum ad Imperium magnæ id gloriæ esse censent.

slaüm; sed quia gens ut cœlo, ita moribus asperior: hospitibus inimica, externorúmq; impatiens, variâ fide inconstantíque secretos sensûs calliditate provocans, astuta magis quàm ingeniosa, suspicionibus obnoxia, propè omni humano generi insociabilis, atque cum exteris omnia sibi intuta reputans: idcirca circumspicienda primùm omnia per tentandáque, censebant Senatores, cautóque cum iis procedendum consilio, qui in eventum loquerentur, & clandestinam animi sinceritatem in experimentum tantùm aperirent. Facile esse magna Imperia oblata capessere, retinere verò firmaréque plenum opus laboris, præsertim ubi civium suspectus candor, quibus suffragium aut aliena tyrannis, aut certè tempori serviens expressit inconstantia. Non tamen negligendam quam Superi monstrarent ad arripiendum Imperium viam, bonis omnia superari posse consiliis, retinendum vocantium favorem, faciliùs quippe in amorem obsequiúmq; externi Principis ituros, quàm suis, quos nausearent, parituros; cùm præsertim

Circumspectè tamen agendum suadent Senatores, & cur?

ſertim nullus Succeſſor hæréſque, cui legitima reddi deberet veneratio, compareret.

Moſchis à Rege datur reſponſum.

Poſt maturas itaque Procerum cum Rege deliberationes, ad poſtulata Legatorum id nomine Regio reſponſi datum. Amplecti Regem non ſine grati animi teſtificatione tam propenſum erga ſe Domúmque ſuam regiam Ordinum Moſchoviæ ſtudium; ac ut multoties jam palàm profeſſus eſt, non acquirendi expugnandíque Imperii cauſâ, veniſſe ſe armatum, licèt multis graviſſimíſque à Suyſcio laceſſitum injuriis, ſed tranquillandi ſiſtendíque ſanguinis, quem tam atrociter fundi pietas Chriſtiana compateretur, ita & nunc hoc unicum cordi eſſe, agitatum nempe ſeditionibus Imperium priſtino reddere ſplendori, coërcitis iis, qui vel illud nefariè ambirent, vel pro libidine impotenter dominarentur. Quoniam verò ultrò Vladiſlaüm Principem, filium verò ſuum, tam ardentibus expoſcerent votis, non adverſaturum ſe illis, ſi ita ſupremo cœli terræque Arbitro, per quem Reges regnant, viſum fuerit: accederet quoque

Vladiſlaüm filium (ſub conditione tamen) non denegat.

que conſtans & unanimis omnium conſenſus, réſque Moſchoviticæ ex tam immenſis turbarum fluctibus emergerent, pulſâ nebulâ ſereno deinceps cœlo, novo ſplendore benignioréque cinctum radio ſolem, tunc fortunatiùs illis exoriturum.

ſubſidiarias legiones pollicetur.

Copiæ ad urbem Moſcuam ut promoveantur, optimo id illos flagitare conſilio, atque hoc vel maximè Regem intendere, ut primariæ urbis incolis quamprimum innoteſceret, pietate potiùs quàm efferâ dominandi cupidine armatus Princeps. Sed reſtare adhuc nonnulla negotia cum ipſorum natione tractanda perficiendáque, & exercitum illum olim à Demetrii ſtantem partibus, necdum conquieviſſe, avidéque exſpectare, quem poſtulatorum ſuorum fructum Legati ipſorum allaturi eſſent. Ituras nihilominus brevi auxiliares legiones, præceſſuráſque ante regium adventum, cui maturando adhiberet Rex ſingularem diligentiam.

Benigno Regis reſponſo erecti in meliorem ſpem Legati, certíque quem expetierant

Moschi conditiones Vladislao proponunt sat difficiles.

rant Principis, (quanquam ambiguis verbis stetisset promissum regium) de conditionibus seriò agitare cœperunt, è quarum præscripto Vladislaüs Imperium sumeret administraretque. Atque eas difficillimas proposuere, obfirmatis videlicet animis suæque religioni pertinacissimè inhærentibus. Namque summâ id agebant contentione, urgebántque, ut imperaturus Princeps ejuratâ Catholicâ Romanâ Græcam profiteretur religionem, sumerétque diadema & insignia Imperii è Patriarchæ totius Moschoviæ manu, cui inaugurandi Magnos Moschoviæ Duces, veteres usitatíque competerent ritûs. Deinde ut ea, quæ ad religionem & Ecclesiam pertinerent, sanctissimè servaret, nullâ re adversùs illam unquam permissâ, nec templa nova erigeret, quæ extraneam præ se ferrent pietatem. Et hæc quidem illi summo zelo summóque ardore contendebant, quantò verò suæ tenaciores sunt superstitionis, in qua non remedium & salutem, sed oblectamentum quoddam reponunt, tantò magis nostris facessebant

Inter quas durior ea, quæ Religionem spectabat.

Summo zelo contentionéque promovebatur.

bant negotium, résque in irritum casura videbatur, quam tam magno inchoassent molimine: post varios tandem verborum magis quàm rationum conflictûs, & quindecim dierum ultro citróque habita colloquia, Moschorum animos subinde hærentes, subinde propositi tenaces, dexteritate suâ Senatus ad eam, quæ secuta est, moderationem conditionum inflexit.

Octodecim capitibus illæ comprehensæ sunt, lectæque præsente Rege & Legatis. Quoniam verò paucis pôst interjectis Mensibus non absimiles intercessêre cum Zolkievio Supremo Copiarum Regni Duce ad urbem Moscuam, sacramentóque firmatæ fuere, idcirco ab iis recensendis supersedeo, facturus illorum disertam mentionem, ubi narrationis meæ seriem ad ea deduxero tempora. Quid tamen Rex concesserit Legatis in materiâ tam solicitè anxiéque propugnatæ religionis, breviter jam exponam.

Cæteræ conditiones alio loco dicentur.

In materia Religionis quid Rex concesserit.

Quod attineret ad Patriarcham, cujus esset officii Ducum Moschoviæ capita patrio evincire diademate, ambiguè respondit:

ditur: Annuere se, si ea supremi Numinis voluntas fuerit, Vladislaum filium pacato suæque plenè restituto tranquillitati Imperio præficere.

Ac primùm de Patriarcha.

De Templis & fide.

De Templis ritûs Græci retinendis fidéque Orthodoxâ in pristino conservandâ splendore, de non immutandâ hactenus receptâ Sanctorum Apostolicorúmque Virorum doctrinâ, de non admittendis Romanis aut Lutheranis Doctoribus, qui suam inveherent religionem, de reverentiâ in templis servandâ; nempe, si quem Romanæ devotioni addictum ea intrare contingeret, ut ad modestiam potiùs omnem se componeret, quæ Christianum deceret, non verò superbis ac curiosis oculis hinc vel inde divagaretur, capitéque operto, aut importunè sedendo, Divino officio quidpiam detraheret honoris ac venerationis. Responsum: non derogare quidquam huic postulato Regem, illud modò tantùm addere: cùm homines Romanam Catholicam fidem professi, templo indigerent, qua de re Boryssii temporibus consilium habitum fuisse constat; nunc

Rex postulat, ut unum templum pro Catholicis extrui possit in urbe.

nunc quoque agendum esse cum Patriarcha ac universa Synodo Ordinibúsque, ut pro Catholicorum præsertim Polonorum ac Lithvanorum pietate exercendâ, templum ad minus unicum in urbe primariâ erigeretur, assignaretúrque locus eïdem vicinus ædibus sacerdotis, qui divina procuraret officia. Quodsi quispiam è Ruthenis templum Catholicum ingredi vellet, faceret id pari timore ac reverentiâ, quam ipsimet à Polonis Lithvanísque exigerent. Cogere quempiam ad deserendam Græcæ religionis professionem, alterámque sumendam, procul id esse à voluntate regia, ipsiúsque Majestatis filio, fidem, utpote donum Deï, suadendam potiùs, quàm violentis inducendam modis, existimante.

Acquievere Legati facilitati regiæ, & præ gaudio erumpentibus manantibúsque lacrimis testabantur animorum candorem; qui, etsi apud fallacem gentem suspectus esse posset, tunc certè integer comparuit: sive illum clementia regia, sive non aliud tunc intestinis dissidiis malísque opportunius

Legati conquiescere videntur.

nius elicuiſſet remedium. Id verò præcipuè viſum in convivio regio, quod illis in Caſtrenſi bello magnificum inſtruxit: ubi exhilaratis exquiſitioribus epulis, ſingulis pro dignitate cujuſvis propinabat Rex, unuſquiſque verò ſurgens accedebat ad menſam altiùs eminentem, éque manu regia poculum ſumens, Regi, Reginæ, ac Principi Vladiſlao incolumitatem fauſtáque omnia, demiſſo in venerationem vultu corporéque, precabatur.

à Rege epulis excipiuntur.

Regium exemplum ſecuti Proceres Staniſlaüs Zolkievius Supremus Copiarum Dux, Leo Sapieha Magni Ducatûs Lithvaniæ Cancellarius, Felix Kriſcius Regni Poloniæ ProCancellarius, certatim illos ad convivia, menſæque opiparæ inſtructæ hilaritatem evocabant, gentíſque genium aliàs ſuâ ruſticitate duriorem, politiori morum temperie ſplendidóque apparatu molliorem urbanioremque reddebant. Et apparuit profectò quantum in animis hominum exerceat lenocinium, comitas, ſi præſertim ad eam facilis benignáque condeſcendat Ma-

Iiſdem primores convivia exhibent.

Capiuntur eâ comitate.

Majeſtas. Certè obviâ illâ Regis comitate Moſchorum Legati emti manûs dedére, auxeréque famam, extollentes deprædicantéſque Principem, cujus patrocinio ſe ſuáque crediddiſſent. Et quandoquidem ſæpius in urbe tumultuatum eſt, crediderim ego id illos egiſſe, concitaſſéque immittentes ibidem fidos factioſóſque, qui inſuſurrarent perſuaderéntq; populo, pacis intereſſe, ad Regis clementiſſimi filium Vladiſlaüm, omnem quantocius deferri poteſtatem.

Proniores inde ad Vladiſlaüm, quem ubique deprædicant, & in ipſa urbe.

Jámque illius encomiis & privatim & publicè perſonabant omnia, fremente Suyſcio, qui partim Gallicinum virum primarium gratúmque populo res novas molientem timeret, partim diffideret Scopino, Suyſcio patrueli ſuo, armorúmque celebri Duci, quæ hactenus ſumma cum gloria per univerſam circumtuliſſet Moſchoviam, formidandúſque impoſtoris Demetrii exercitui fuiſſet, cujus aut diſtraxerat, aut attriverat vires. Maximè tamen Scopinum ſuſpectum reddidit magnificus ſplendidúſque, triumphantis adinſtar, in urbem ingreſſus, cui advenienti

Suyſcio fremente, qui Gallicinum timet, & Scopinum ſuum patruelem, celebrem armorum Ducem.

Ob populi in eum nimium favorem, quem in Vrbem triumphantis more ad venientem ægerrimè fert.

nienti processere obviam Nobiles, portísque omnis ætatis ac sexûs effusa multitudo more patrio salem panémque obtulit, (qui mos Principes salutandi aut certè dedendi sese victori apud Ruthenos obtinet) geminatísque vocibus Patrem Patriæ, assertorem publicæ libertatis salutavit. Perculit ea Scopini veneratio Suyscium, cujus se haberi viderique socium ægre tulit; interim pressit dolorem, misítque qui venientem invitarent, ut rectà ad palatium contenderet.

Mox ad se vocat,

Paruit ille, exceptúsque à Suyscio amico & ad hilaritatem composito vultu, mox laudavit insignem ejus operam, quam sibi patriæque suæ fortissimè impendisset, illud se mirari, quod contra tam propinqui sanguinis jura sacramentíque præstiti observantiam, subditus tantùm auderet, acceptarétque deferentis sibi populi Imperium, illúdque tam ardenter concupisceret, & eapropter vitæ suæ insidiaretur.

Et Regni affectati insimulat.

Respondet Scopinus libere.

respondit Scopinus: *Nunquam sibi venisse in mentem tam præposteram immanémque adipiscendi Imperii ambitionem, tibi verò Dux suadeo, non meâ sed communis publi-*

publicique boni causâ, ut depositâ purpurâ ac diademate privatus quiescas, quòd Regis Poloniæ sanguini destinarent fata: cernis adversam tibi tuisque conatibus ubique fortunam, vides fessos calamitatibus populos aliud spectare Sydus nostræ amicum Monarchiæ, animadvertis impediri armorum progressûs, nihilque certiùs quàm, te imperante, toti Moschoviæ ultimam impendére ruinam. Dissimulavit audacem Scopini sermonem Suyscius, móxque reposuit verbis more suo subdolis: *Nec mihi mea salus carior est boni publici curâ, miserum est illud sceptrum, quod trepida tenet manus, subit imperandi nausea, ubi continuæ Regnum affligerent jactaréntque calamitates. Deponam hanc equidem libenter purpuram, quam anxius meæque cervici impendentis gladii vix securus gesto, sed pellendæ ejiciendæque sunt primùm Polonorum è Moschovia copiæ, tum demum libertatis vestræ erit, liberis Dominum adsciscere suffragiis.* Et Scopinus brevi fraude Suyscii clàm veneno sublatus interiit, populus nihilominus haud quievit, passimque crebrescebant in urbe voces tumultuantium civium: relinqueret Suyscius Imperium, permitterétque Vladislao Sigismundi Filio

mox sublatus veneno; & populus haud mitior in Suyscium insurgit.

lio

lio meliori omine felicioribúſque auſpiciis adminiſtrandum.

Tollere vult, quo ſtratagemate.

Et feſtinatione vota prævenire cupientes, ejuſmodi Suyſcii aut interficiendi, aut captivi detinendi ineunt conſilium. Erat Moſaïſci Divi Nicolaï Mirhenſis Præſulis ſimulachrum, accurrentium totius Ruſſiæ veneratione famâque inclitum, humanam non excedens ſtaturam, ſolido conflatum auro, gemmíſque majoris pretii conſpicuum: illud ſuadent quantocius in urbem referre, utpote rapinæ militari expoſitum, quam & dives metallum, & tot appenſa donaria accenderent. Aſſentitur Suyſcius, miſſíque homines qui adveherent, iis verò unius horæ ſpatio ab urbe diſtantibus, orant iterum, ut Dux cum Primoribus Senatúque ſupplex ad implorandas Patriæ Tutelaris preces placandúmque Numen, obviam procederet, comitaretúrque Divi effigiem in urbe deponendam. Paruiſſet jam Suyſcius, ſed monitus ne pedem efferret, aliàs, in regreſſu aut portas claudendas, ſéque vinctum detinendum, aut certè cadendum ſibi eſſe, ſciret: deſti-

deſtitit à propoſito, dolóque cognito, ejus inſtructores conſcióſque partim crudeliſſimæ addixit morti, partim bonis ac fortunis exuit.

Vladiſlaï nomen ubique Moſchi adorant.

Atque hic quidem in urbe animorum habitus fuit, nec dubitatum apud Provincias, quarum pleræque Vladiſlaï adorabant Nomen, faciléſque in obſequium tranſibant. Et præſentibus Moſchorum Legatis venerant per hos dies in caſtra Proceres ſexdecim, qui Civitatem Rzovam Vlodzimirienſem, ampliſſimúmque territorium Regi dederent, ipſi verò ſe ſuáque omnia ejuſdem permitterent poteſtati. Principes dedentium fuere Dux Leoncius Jackovius, & Gabriël Chripunus, arcis totiúſque ditionis Præfecti, quos uſitato vocabulo Palatinos vocant, in quibus Regi conciliandis laudem tulit Alexander Goſievius Præfectus Veliſienſis, tractandi cum Moſchis vetus gnarúſque, multáque feliciſſimè auſus.

Alii ſeſe dedunt ultrò.

Quos Rex recipit.

Recepit ſuetâ humanitate dedititios Rex, & quos petebant priſtinos Rzovii ac Zubcoviæ Magiſtratûs, eos Jackovio fratri-

que ipſius retinendos adminiſtrandóſque clementer indulſit, fidem quam attulerant, eo beneficio & comprobare, & laudare viſus.

Smolenſci præſydiarii nimiùm contumaces.

Dum ita raptatæ ſuiſque cladibus immerſæ Moſchoviæ benignitatis regiæ faventior adſpirat aura, victíque comitate animi ad debitum ſeſe ultrò proſternunt obſequium, ſola Smolenſcum arx pertinaciâ fortis, & ſuo rigore effera, invitantis Regis ſprevit clementiam, ſuperbéque rejecit. Reſciverant in urbe præſidiarii, adeſſe in caſtris Regiis Legatos viros primarios, nec poſtremæ apud ſuos auctoritatis, velléque ſe cum iis nonnulla conferre nuntiarunt.

petunt colloquium cum Legatis.

Deſtinat Solticus tres è ſuo comitatu.

Deſtinavit futuro colloquio Solticus tres, loco intra munitiones Joannis Veiheri delecto. Veniunt ab utrinque, ſed quod non comparérent ſui concives Smolenſcenſes, quos in tam ſplendido Legatorum comitatu adeſſe pro comperto habebant, petiêre, ut illis quoque veniendi daretur facultas, quippe majori cum iis candore fidéque acturos. Mox adſunt duo, Conſtan-

ſtantinus Holovaceüs, & Athanaſius Filoſophovus, ſed hunc Athanaſium proſiliens ex arce uxor adventantis conſcia mariti, ad perfidiam compulit; quippe Veiheri munitiones prætergreſſus, rectà citato gradu inter explodentium militum fragorem, Smolenſcum petiit, ac in arcem ſe recepit: Moſchis reï novitate attonitis, noſtris verò dubitantibus, an armis fugitivum ſiſterent, cùm nec perfidiæ manifeſtus eſſet, & vim Legato inferre vererentur. Smolenſcenſibus interim juratam interponentibus fidem, eum ſequenti rediturum die. Sed non comparuit, ſolitâ præſidiariorum perfidiâ hominem, ut ferebatur, invitum detinente: quam, dum noſtri objicerent, negavère, ſe ipſius promiſiſſe reditum, neque poſſe ab uxore, fratre, liberis, concivibúſq; ſuis avellere, denique ſuum ſe recepiſſe retinuiſſéque hominem, qui Smolenſco ad urbem cum literis miſſus, in hoſtiles Demetriani exercitûs manus incidiſſet: Et cùm poſt multos ſermones Moſchi deditionem arcis ſuaderent, inculcaréntque, non aliter duorum

Unus Smolenſcum aufugit.

Smolenſcenſes deſiſtendo cavent, non tamen comparet.

Suadent interea Moſchi Smolenſcenſibus deditionem.

rum ambientium nefariam ac Moschoviæ tristem luctuosámque de Imperio contentionem finiri posse, quàm electo Vladislao Principe Sigismundi Regis filio, quem jam omnes expeterent Ordines, ipsíque suâ Legatione postulassent, optimísque conditionibus detulissent regimen; accederent ii quoque & experirentur clementiam regiam, idem olim sensisse Archiepiscopum Smolensci & Borissium Seinium Palatinum, de eligendo Principe in Magnum Ducem Moschoviæ, constarent nunc sibi, meméresque suæ sententiæ votis se omnium accomodarent. Longo sermone Legatorum Smolenscenses avidè attentéque excepto, stupido arrogantíque responso solvunt colloquium: *Sat verborum*, inquiunt, *hac vice, nox ingruit, abite ac in stationes vestras vos recipite*. Nec inposterum de arce dedendâ mentionem fecerunt, servati tantisper, ut casu graviore ruerent, suæque pertinaciæ pœnas darent.

Respuunt & stupidè solvunt colloquium.

Sed ut ad Legatos Moschorum redeam, ii ex animi sententia rebus confectis Regi vale-

valedixerant, reditúmque apparabant. Verùm subsistendi necessitatem imposuit illis communis societatis vinculum, cujus à Legatis exercitûs Demetriani admoniti, ne se desererent, insimúlque redirent, obtemperarunt facilè, cùm nec responsum regium in mora fuisset. Intenderant illi immodicè sua postulata, de quibus nullatenus cum Legatis agi poterat, limitatam præscriptámque ab exercitu obtendentibus potestatem, à quo nullum sufficiens legitimúmque mandatum ad definienda, si quæ occurrerent dubia, acceperant: atque ea, duodecim distincta capitibus, Regi porrexerant. Et primis quidem cavebant Magnæ Ducissæ ejúsque marito Demetrio, Moschis Proceribus, ac Reïpub. Polonæ: illi, ut Rex Imperii potitus arces dominiáque ratione dotis assignata tranquillè possidenda; huic, aliquem Ducatum qui ex ejus dignitate foret, è præcipuis videlicet Moschoviæ, tenendum concederet: Moschis verò quæcunque demissè peterent, benignus facilísque annueret, tanti verò Imperii, si fatis ita visum foret, non

Legati reditum parant, retinentur à Legatis exercitûs Demetriani.

Qui immodicè sua postulata intendunt.

Marinæ & Demetrio cavent.

non ſibi ſuíſque, ſed univerſæ Reïpub. Polonæ, acceſſionem faceret. Initurum ſe rationem reſpondit Rex, præſertim quod ad dotem Marinæ ſpectaret, acturúmque ſeriò, ubi commodum adveniſſet tempus, cum ea gente de Imperio rebúſque ad illud pertinentibus tranſigendi, contineret ſe interim, nec modeſtiæ excederet limites, nihílque in perniciem Regis ac Reïpub. moliretur. Demetrio etſi nulla fides eſſet, neque eam mereretur gratiam, ſolius exercitûs causâ, cujus per hoc famæ conſultum vellet, proſpecturum ſe, prout ſtatus & dignitas ipſius perſonæ expoſceret, pacatè tantummodo viveret, turbis ſe ne immiſceret, neque eas concitaret, Regi & ſuam, & ſuæ gentis accommodaret voluntatem. Moſchorum poſtulata relinquerent regiæ clementiæ, qui ipſorum fidem animóſque pronos de meliori nota commendatos haberet. Bonum publicum totiúſque cui præeſſet Regni commoda, unicè ſibi cordi eſſe, iiſque belli in Moſchoviam illati cauſas rationéſque inniti.

Reſpondet Rex ad hoc poſtulatum.

Ita

Ita ad prima reſponſum capita: Duriora mox gravioráque, quæ ſequuntur, propoſuere. Approbaret Rex literas patentes ad delectûs habendos à Demetrio datas, nihílque imminueret de ſtipendiis donativíſque (poſt obtentas victorias navatámq; in bellis egregiè operam) ab eodem promiſſis conceſſíſque: quorum certiores faceret in ærario gazâque Moſchoviæ, adjiceret inſuper Imperii vectigalia publicóſq; omnes proventûs, ſive armis, ſive pace, ſive quocunque obtinendos modo. Cùm verò dubii bellorum eventûs eſſent incertáque Martis alea, ſi quid ſiniſtri interea accideret pateretúrque exercitus, & præmiorum & æris militaris jacturam, ad minimum duorum trimeſtrium compenſaret ſtipendio; cujus ſecuros redderet in bonis Præfecturíſque regiis, (Oeconomias vulgò vocant) efficerétque apud Ordines Poloniæ, ut lege in Comitiis latâ, firmum ratúmque id haberent. Ad hæc ita breviter dictum.

Stipendiorum, donativorum certitudinem habere volunt.

Idque in bonis Regiis

Non mediocrem parere admirationem Regi ea, quæ jam proponerent petita, oblitos videlicet natalis ſoli legum, per quas non lice-

Denegat Rex, nec ullatenus per leges bona ſua obligari poſſe dicit.

liceret Regibus absque omnium Ordinum conſenſu bona proventúſque ſuos ullis conditionibus onerare. Nec Senatum conſentire poſſe, multò minùs ſcripto cavere, quem jurata fides ſtringeret: & quâ ratione tandem id oneris Reïpub. imponerent, debito præſertim contracto in extero ſolo, apud hominem externum, nullo Reïpub. commodo, ínque cauſa dubia, cujus æquitas in incerto foret. Nolle itaque Regem, nolle Senatum in patrias peccare leges, quibus ille patrocinium tutelámque deberet, horum verò muneris eſſet, providere ſalvas ſartáſque eſſe. Proponi id quidem deliberationi Ordinum poſſe, à quorum id unanimi penderet ſuffragio, ſe verò non refragaturum concordi omnium voluntati.

Præmia, ſtipendia ſe exſoluturum pollicetur, ſubacto Imperio Moſchovitico.

Jam verò præmia & ſtipendia nihil dignius juſtiúſque, quàm reddi exercitui optimè merito bellicâque gloriâ illuſtri, nec eſſe alienum Regem, annueréque, ut omnia æra militaria probè deductis calculis à primis belli exordiis, ſuo ordine procederent, quoadúſque propitia fata Imperium Moſchoviticum ſive conſilio ſive armis poteſtati Regiæ tradiderint: atq; tunc tranquillo admotum regimini, certúmque ac ſecurum Imperii poſſeſſorem, è proventibus, gazâ, ac vectigalibus univerſæ Moſchoviæ ea ſe perſoluturum, quæ deberentur ſtipendia; provideret interim exercitus, & ita ſuas inſtitueret rationes, ne ſumma, quam expoſcerent, totius Moſchoviæ cenſum ſuperaret. Quodſi verò ad præfixum tempus, decimâ videlicet ab obtento Imperio hebdomade, ſua non reciperent ſtipendia, ſecuritatem exigendorum ex formula pactorum iis præberet Severia Rezanenſiſque ditio, ambæ à milite poſſidendæ, quarum agri uberes ac ſuâ fertilitate nobiles ſufficerent.

Ad extremum petunt trimeſtre ſtipendium, & nonnulla adhuc poſtulata inferunt.

Ultimò tandem propoſuêre Regi petieréque; videlicet, trimeſtre ſtipendium ad reparandam armorum, equorum, caſtrenſiſque ſupellectilis jacturam, refectos eâ liberalitate Principis promtiores fortioréſque ad promovendos ejus conatûs futuros. Deinde quæ inpoſterum facerent ſtipendia, quorum initium eſſet à die Natali Chriſti Servatoris

vatoris nostri sacro; proximò, non minora censerentur iis, quàm quæ exercitus regius acciperet: commilitones suos mutilos & à vulneribus invalidos, munificentiâ recrearet, refunderet sumtûs, quos Ordinum Ductores ad delectûs habendos ducendúmque in Moschoviam militem, è propriis erogassent facultatibus. In jus, si quis tempore belli vocatus, non comparuisset, causâque cecidisset, aut interea, quamdiu Martia sequerentur signa, vocandus esset, eï beneficio regio prorogaretur dies, rescriptúmque daretur temporaneæ libertatis. Ad extremum iis Ducibus, Tribunis, ac Centurionibus, prout suo quisque est adscriptus Ordini, parérent, salvâ supremi Copiarum Ducis auctoritate, cujus honori nihil se derogare velle, profiterentur.

Et postulata tale à Rege tulere responsum: Munificentiam ac liberalitatem maximè Regibus competere, nisi illam quandóque tenues ærarii sisterent prohiberéntque censûs, quod jam exhaustum tantis impensis quis non adverteret? ac proinde trimestre stipen-

stipendium non posse exercitui numerari, certam eï nihilominus summam donativi nomine offerre Regem pro sua clementia, partim ære, partim diversis exsolvendam mercibus, iis præsertim, quæ exhausti militis inopiæ succurrerent. Experturos quoque illos beneficentiam regiam, quos iniqua sors belli duriùs tractasset, & ad miserandam perduxisset invaletudinem. Tribunos Centurionésque è privato peculio expensam summam recepturos ex stipendiis integerrimè & ad amussim sibi persolvendis. Rescripta regia ad remorandos juris progressûs, sumeret quisque veteri usitatóque Cancellariæ more. Disciplinam exercitûs sub eorundem Ducum, Tribunorum, ac Centurionum imperio retineri permaneréque, id verò etiam optare Regem: ad extremum hortari, præciderent tandem aliquando importunas ambages, cogitarént-que agere se non cum homine ignoto externóque, cujus pollicitationibus hucúsque elusi, servilis patientiæ dedissent documentum, Regem ac Dominum esse, qui & præteri-

Certam summam donativi nomine Rex pollicetur.

Ad reliqua postulata respondet.

Hortatur ne secum ita agerent scrupulosè & temerariè.

teritis mederi incommodis, & gloriam nomini Polono ac Reïpub. emolumenta afferere decrevisset: nihílque sibi reliquum fecisset, præter felicem Imperii sui rerúmque gestarum recordationem aliquando apud seram posteritatem non ingratam. Pollicebatur quoque Rex iturum ad illos Palatinum Braclaviensem, munitum plenæ facultatis mandato, statuendi decernendíque, si quæ tractanda negotia occurrerent, modò illa ad æquitatis normam attemperarent. In eum modum expeditâ Moschorum ac exercitûs Demetriani Legatione, abière è castris legati, ea quæ cum Rege constituissent, iis, quorum intererat, relaturi.

Joannem Potocium.

Quis tandem exitus fuerit illius Demetrianæ militiæ breviter narratur.

Sed me jam urget necessitas non interruptè comprehendendi narrandíque consilia exercitûs illius, quæ secuta sunt, & quemadmodum corpus illud bellicosi militis validum firmúmque, ac in totius Moschoviæ terrorem compactum, dissolutis veluti artubus, divisísque per tumultum militibus, in partésque sectum, labefactatis conciderit viribus.

Et

Et gliscebant indies hinc atque inde suspiciones militum, quasi à partibus abducti & stipendiis, & donativis, præmiisque artificioso Legatorum Regiorum commento spoliarentur, promissisque tantùm alerentur, quæ vel opportuna occasio, vel feliciter confectum eluderet bellum. Hinc absentem jam Stadnicium Castellanum Præmislienfem, & Ludovicum Veiherum diris devovebant, pessimam quâ secum agerent fidem, exprobrantes: jámque invisis nominibus (prout insolentis militis jubebat furor) ignominiosos appingebant titulos, execrantes frendentésq; ad Legationis Regiæ mentionem. Ac Duces quidem & Primores sui constantes propositi, tenacissimè Regi adhærebant, militum longè plures, turbulentiora magis quàm honesta spectabant. Quippe is constabat exercitus pleráque inconditâ multitudine, bellis civilibus assuetâ, quæ dulcedine prædarum illectâ, quam sibi certo ex hoste destinabat, proindéque inquies, belli Moschovitici occasione arreptâ, ad ficti Demetrii famam exteræ militiæ nomen dederat,

à Demetrio se abductos queruntur.

Duces ac Primores constantissimè Regi adhærent.

Sola fex militum tumultuatur.

rat, & quidquid maximè turbidum in Polonia seditiosúmque fuit, eò concesserat, totâ Republicâ, veluti ab exhausta sentina, jam feliciùs respirante. Tantóque ad tumultum proniores erant, cùm stipendia ampla, pollicitationes Demetrii, ingentes totius Moschoviæ opes animum subirent, quas promtiùs à Demetrio obtenturos se sperarent, cum quo & contumeliis nonnunquam agere absque ullo respectu Principis didicissent; proindéque ab illo faciliùs extorsuri: hîc verò Regia Majestas oculos perstringeret, armatáque terrorem incuteret, tantam haud passura insolentiam. Nec Demetrius quiescebat spargendo in exercitu seditionum semina, quæ literis includebat blando verborum lenocinio refertis. Compellabat illos commilitones, quorum robur, constantiam, res fortissimè gestas, mirificè extollebat, spectatam implorabat fidem, cui afflictas spes suas credidisset. Jam supplex ac squallidus ne se desererent orabat, illorum virtuti acceptum laturus Imperium, cujus asserendi causâ sanguinem fu-

à Demetrio largis promissis excitata.

Et per literas, opum ingentes spes facientes.

fudissent, magna cum facultatum suarum jactura. Ostendebat deinde Imperii opes, ampla laborum ærumnarúmque præmia, ingentia offerebat donativa, móxque adfuturam, si durarent, promittebat mercedem. Esse adhuc integras Provincias quæ se agnoscerent sequerentúrque, servarent & illi juratam fidem, ad eam se tanquam ad tutissimum recipere asylum, in quo plurimùm virium præsidiique reponeret, illam se denique per omnia sacra iteratis vicibus implorare.

Sed ea quæ à Demetrio mittebantur, etsi lecta auditáque, incitabant militem novi motûs cupidum; validiora tamen erant à Marinæ in castris degentis præsentiâ illecebrísque, quæ blandis susurris, velut mollioribus Zephyris, militares permulcebat aures, qui ab inquieti animi excepti milite, mutabantur in asperum horridúmque Boream impetu suo Castra agitantem rapientémque. Quippe fæmina ingens animi, manipulos intervisere, signa adire, largitiones polliceri, orare, notos fidósque per contu-

Acriùs Marina commovet.

Variis artibus etiam ultrà sexum.

 bernia

bernia immittere assueverat, didicerátque iis artibus, quæ verecundiæ quandóque vim inferrent, militum animos pellicere, ad retinendos in fide Demetrio datâ, & quæ ad avocandos à Regiis partibus plurimùm haberent efficaciæ.

Dunenses Kozaci primi in seditionem erumpunt.

Ac primùm Dunensium Cosacorum ipsius instinctu impulsúque erupit seditio, qui spretâ Ducum auctoritate contemtóque imperio, servatis ordinibus, explicatis signis, pleno die, universo inspectante exercitu, è Castris excessere, Calugam ad Demetrium contendentes, frustra ipsorum Tribuno Zarucio reclamante ac per vim retinente. Cui jam impar, advocat Rozynium copiarum Ducem, is tantæ impatiens insolentiæ, raptâ propere instructâque suorum legione profugos aggressus, ad satietatem cæcidit, duobus millibus interfectis, reliquis verò ad castra compulsis, cæteris iísque paucis, quos fuga servaverat, ad Demetrium elapsis.

Cæduntur à Rozynio.

Marina è castris fugit.

Interim Marina facti conscia, sátque motuum se concitasse rata, qui difficulter con-

conquiescerent, penéque secura, non deserendam à plurimis militum Demetrii sui fortunam, nocte intempestâ clàm è castris excessit cum duabus fugæ comitibus ancillis, sexu dissimulato, virumque habitu, arcu, pharetrâ mentita, celerrimis equis Calugam properavit: relictis in cubiculi mensâ literis, quæ festinati abitûs exercitui rationem redderent. Et siquidem stylus index esset animi, ac præcipuus veteris ævi Philosophiæque pater inspecturus adolescentem visurúsque, loqui primùm jussisset, non abs re existimo literas Marinæ Latino fideliter donatas sermone proferre, imaginem generosi ingenii & ultra muliebrem audentis sexum, exprimentes.

Literas seditiosas reliquit in castris.

Quales illæ.

Naturæ instinctu mutæ animantes brutáque rationis expertia infestos declinare consueverunt ictûs, neque ullam adeò negligentem sui reperiri feram, quæ adversos non fugiat reformidétque casûs: & cur id homini vitio vertendum foret? quem Deus supra belluas præstantiori extulisset jure, ac intellectu veluti quadam divinitatis suæ portione condecorasset, ejus sibi plenè tutelâ custodiáque reservatâ. Et profectò

 Regum

Regum ac Principum Divinam Majestatem singularem gerere curam, quotidiana docet experientia, quæ unà cum tam ſublimi quam in terris eſſe voluit, cujúſque ipſe promus ac condus eſſet regnantium prærogativâ, partem quoque illis cœleſtis infuderit conſilii, meliora tutioráque ſuggereret, futurorum admoneret, ac in omnes caſûs præſidia ſubminiſtraret, cordáque ſuâ Divinâ præpotentique manu flecteret regerétque. Cui ego omnia accepta referens, quemadmodum me rerúmque mearum ſummam, ſupplex ipſi permiſi; ita ejus patrocinio confido, certáque ſum, me ipſius beneficio à contumeliis procacis linguæ criminationibúſque vindicandam, quas hominum effrænis licentia ſuæque negligens famæ ac honoris, protervè objiceret. Neque in me ipſam crudelitate peccare volo, negligeréque ea ac dubiæ permittere fortunæ, quæ cuivis probo intimè curanda ſunt, nec infra brutorum infelicem ſortem detrudi cupio. idque non tantùm fœmineï ſexûs genius meticuloſus, ſed ratio mihi ipſa dictat, ut rebus meïs proſpiciam, & eas declinem contumelias, quæ mihi ab illis imminerent, quibus defenſio nominis honoriſque meï eſſet concredita. Impetitum honorem, læſam famam, oppugnatam dignitatem, quam ſoli debeo ſupremo Numini, plenum dolore ingentique

que mæſtitiâ cor vix patitur. Interceſſere cum perditiſsimis quibuſque neſcio quæ negotia, inter commeſſationes & temulenta convivia, quot ſcyphi, tot intentata opprobria, & ab iis quidem, quibus vitam, nomen, honorem, meïque ſtatus integritatem commiſeram. Horrebat animus inque continuo verſabatur metu, cùm non tantùm dignitas mea periclitaretur, quam ſe erepturos ſummo cum dedecore ac ignominiâ minabantur, ſed & cùm vita peteretur, in quam à nonnullis factæ eſſent conſpirationes, dum clàm abreptam, alieno ſubdere Imperio, velut captivam, deſtinaſſent. Quamobrem quemadmodum pati non potui, ut inter eorum manus, qui ſanguinem appetebant meum, ludibrio velut expoſita verſarer: ita nunc avertet hoc facinus Deus, ne quiſpiam me réſque meas velut in mercatum adducens, de privatis ſuis commoditatibus lucróque licitationem exercere poſsit: aut certè gratiam alterius cum meæ dignitatis jacturâ aucupari, per ſummam perfidiam, quæ ſuaderet incitarétque me prodere, eorúmque reddere manibus, quibus nihil juris non modò in meam perſonam, ſed neque in hoc competeret Imperium: Aderit ultor perfidiæ perjuriique Deus, mihi verò protector tutórque ſupremus, cui abſente patre, matre, propinquis orbata, amicorum comparente nullo, defen-

Ruzyni-um carpit.

Regem perſtringit.

ſore vacua penitúſque derelicta, dolorem mœrorémque meum committo: ſequor adactâ neceſſitate maritum, & ad illum me recipio, cui ſacramento obſtrictam fidem debeo, nominiſque meï integritati conſultum eſſe cupio, ac poſt tot turbas motúſque pacatè in arce mea reſpirare, juſti ac ſupremi Judicis innocentiæ meæ præſtolatura decretum. Quem iteratò teſtor, quod, quemadmodum famæ, dignitatis, ac jurium meorum integritatem plenè retineo, cùm ſim Domina Populorum, Moſchoviæ Imperatrix, Nobilis Polona, externam poteſtatem nullatenus agnoſcam, ita proſpectura bonum ac commodum eorum militum, qui virtutis, gloriæ amantes, ſacramentique ſui ſunt memores, DISCEDO.

Literæ lectæ à milite tumultum ingentem excitant.

A diſceſſu Marinæ iterum miles in rabiem prolapſus eſt, & magni ac implacabilis motûs dedit initium: primò feſtinatus ipſius abitus, deinde literæ ſcriptæ non ſine occultâ in Regem inſectatione, & contra Duces, Tribunos, ac præcipuos in exercitu querela, quam fæmina in luctum ſuíque commiſerationem compoſuerat; cæterùm ſub ſpecie doloris verborúmque triſti involucro, vindictam, motûs, ac ſeditiones texerat,

rat, graves mox accendit offenſiones, quæ ſubitò ita exarſerunt, ut eas nec Tribuni, nec ipſe armorum Dux Rozynius extingui poſſe arbitraretur: plúſque adferebant incentivi, contumeliæ, probráque Ducibus cumulata: ac, ut in talibus diſcordiis ſingulorum audacia valet, ab illis ſæviendi ſumunt principium, nec tantùm minas intentant, ſed ſtrictis gladiis invadunt Rozynium, palàm vociferantes. *Itáne, Rozyni, tuo faſtu ac temulentiâ pulſum Demetrium ſequitur exul conjunx pari extruſa arrogantiâ; ubi Principes? & cujus jam ſequemur auſpicia? ubi jurata fides? cur ſtipendia noſtra præmiáque emerita proditum is? deſertorem te jam non Ducem compellamus noſtrum infamis tranſfuga? & Regiorum vanis deluſe emtéque promiſſis. Redde exactos Principes perfide? & cui vis exercitum objicere lanienæ, ipſe eandem mox ſubiturus es.* Hæc diſſonis ingeminantes vocibus reprimere contráque niti volente Rozynius, admota vis, exploſiſque in illum fiſtulis ferreïs, non procul à pernicie erat, niſi ſe cauto ſubduxiſſet conſilio vir aliàs fortis audáxque, non alio occurrente tunc ſubſidio, quàm cedere, ve-

Rozynius ſtrictis gladiis appetitur, & vocibus contumelioſis.

Declinat impetum furentium.

veláque ſubmittere tantiſper, agglomeratis furioſæ tempeſtatis fluctibus.

At quis Neptunus illos tam felici ſedaſſet tridente? continuo itaque æſtu ſeu feſſi, & in quem ſævirent non comparente, ſive nonnullis Centurionibus omni ſuſpicione apud exercitum vacuis ideóque gratioribus annitentibus, ſubſedere ad tempus, non tamen planè integréque redditâ malaciâ. Aliquantùm quieviſſe videbantur, exſpectabántque ſubſidium illud & donativũ, quod ſibi Rex in reſponſo Legatis dato promiſiſſet. Quod, etſi non ſatisfeciſſet turbidis pluráq; poſcentibus, ideo majorem ſummam aut ſeditioſis conatibus extorquere volebant, miníſque, aut certè ad ſuum iterum Demetrium redire parabant, & priſtino adhærere fœderi.

Reſedit aliquantùm tumultus.

Edocebatur quotidie Rex nec ignorabat in quem exarſiſſent tumultum milites Demetriani, accurrerat namque è caſtris Komorovius, nuncians permultos iterum ſuum ſpectare Demetrium, miſiſſéque ad eundem Legatos ſignificantes, nolle ſe illi deeſſe, ſi ſtipendia parato ære quamprimum per-

Quem Regi nunciat Komorovius.

perſolveret, affirmabátque certò Mlocius, habere Demetrium Octuaginta millia communium florenorum promta, nec difficulter majorem conquiſiturum ſummam, proinde verendum eſſe, ne iterum exercitum in ſuas pertraheret partes, Regémque magnis, quæ inde impenderent, implicaret difficultatibus. Idem aſſerebat Obalcovius, inſuper addens: Fremere exercitum indignaríque nullam ſibi à Rege pecuniam mitti, quam niſi Palatinus Braclavienſis, qui propediem venturus ſperabatur, adferret, non eſt quod huc veniret, quippe vi ab ingreſſu caſtrorum excludendus, ſi verò contrà tenderet, prælio etiam armíſque excipiendus.

Et Obalcovius.

Potocius.

Admonuere quoque Regem literæ Joannis Sapiehæ diſſidiorum ſeceſſionúmque in illo exercitu, ubi non aliæ audirentur voces quàm pecuniam flagitantium, aliàs difficulter contineri poſſe in officio copias, irritóſque futuros & Regis conatûs, & Regiorum Legatorum ſollicitè impenſam operam.

Et Joannes Sapieha per literas.

Verùm ſueta Regis cunctatio, illorúm-

 que,

Rex obviam it seditioni cunctanter.

que, quibus plurimùm fideret consilia, immaturam malis adferebant medicinam. Et postulata quidem militum in immensum excreverant, quibus nec suâ dignitate nec Reïpublicæ salvâ Rex annuere posset, tantæque satisfacere insolentiæ, quæ proposuisset conditiones immodicas: nihilominus constat potuisse quantâcunque liberalitate conciliari animos, illáque ipsa summa centum millium celeriùs missa, quæ exigua licèt exercitui videretur, tamen vel solo fulgore æris promti paratíque perstrinxisset militum oculos, stitissétque furentes, exspectaturos non dubiam Regis majorémque munificentiam, cujus jam fidem fecisset tam promtè numeratum donativum. An sequiora consilia, an tenuitas ærarii in causa fuerit, haud mihi promtum est asserere, celeritatem in exsequendis negotiis, et præcipuè ad insolentem leniendum militem promtitudinem defuisse, pro comperto habeo. Nam interim & auxilia nulla comparebant, copiæque ad suppetias ferendas promissæ, proindéque Scopinus Suy-

Quæ centum millium summâ celeriùs missa sopiri potuisset.

Nec subsidia promissa expedita.

Suyscius numeroso auctus exercitu edoctus, Demetrianorum vires & fugâ Impostoris quasi semotis auspiciis, & internâ seditione labefactatas, fortunam experiri statuerat, fidebátque armorum suorum robori, quod si intulisset, certam sibi pollicebatur victoriam, cujus jam præclara haberet initia, restituto suæ libertati Cœnobio Trinitatis, coactóque diuturnam solvere obsidionem Sapiehâ, cui pabulandi reïque cibariæ & annonæ prospiciendæ facultatem è vicinis ademerat agris, atque obsidentem ipse graviùs obsidebat. Nec Scopino quispiam tunc reï militaris peritior habebatur, quippe cautus consilio providúsque, castra optimè firmare munitionibus palísque præacutis noverat, quos bis mille eum in usum curribus vehere solitus erat: manu impiger disciplinæque militaris tenacissimus, suíque septentrionis frigora in societatem pugnæ, cùm opus esset, advocans. Et recedentem Sapieham hærentémque Demetroviæ, aggredi constituerat, tredecim Moschorum, duobus Germanorum millibus armatus, pe-

Imminente interim Scopino, qui Sapiebam solvere obsidionem Cœnobii Trinitatis fecerat.

6 Milliaribus à Cœnobio Trinitatis fecerat.

Habent in ſuo exercitu pedites ſoleatos.

pedites ſoleatos ſecum trahens, qui expediti per nivis frigore conſtrictæ ſuperficiem ac in duriorem congelatæ cruſtam celerrimè pervolarent, tela jacerent tantò certiùs, quantò agiliùs, præſertim cum Polonis graviori armaturâ equíſque impeditis, non ſine magno incommodo inter altiſſimas Moſchoviæ nives in locis iniquiſſimis colluctandum foret. Uſitatum id Moſchis conficere ſoleas ligneas, tenues, longas pedes quinque, latas unum, antrorſum recurvas, quas calceïs adaptant, ut non modò per glaciem, ſed per ſummas nives ſummâ ac incredibili pernicitate in omnes partes expedito flexu decurrant, feras inſectentur occidántque, & miræ velocitatis edant ſpecimina. Sed hæc terriculamenta non adeò affecerant Sapieham, virum belli ſcientem artíſque militaris præclarum, qui aliquoties gravem Scopino cladem intulerat, vincíque poſſe docuerat, ubi unita virtus & conſentientium Tribunorum animi conſpiraſſent. Et quia aberat commune vinculum concordia, ideo major in

Solearum apud Moſchos hieme uſus.

Simile quid Hollandi habent.

in exercitu Demetriano metus, ſcripſerátque ad Regem Rozynius, auxiliares implorans legiones, & Solticus cum Moſchis Proceribus apud Staniſlaüm Zolkievium armorum Ducem eas flagrantiſſimè urgebat.

Rex Joannem Potocium ad ferendas ſuppetias deſignat.

Deſignaverat Rex Joannem Potocium Palatinum Braclavienſem qui ſubſidiarias legiones contra Scopinum duceret, quibus addiderat Rozynium cum ſuis equitum Germanorum turmis: & opportunè quidem decretum auxilium corrupit mora Potocii varia effugia protrahendíque cauſas nectentis. Namque primùm incuſata loci diſtantia unde ſibi currûs & equi itineri faciendo neceſſarii adducerentur, ante quatuordecim dies ſe non poſſe proficiſci affirmabat: deinde, ſe equidem è veſtigio iturum reſpondit, haberet tantummodo ſub ſignis juſtum militum numerum, ferret pecuniam Demetrianis promiſſam quantocius numerandam, ſine qua ſe nolle ſe impetui ſeditioſorum objicere, cùm præſertim vacuas nudáſque manûs armatis dexteris ſe ſalu-

Cunctatur ille, varias moras nectens cauſas, primò ſpecioſas.

ſalutaturos minitarentur. Ad extremum preſſus mandato Regio, juſſúſque maturare iter; ni faceret, videret quale ſuæ Majeſtatis rebus detrimentum & exercitui extremum impenderet diſcrimen. Annuit octo dierum interpoſito intervallo, intra quod impedimenta & copias expediret, ipſe poſtmodum ſecuturus.

Ita ille cunctando perdidit rem: & dum tam diu abitum parat, nuſquam caſtris egreſſus eſt, maximâ bonorum conſiliorum jacturâ, quibus & Regii conatûs promoveri, & exercitûs ferocia leniri potuiſſet. Sed altiora Poticium ſpectaſſe comperio: quippe vir apud Regem primariæ auctoritatis timebat illi quidpiam per abſentiam detrahi, quam æmulorum, ut ipſe interpretabatur, malevolentia carpendo imminuere potuiſſet. Videbat Regem in totâ illâ Smolenſci obſidione ſuis inniti conſiliis, penéque belli ſummam ad ſe detuliſſe, imaginarium titulum Ducis copiarum retinente Zolkievio: ideo nihil antiquius habuit, ne ſe abſente ad alium quempiam negotiorum

Sed alias, ne abſentem æmuli carpendo è gradu Regiæ gratiæ dejicerent.

rum arbitrium atque ipſa potentia transferretur. Reputabat quoque ſe militis ſeditioſi exponi turbis, ad quas componendas ſi nihil attuliſſet remedii, periclitaturam ſubitò ſuam exiſtimationem, quam integram hucuſque ſervaret, carpendíque ipſius geſta æmulis non defuturum ampliſſimum campum. Neque verò militem conquieſcere poſſe, ubi non comparerent æra, hâc tantùm offâ latrantes Cerberos egregiè mitigari, eloquentiam, dexteritatem nihil prodeſſe irritatis inopiâ egeſtatéque, quæ ſurdas haberet aures, manûs verò oculatas. Jam verò qui reſiſteret Scopini potentiæ dubiis militum animis nec inter ſe cohærentibus, ipſiúſque detrectaturis Imperium, cùm ſuis tantùm Ducibus parére noſſent, cæterùm illum tantùm ut auxiliarem, non ut Imperatorem ipſorum ſignis acceſſurum.

Exiſtimationem.

Atque ita dum Potocius ſuæ apud Regem potentiæ ſtudioſus cunctatur, ac Zolkievium iis objicere turbis, quæ de illius famâ auctoritatéque detraherent, cogitat, & Rex promiſſum differt donativum, fruſtra in-

Ob dilatum donativum & ſubſidia iterum miles efferveſcit.

in dies milite præstolante munificentiam Regiam, iterum seditio malè pressa erupit. Circumventos se à Legatis Regiis clamitantes, qui vanâ stipendiorum pollicitatione elusos aliò impulissent, in easque ambages ac rerum suarum incertitudinem conjecissent: non esse aliud medium reparandi dedecoris accepti, vindicandæque injuriæ, quàm si eorum possessiones in prædam acciperent, qui ejus consilii Regi auctores exstitissent. Et jam designabant bona fortunásque Zbarascii Præfecti Cremenecensis, Mareschalci Lithvaniæ, & Cancellarii: interea nec Regis parcebant nomini, qui vitam & sanguinem largè sibi devotum nec unius trimestris numerato stipendio gratus facilisque rependere vellet. Jámque in illo exercitu omnia turbida, nec ad obedientiam miles compositus vigilias obibat, Tribunorum jussa aspernatus stationes deserebat, cuncta denique impetu agebat, à tergo verò impendebat ferox poténsque Scopinus, in omnésque reï gerendæ occasiones intentus. Quocirca & metu adventantis hostis

Dorostaiscii & Sapiehæ.

Ductorum imperia aspernatur.

hostis cui jam impares essent, & solutæ disciplinæ militaris insolentiâ adacti, præmissis impedimentis vasisque conclamatis castra incendunt, fidéque sibi mutuo datâ servatis ordinibus Osipoviam, quò tormenta avexerant, contendunt, inde verò iterato ad Regem Legatos expediunt, Alexandrum Zborovium, Vilamovium, Sczucium, nihilo mollioribus instructos mandatis, quæ ut semel intenderant extremè, ita ne remitterent, adduci nullatenus potuerunt. Questi sunt desideriis suis non respondere prout sperassent benignitatem Regiam, ac in æquissimis postulatis serepulsam esse passos, insertum donativum exile, tantis copiis insufficiens, cæterùm nec stipendiorum suorum quæ hactenus meruissent, ullam securitatem obtinere potuisse. Incusabant Legatos Regios qui & Demetrium Castris expulissent, & tam amplâ militem præmiorum spe lactassent, quæ deinde in dubium vocarentur: verendum jam esse, ne aliam viam irritatus miles ineat exhaustas suas rationes reficiendi,

Castris incensis Osipoviam abit.

Legatos ad Regem mittit.

Cum veteribus postulatis.

ciendi, resarciendorúmque damnorum. Atque illud responsum quod nuper Legati exercitûs attulissent, ansam dedisse deserendorum Castrorum, evertendæque totius biennii gloriæ: conquerentem quippe militem nihil sibi penitus concedi daríque à Rege, in immensos efferbuisse motûs, inde secutam secessionem ingentésque tumultûs, qui coëgissent aliò migrare, præsertim verò jam apertis lateribus dissolutísque, & in omnem vim prævalido hosti patentibus.

Rex idem quod & antea respondet. Hæc illorum Legationis summa, nec Regi aliud responsum dare visum, quàm id quod jam dedisset: nec ipsius Reïpublicæ dignitas patiebatur, eam iniqua postulantis militis proterviæ objicere. Legati molliùs à Rege habiti contentíque, discessere ad exercitum, sed jam Duce vacuum, sublato interim è vivis Rozynio supremo armorum Præfecto, viro militiæ strenuo ac bellicâ laude præclaro, quem vis morbi Voloci exstinxit. Atque cùm & Legationis suæ summam non ad mentem militum avidè quid

quid à Rege adferrent exspectantium, exposuissent, & morte Rozynii veluti sacramento soluti magis magísque insolescerent, spretâ benignitate Regiâ, turmatim ad veterem abiére Dominum, spe præmiorum amplísque evocati pollicitationibus: remanentibus nihilominus plerisque primorum, & prout fidem dederant, Regis obsequium præferentibus. *Turmatim ad Demetrium pars copiarum secedit.* Et ex Legione quidem Zborovii hastatorum equitum centuriæ sex, Andreæ Mlocii legio integra, Romani Rozynii olim Ducis, Vilamovii, kopicinii, Lanckoronii, Vilkovii, Rusiecii, Marchocii equitum turmæ pleno numero, præter Bobovii mancam, cujus pars ad impostorem defecerat, in Regias transivere partes. *Primores cum nonnullis turmis Regi adhærent.* Cæteris Calugam contendentibus non leve addidere robur Joannis Sapiehæ legiones, quæ hactenus Regi fidissimæ constantésque, nunc visæ nutare, desertóque Rege iterum ad Impostorem transire. *Excepto Sapiehâ, qui cum suis Legionibus impostori adhæret.* Comperio nihilominus in actis diurnis, Sapieham à Rege accersitum in castra venisse, 25 Mart. ejúsque mandato Impostoris secutum auspicia,

cia, non quod ſuis legionibus hominem vanum adipiſcendi Imperii cauſâ fulciret, ſed ut illo prætextu armorum diſtineret tantiſper Suyſcium reparantem colligentémque copias, ne penitus undique ſolutus metu, Regi Smolenſcum obſidenti gravior imminere poſſet.

Rege ita permittente.

Et ii qui Regiis adhæſerant auſpiciis, Regem ſuæ erga illum fidei conſtantiſque animi certiorem faciunt, miſſis Lanckoronio ac Bobovio primariæ notæ Centurionibus, petúntque, ſuſciperet promtam eorum voluntatem gratus hilariſque, eâque proſequeretur clementiâ ac liberalitate, quam ipſorum expoſcerent merita. Promiſſum centum millium florenorum donativum quantocius mitteret, in reliquis acquieſcere ſe reſponſo regio, quod per Legatos multoties ad ſe miſſos dediſſet, peteréntque tantummodo ne ea exciderent animo, quæ benignus obtuliſſet. Denique Zarucium notæ fortitudinis bellicorúmque operum virum de meliori notâ commendant.

Turmæ Regias partes ſecutæ Regem per nuntios adeunt.

Donativum petunt.

Zarucium commendant.

Non abſque ſingulari encomio fideï & debitæ

debitæ erga ſe obſervantiæ Rex Legatos dimiſit, gratiam ſuam commilitonibus relaturos, cujus primum jam dediſſet indicium in numerando centum millium donativo, quod etſi nunc exiguum à tenui proveniret ærario, non tamen liberalitati Regiæ limitem præſcriberet. Et ubi ſe faventior explicuerit fortuna, effuſuras ſuæ Majeſtatis manûs copioſiorem munificentiam, debitam fido ſuóque obſequenti Principi exercitui. Irent jam, & ut conſociavere animos, conſociarent & vires, conferrent cum Ducibus conſilia, urgerent premeréntque hoſtem, eáque præſtarent, quæ Rex à fidelibus ſubditis, Patria verò ab optimis exſpectaret Civibus.

Rex annuit poſtulatis.

Hortatur ut contra hoſtem ſociatis armis pergerent.

Sed illud donativum ſerò tranſmiſſum fuiſſe conſtat, indéque inſolentior miles factus, & dum exſpectat in omnem libidinem effuſus, regiis copiis accedere noluit, plurimúmque negotii faceſſivit jamjam manûs cum hoſte conſerturo Zolkievio, quod ſuo loco & ordine dicendum erit.

Hic tandem exitus fuit Demetrianæ mi-

 litiæ,

Militia Demetriana quantum præstiterit in Moschovia.

litiæ, quæ ultra biennium urbem principem obsidione pressit, Basilii Suyscii vires non distinuit solùm, sed attrivit fregitque, ad extremum tantum Imperium fatigavit, ut valido robore constantíque oppugnantium virtute tremefactum, in ruinam nutaret. Ac profectò eam militis avocationem abalienationémque à Demetrio obfuisse vehementer Regi ac universo Poloniæ Regno, secuta inde postmodum pernicies ac immensa malarum congeries aperuit. Subibant in mentem prudentiorum consilia, quæ neglecta, aut ab æmulantium subversa livore, publico malo spernebantur. De quibus cùm nonnihil superiùs commemoraverim, liberiùs ea jam ab eventu, sumtâ occasione, accusare possem, sed uberiùs id mihi enarrandum erit, ubi in illa incidero tempora, cùm peracto bello Moschovitico horrenda in patriam seditiosi militis conjuratio erupit, cui importuna à Demetrio legionum avocatio, & prælargæ Regnóque graves Legatorum Regiorum pollicitationes ansam dedêre. Bellorum optimi exitûs tum vel

Ejus à Demetrio avocatio Reipublicæ nociva.

lib. 2.

vel maximè exspectandi sunt, cùm brevi compendio alienâ impensâ, alieno periculo ducuntur: ea omnia benigna sors Sigismundo Regi detulerat, ut etiam inter alienos conflictûs, pugnas, certamina, illi sine sudore ac sanguine, denique otioso spectatori alienarum calamitatum victoriæ palmam promitteret: corrupit æmulatio quidquid fuit optimum consilii, Rege nimiùm illa, quæ sibi finxerat idola, adorante.

Verùm præposteri facti subitò infelix comparuit fructus, armatus videlicet Suyscius, sed quem iterum inimica exarmaret sors, memorandúmque illudentis orbi rotæque instabili insidentis Deæ relinqueret exemplum. Namque detracto diademate, excusso sceptro, spoliato purpurâ, capucium, scipionem, demum sagum cuculatum induit, fecítque è Principe Monachum, è Monacho captivum. Atque ad ea accuratiùs referenda jam Stylum verto. Fortuna.

H I-

HISTORIÆ VLADISLAI POLONIÆ ac SUECIÆ PRINCIPIS,

LIBER QUINTUS.

Suyſcius ſolutâ obſidione Metropolis, fugatóque Demetrio vires ſuas circumſpectat.

BAſilius Suyſcius, qui etſi ductu patruelis ſui armorum ſupremi Ducis, præclarè aliquoties rem geſſiſſet, nunquam tamen audaces poterat exerere ſpiritûs, quoaduſque hinc ſubditorum in urbe tumultuantium ſeditioſas audiret voces, inde verò Demetrianis caſtris ſibi Metropolíque gravioribus arctiùs ſtringeretur premeretúrque. Sed profugiente Calugam Demetrio, exercitu illius in ſeditionem concitato diſtractóque, parte ad veterem abeunte Dominum, parte cum

Demetrium.

cum præcipuis Tribunorum Centurionúmque accedente Regiis copiis, caſtris deſertis exuſtíſque, velut moleſtâ, quâ biennium ferè conſtrictus tenebatur, compede ſolutus, circumſpectare vires ſuas cœpit, quibus & populis formidandus compareret, & eas Regi Smolenſcum obſidenti audacior ferociórque oſtentaret opponerétque. Et per hæc quidem tempora peritiſſimum Ducem feliciterque arma tractantem Scopinum Suyſcium ſuſtulerat, cui obfuit populi favor, celebris nominis fama, & vitia Baſilii carpentis ingenua libertas, meticuloſis Tyrannorum auribus ingrata, ideóque ultimi exitii certiſſimum indicium. Huic ad inferos eunti addiderat crudeli ſupplicio comites, pleroſque familiares militiæque ſocios, & quoſcunque ſciret beneficio illius obnoxios obſtrictóſque, licèt belli artibus clariſſimos, quibus, etſi egeret in tanto curarum æſtu conſtitutus, eorum tamen virtutem vitámque ſuæ poſthabuit Tyrannidi.

Interea Scopinum Virum bellandi peritiſſimum ſuſtulit.

Quid ei obfuerit.

Erat Scopinus Suyſcius præter generis nobi-

Ejus Elogium. nobilitatem ætatis floridæ, duorum & viginti non amplius annorum, magnis ingenii corporiſque dotibus præditus, judicii ultra ætatem maturi, ſtaturæ formæque elegantis, fortitudine animi roboréque præcellens, bellicarum rerum apprime intelligens, & qui exteros milites ſcitè tractare noſſet; proindéque delectus ad conducenda è Suecia ſubſidia, cum quibus de ſtipendiis déque belli gerendi ratione convenerat: utpote iis vicinior, ſiquidem Palatinum majoris Novogardiæ ageret: profectò ſi vixiſſet, magnum rebus Fratris ſui Magni Ducis addidiſſet incrementum, Polonis verò ad tot quæ ſecutæ ſunt poſtea, victorias remoram.

Germano Fratri Demetrio regimen exercitûs committit, viro non adeò militari. In exſtincti locum tradit imperium armorum germano Fratri Demetrio, tutiùs ſecuriúſque in ejus ſinum ſpes ſuas depoſuiſſe collocaſſéque ratus: non magnæ quidem dexteritatis ac fortitudinis viro, ſi non tam militarem ſpectaſſet ſcientiam quàm fidem, quámve ab eo & ab auxiliaribus exterorum copiis exſpectabat. Namque apud

apud ſuos populares omnia intuta erant tædio enormis Tyrannidis, ideóque inviſi Principis, quorum pars maxima votis, deſideriis, ſuffragiis, ad Vladiſlaüm Regis filium inclinabat, & ad celeriorem in penitiora Imperii exercitûs adventum anhelabat.

Nec tardum venerat à Carolo Sudermaniæ Principe ſubſidium, odio in Sigiſmundum Suyſcio facilè conſociato. Namque nepote per ſummam injuriam è Suecia pulſo, rapti ut eſſet ſecurior ſceptri, hoſtem ſe non in Livonia modò, ſed etiam in exteris profitebatur terris; prævidebátque, ſi faventior ſors Moſchoviæ totius Vladiſlao deferret diadema, arctiore res ſuas loco conſtitutum iri, magnorum Imperiorum præpotentibus Dominis jus hæreditarium tanto validiùs propugnaturis. Ac invenio notatum à nonnullis, ex vi fœderis partitos inter ſe fuiſſe Carolum ac Suyſcium Regis Provincias, quaſi certiſſimæ victoriæ indubitata ſpolia. Ille Livoniam ſibi deſtinabat, hic cum territorio ampliſſimo *Carolus Suecus auxiliares copias Suyſcio mittit.* *Canunt ambo triumphum ante victoriam.*

 Civi-

Civitatem arcémque Polocenſem, quam Stephanus Rex, Moſchoviæ terror, olim ereptam avulſámque à Magno Lithvaniæ Ducatu felicibus armis receperat reſtituerátque: & quo ſe firmiore nexu obligarent, ablatas olim à Moſchis finitimas Suecorum arces reſtituit Carolo Suyſcius, magnâ adhæc pecuniæ ſummâ tranſmiſſâ numeratâque, quæ ad exercitum ſufficientem conſcribendum ſatìs eſſet; cujus pars Livoniam invaderet, cæteræ verò legiones ſubſidiariæ in Moſchoviam properarent.

Suyſcius arces Sueco reſtituit & pecuniæ ſummam.

Atque illæ permultum momenti rebus Suyſcianis addiderant: quippe ſtatim ab adventu Duce Ponto de la Garde, Kiernoſicium Tribunum veteranum ad Novogardiam Majorem unà cum copiis ad internecionem deleverant, ut vix ipſe ſuæ cladis nuncius Tuſinum evaderet: & Zborovius iniquam expertus Martis aleam ad Tuerum, relictis hoſti inopinato & ſummâ celeritate advolanti irruentíque impedimentis & equis plurimis, cum ſuo milite fugâ ſe ad tutiora receperat loca, ulciſcentibus exte-

Auxilia Suecica magnum addunt momentum rebus Moſchorum, cum clade etiam Polonicarum copiarum.

exteris cladem ſibi illatam ad Torcicum à Zborovio, ubi poſt atrocem conflictum mille equites Germanos, ſex millia Moſchorum conciderat.

Et ea quidem diverſis geſta temporibus: at poſteaquam Carolo innotuit, Regem cum exercitu in Moſchoviam penetraſſe, & populum Regiæ Domûs adorare venerarique fortunam, non deſiſtebat nova contrahere auxilia, ac ex Gallia, Anglia, Scotia, Belgio, Germania milites arceſſere, & inter tot metus languenti Suyſcio quamprimùm ſuccurrere. Itaque recenter, prout ex duobus captivis Anglis intellectum eſt, miſerat cum Eduardo Hornio tria millia in ſupplementum cæterarum legionum, quæ diuturniori militiâ aut attritæ, aut certè continuis imminutæ bellis erant; ita ut univerſus externæ militiæ exercitus octo millibus tam peditum quàm equitum conſtaret, (quanquam nonnulli, quorum ego ſententiæ ſubſcribo, ſexmillia tantùm fuiſſe referant.) Militavere conductitii Anglorum Scotorúmque plurimi, pauciores Belgæ ac Ger-

Supplentur à Carolo.

Germani, Gallorum equitatus præſtantiâ numeróque ſuperabat, Ductore Petro de la Ville egregio ſpectatóque in bellis Tribuno. In univerſas verò copias habebat imperium Pontus de la Garde & Eduardus Hornius, ille Generalis, Suecicæ militiæ Præfectus, notus Livonicâ, quam à ducibus noſtris acceperat clade, quorum triumphalem currum captivus ſecutus eſt: hic verò alacer gloriæque avidus, & ad bellicam laudem egregio aſſurgens conatu. Ad hoc exterorum ſubſidium præcipuum fidiſſimúmque Suyſcii robur, triginta millia bellatorum ſuppeditavit Moſchovia, præter eos qui in præſidiis arcium attinebantur, aut à reliquo disjuncti exercitu ſuis cum ductoribus Polonos infeſtis oppugnabant diſtinebántque ſignis.

Mille ſub ſex ſignis.

Iis præficitur Pontus de la Garde & Eduardus Hornius.

Moſchi triginta millia bellatorum armant.

Neque verò Rozynius abſque prudentis Ducis cauto diſceſſerat conſilio; caſtráque illa, etſi per tumultum ſeditionémque deſerere cogeretur, ita tamen per vicina Urbi loca diſpoſuerat legiones firmaverátque, ut & tutum militi præberent receptum, & iterum ſi

Interea Rozynius cautè diſceſſerat.

ſi occaſio ferret Moſcuam oppugnandi, ad ipſáque mœnia excurrendi aditum liberum haberet: intercluderet verò hoſti armis ſtrenuè objectis iter ad caſtra Regia Smolenſcum uſque, ſecus omnia aperta habituro. Ac opportuniores arces Civitatéſque præviderat quas tueretur, Volocum, Oſipoviam, Moſayſcum, Rzovam, quarum quoaduſque hoſtis non potiretur, difficulter arma explicare proferréque poterat. Verùm is jam militaris inſolentiæ gnarus, edoctúſque, diſciplinæ vinculo ſolutum militem diſcinctúmque, pro victo debellatóque cenſeri, ſigna infert audacter, miſſo Volviovo qui Rozynii tergo inſiſteret, Volocíque expugnandi occaſiones captaret. Juvit Moſchi Ducis conatûs Rozynii mors, quam militum ſecuta ſunt diſſidia, indéque nulla tuendi præſidii cura, quod deſertum ſubitò relictúmque, paucis Dunenſium Coſacorum equitibus ſervandum commiſerant: ii verò vix conſpectâ oppugnatione exceſſere, Volviovo minori quàm ſperaverat conatu, captæ arcis gloriam concedentes. Et

Locis opportunioribus juſto impoſito præſidio.

Sequitur Volviovus, & poſt mortē Rozynii Volocum expugnat.

Rozynii Elogium. Et quandoquidem Romani Rozynii mors immatura, & vitæ ipſius & pervetuſtæ familiæ ultimam attulit periodum, libet viri fortis brevi elogio excitare lectori memoriam. A Narymunto Gedimini filio, ut fertur è Ducibus Lithvaniæ, ducebat ſanguinem, inde illi ſumma nobilitas aucta majorum ipſius illuſtribus facinoribus, quos bellicis operibus claros Ruſſorum Annales memorant, & exſtantia Kioviæ monumenta elegantibus inſcripta encomiis fidem faciunt. Atque ita conſpirantibus natalium ſuorum decoribus Rozynius non defuit, primæque militiæ rudimenta contra excur-
Caluſienſi dicto. rentes Tartaros infeſtantéſque Ruſſiam feliciter depoſuit: mox ab altero Impoſtore Demetrio in Moſcoviam evocatus cum ſelectis legionibus adfuit, ab eóque univerſo exercitui ſummo cum imperio impoſitus eſt. Ei dum tenaciùs adhæret, ſeſqui anno uſque ad adventum regium Baſilii Suyſcii electi Moſchoviæ Ducis vires ita diſtinuit fatigavítque, ut Imperii ſui haud ſecurus eſſet. Namque commiſſo primùm apud Bel-

Belchoviam oppidum memorabili prælio ingentem illius exercitum fudit fugavítq;, alterum ad Chodincam fluvium nec minorem ſummâ felicitate profligavit, cæſis Moſchorum millibus quatuordecim, ipſorúmque Duce Baſilio Maſalſcio capto: ad extremum Baſilii Suyſcii Majeſtatem exarmatam, unius tantùm Metropolis ambitu incluſit; poſitíſque ad Tuſinum caſtris, obſeſſam tenuit preſſítque: deinde Rege adveniente in Moſchoviam fictum deſeruit Demetrium, turbatíſque per ſeditionem militum animis, dum Voloci ſubſiſtit gravi correptus mor- 8 April.
bo, ſexto Idûs Aprilis extremum clauſit 1610.
diem: ætatis ſuæ anno trigeſimo quinto.
Delatum ad caſtra Regia cadaver militari 21 Junii.
exceptum luctu, indéque eductum ſquallidâ totius exercitûs pompâ Ducibúſque atratis comitantibus, Kioviam devehendum. Mortuum diſertis verbis Chriſtophorus Dux Zbaraſcius laudavit, militíque pro exhibito viro tam illuſtri pietatis officio, gratias egit: ad prolixam Zbaraſcii orationem reſpondente pari ſermonis ubertate Kriſcio Pro-

ProCancellario Regni, cum summo Rozynii ejúsque rerum gestarum encomio, Kioviæ demum in templo sodalium Divi Dominici tumulo illatus est, cujus id non extremæ laudis fuit, quod primus & familiæ suæ ultimus ad gremium Romanæ Ecclesiæ redierit, à quâ Græco schismate infecti majores sui recesserant.

Osipoviam auxiliares Suecici tentant.

Interim ad Osipoviam majori labore virtutéque certatum est, cujus expugnandæ partes sumserant auxiliares Suecici recenter adducti, ideóque primum specimen roboris bellicæque scientiæ daturi erant. Et valido arx Civitásque tenebatur militum præsidio, tormentis egregiè munita, nuper huc è desertis advectis castris: eapropter occasione temporíque insidiari hostis mallebat, quàm apertam inferre oppugnationem. Recensitis igitur copiis, locatísque in subsidium Moschorum millibus aliquot in urbis viciniâ, omnes latére jubent, certísque abditis locis collocant, ex improviso namque summâque celeritate fortunam experiri decreverant. Interea Petrus de

Mille quingentos Piasecius scribit, alii bis mille numerant.

de la Ville Gallicæ Legionis Tribunus, assumtis circiter quingentis Gallis noctu admoveri jussit ad portam lignei propugnaculi adinstar septi Cænobio lateritio prætensi, æneum piloclastrum. Applicata machina nemine sentiente illico tantâ violentiâ flammam evomuit ac sparsim impulit, ut portâ effractâ ac dissiliente, aditum Gallis irrumpentibus aperuerit. Jámque & arcis primum vestibulum & Civitatem Galli conclamantes victoriam intraverant, cùm miles è Cœnobio quod firmius insederat ruere, proturbare hostes, lætósque successu summovere incipit: tantóque impetu ac ferociâ invectus est, ut plerosque fortiter resistentes obtriverit, reliquos expulerit. Ex altera verò parte Rusiecius cum suâ legione accurrit, progressúsque extra Civitatem novâ clade hostem, suis ferentem suppetias, affecit: pugnatum utrinque animosè, ita ut pedes cum pedite, eques cum equite, immoto consistens passu pertinacissimè decertaret, donec constanti illorum virtute loco motus, atque sub ipsos tormentorum ictus

Petrus de la Ville Gallus piloclastrum applicat.

Felici effectu, Gallis Victoriam inclamantibus, qui mox fortiter rejecti expulsiq.

Et à Rusiecio cæsi fugatique.

Moſchorum ſupra mille, Exterorum 500. ictus compulſus, cæſus profligatúſque, diſſipatis Ordinibus fugâ ſibi conſuluit, eámque ad quatuor milliaria extendit, ibi demum quietem locúmque reſpirandi nactus ſuáſque recolligendi ac reſarciendi vires. *Non ſine aliqua Polonorum clade.* Cæſorum numerum magnum fuiſſe conſtat ingentémque illatam ſtragem, nec noſtris incruentam ſtetiſſe victoriam, non quòd multi, ſed quòd primores è Centuriis commilitones in conflictu cecidiſſent. 60 Deſiderati. Itaque pulſo rejectóque hoſte propugnaculum illud ligneum exurunt, Cœnobium latere cocto cinctum muniunt firmántque vallo, additis inſuper operibus ad declinanda hoſtium tela peropportunis. *Qui iterum Cœnobium lateritium muniunt.* Deinde victoriæ nuncium diverſis itineribus per celerrimos tabellarios ad Alexandrum Zborovium & Martinum Kazanovium Viaſmam mittunt, qui auxilii ſibi ferendi neceſſitatem docerent, & hoſtis à recenti clade conſternati perturbatíque ad internecionem delendi, occaſionem commonſtrarent. *Victoriæ nuntium ad Zborovium & Kazanovium mittunt, ſubſidia orant.* Non exſpectavere tamen Zborovium & Kazanovium, quorum uterque ex condicto Carovum *Sed hos non exſpectant.*

rovum convenerat, jámque junctis auxiliaribus copiis Oſipoviam contendebant pugnæ cum hoſte avidi, locíque tam opportuni tuendi conſervandíque ſolliciti: cùm miles ſemel in licentiam effuſus aſſuetúſque ſeditionibus, iterum in diſſidia ac tumultûs efferbuit, nullâ aliàs occaſione (ſiquidem omnia ad defendendam arcem ſuppetebant) ſolâ tantùm accendente, cui jam aſſueverant, inſolentiâ. *Inter ſe tumultuantur.* Varias itaque ſciſſi in ſententias varia proponebant conſilia, alii ſervandam arcem ſuadebant, ſubſidiáque quæ propediem adforent exſpectanda, nonnulli Calugam ſpectabant ſuúmque Demetrium Impoſtorem, in cujus iteratò tranſirent partes: cæteri Regi faventes fidíque, illuc animum & quidquid erat virium, convertebant. *Oſipoviam deſerunt cum tormentis.* Ita diſcrepantibus inter ſe votis animíſque, Oſipoviâ relictâ deſertíſque tormentis, quæ ad arcis præſidium ſuffecerant, tali qui furentium ſolet eſſe impetu, in campum extra Civitatem progrediuntur: ubi caſtris tumultuariè poſitis conſederunt. *Extra civitatem caſtris conſident.* Interim ab uno

uno è transfugis monitus hoſtis è nupera clade ſeſe recolligens, militem Oſipoviâ tumultuantem exceſſiſſe agmine incompoſito, turbatis Ordinibus, caſtríſque conſediſſe quibus nulla munitio, vigiliæ nullæ ſecuritatem præberent, nulla Ducum imperia audirentur, jurgiis diſſidiíſque omnia ferverent, proindéque militem ceu lymphatum inſanientem opprimi, ac præteritæ cladis dedecus egregio facinore deleri compenſaríque poſſe. Læti eo nuncio hoſtes, & abolendæ infamiæ & Oſipoviæ potiundæ cupidi, ſubitariæ expeditioni mox ſeſe accingunt, deligúntque ducentos externæ militiæ equites, Moſchorum verò quingentos: poſt celerrimè advolant, & derepente ingenti clamore ſublato incompoſita caſtra adoriuntur, trucidatis qui primi occurrerant, ſtragem terrorémque inferunt, perturbántque laxatos Ordines: nam & Tribunorum Centurionúmque auctoritatem ſeditio labefactarat, & Ordinem militarémque diſciplinam inſolentia ademerat: mox longè plures à paucioribus diſſipati,

Monetur hoſtis à transfuga de tumultu turbatiſque caſtris.

Advolat & caſtra adoritur.

Diſſipat ac cadit.

pati, palantes per agros vagantur, tergis acriùs inſtante hoſte cædentéque, alii fugæ ademto ſpatio opprimuntur, cæteri dum per paludes cœnoſáſque eluctantur voragines, miſere hauſti abſorptíque, plerique capti, inter quos ductus eſt Philaretus Patriarcha ſaucius, ac nonnulli Moſchorum Proceres, qui ab Impoſtore Demetrio ad Regem tranſiverant. Ruſiecius veteranus Tribunus, ſed cui miles ſeditioſus negaverat obſequium, ægre ad Zborovium evaſit, tantâ támque properâ ſuorum clade attonitum, cui unica diſcordia præbuiſſet occaſionem. Fuſis fugatíſque noſtrorum copiis, hoſtis patentem Oſipoviæ arcis portam ingreſſus, locum ſummè opportunum Regiis conatibus obtinuit, præſidióque impoſito lætus diſceſſit. Pari involutæ ſunt fato reliquæ arces maximo ad victoriam Sigiſmundi futuræ adjumento, & quibus caſtra ad Smolenſcum ceu vallo tegerentur. Rzoviâ Coſaci ejecti ſunt non ſine dedecore, amiſſis namque ſuorum trecentis, cæteri fugâ ſalutem quæſivere, ſummo cum Germanorum

Ruſiecius evadit ad Zborovium.

Oſipoviam obtinent Moſchi.

Rzoviâ, cæteriſque locis ejiciunt præſidiarios.

norum peditum tripudio, qui ſecundo fluvio Volgâ cum tormentis clàm vecti, repentinâ irruptione præſidiarios oppreſſêre. Sed maximè Moſayſci perditi jactura Regios affecit: urbs loco commodiſſimo ad oppugnandam Moſcuam excurſionéſque in hoſticum faciendas ſita, quæ non viribus ſed proditione ſubacta in Suyſcii poteſtatem venit. Præerat cum imperio urbi Wilczek, is certum fidúmque hominem ablégat, qui doceret Suyſcium de Urbis dedendæ conſilio, maturaret ille dummodo quantocius validam manum in conſpectum arcis oppidanorúmque promovere. Atque jam ſecurus adventantium Suyſcianarum virium, quò ſe fidentiùs proditorem celaret, proditionémque callidus obtegeret, nunciat Kazanovio, venire duodecim millium Moſchorum exercitum ad oppugnandum Moſayſcum, ſibi quidem non deeſſe defendendæ Urbis animum, cæterùm tantis copiis abſque ſubſidio imparem eſſe. Ibat Kazanovius ferendi axilii promtus alacérque, cùm in itinere didicit Wilczkum matu-

Moſayſcum Wilczek prodit.

maturatâ proditione fraudéque Suyſcianis copiis obvium egreſſum, Urbem arcémque dedidiſſe, & Moſcuam proditionis ſuæ laturum præmia abiiſſe.

Sublato amotóque inſeſſarum arcium præſidiorúmque metu, pedémque referre coactis Demetrianis quondam copiis, liber ille & campi Dominus, Moſchorum exercitus felici audaciâ ubique re confectâ, explicatis paſſim volitabat ſignis, jámque hoſtis vel ejecti vel amoti ſecurus, majora aggredi conſtituit. Conjunctis itaque viribus laboranti diuturnâ obſidione Smolenſco, ſuccurrere decreverat, experiri primùm nihilominus volebat fortunam, quæ hactenus in expugnandis arcibus à partibus ipſius militabat, eandémque ad Bialam civitatem cum arce munitiſſimâ totiúſque Severiæ poſt Smolenſcum nobiliſſimâ, admotis machinis & pertinaci obſidione eripiendam, in ſubſidium advocabat. Non paruit tamen illa votis hóſtium, & quemadmodum pulſa per ſeditiones tantiſper ultura militares tumultûs ad illos tranſiverat, ita mox

Moſchis creſcit animus, qui Smolenſcum obſidione liberare intrudunt.

Sed primùm Bialam tentare volunt.

Cui Gosievius praeerat, Regique asseruerat. virtutem fortitudinémque Alexandri Gosievii Præfecti Velisiensis reverita, lateri ipsius perpetuò individua comes adhæsit. Et ipsius tunc præsidio tenebatur Biala, quam ille sex mensium pressam debilitatámque obsidione, unius sæculi spatio Moschorum servituti obnoxiam, pristino restituit dominio: id verò quemadmodum evenerit, breviter referam.

Quâ ratione & quàm fortiter. Demetrius Impostor cum dedentium sese urbium arciúmque prona reciperet obsequia, Bialam nimiè pertinacem expertus est: miserat itaque ter mille Cosacos Zaporovienses, qui refractariam aut obsidionis tædio, aut certè vi in suam cogerent potestatem. Sed illi certiores de Regiis ad Smolenscum castris facti, nunciant per legatos, spreto Impostoris mandato se Regia imperata libenter facturos, ejúsque copiis sese associaturos. 15 Novemb. 1602. Mittitur illico à Rege Gosievius cum aliquot peditum signis qui obsidioni cum imperio præesset, ordinarétque arci oppugnandæ necessaria, quibus miles suâ tamtummodo velocitate levibúsque in stru-

structus armis vix sufficeret: præsertim cùm arci satis munitæ validæque, sexdecim præsidiariorum millia imposuisset Dedosinus loci territoriique Præfectus, vir manu, consilio audax. Et Gosievius quidem confestim ab adventu suo rem strenuè gessit, legiones Cosacorum recensuit, stationes disposuit, operibus cinxit, ad extremùm Dedosino Palatino ad colloquium evocato deditionem suasit, ni extrema pati vellet. Renuente illo séque ad defensionem fortissimè comparante, Gosievius interim à transfugis edoctus arcem aquæ inopia laborare, quam præsidiarii per occultos ac subterraneos meatûs è vicino peterent stagno, rescindi subitò aggeres imperat, omnémque emittit aquam exsiccátque, ita ut fœtentes ejus reliquias luto inhærentes, obsessi in scrobes puteósque derivare cogerentur. Ad extremùm cùm & vires Gosievius sæpius exeruisset, arcémque tormentis, milite invasisset, mordicus sese tuentibus Moschis, quos externæ machinæ ad diditionem compellere non poterant, omnibus

 tor-

tormentis gravior interna fames expugnavit. Namque à tanto defendentium numero ad quatuor millia redactos, maluit Palatinus has quoque militum reliquias ſervare, ſuadentibus id præſertim nonnullis partium Regiarum Moſchis, ut indubitatæ Sigiſmundi ſe permitterent clementiæ. Atque ea omnia virtute ac dexteritate Goſievii effecta ſunt: quippe arx cum omni apparatu ac inſtrumento bellico dedita eſt,

13 April. 1610. Palatinus cum milite Regi fidem obſequiúmque detulit, Principi Vladiſlao Sacramentum dixit, cætera quæ cum illis Goſievius pepigerat convenerátque, juramento utrinqui firmata.

Huic itaque arci urbíque recens acquiſitæ juſſu Regio præerat Goſievius, vir ut ad expugnandam ſtrenuus, ita ad defendendam tuendámque fortiſſimus. cujus bellicæ virtuti prudentiæque militari tutò commiſſa, hoſtium conatûs irritos fore experti ducis vigilantia pollicebatur. Sed hoſtis præteritis tumidus victoriis, ibi quoque palmam quæſivit. Selectis itaque (prout

captivi duo Angli retulère) Moſchorum equitum peditúmque quatuor millibus & quingentis, ducibus Chounacio & Boratinio, Anglorum item Gallorúmque duobus millibus & quingentis cum Legato Eduardo Hornio, præter agreſtium colonorúmque turbam, ad oppugnandam Bialam properavit.

Moſchi cum externis auxiliaribus duce Hornio ad Bialam properant.

Eorum adventu cognito Goſievius obviàm progreſſus, fortè in ſeptingentos equites mixtis tam Moſchorum quàm externorum manipulis agmina præcedentes incidit, collatíſque ſignis fudit, nonaginta Moſchis deſideratis, quadraginta exteris captis, ſedecim ultrò ad eum tranſeuntibus: cæteris fugâ dilapſis, quos inſequi nec tempus nec occaſio patiebatur: quippe arci timebat, ne ſe abſente longiúſque progreſſo periculum adiret, paucis ibidem remanentibus præſidiariis: propterea ſuffeciſſe interim ratus, hoſti tam poſpero primæ ſalutationis officio animi imperterriti reverentiam incuſſiſſe, in arcem ſe recepit.

Goſievius prodit obviàm, & ſeptingentos ex hoſtibus fugat.

Atque ea clades commoverat hoſtem: namque ſubitò ſuperveniens, & collato

In arcem ſe recipit & proditores punit.

clàm per exploratores conſilio ſuis cum popularibus qui in arce erant dubiæ erga Regem fideï, iis injunxerat quatenus ſub primum oppugnantium impetum injecto ſparſim igne arcem inflammarent, tum verò pedites ſclopetis majoribus armatos ſubire juſſit, equitibus verò ut peditatum ſequerentur, mandavit.

Hoſtem ab arce ſummovet.

Sed patefactâ per Germanos transfugas fraude, ſumtóque de proditoribus ſupplicio, erumpit illico Goſievius militum ſuorum alacritate fretus, quos peditatui opponit, equitatum verò hoſtilem eminus tormentis petere jubet. Fit atrox pugna, hoſtíſque qui oppugnatum arcis mœnia ibat, erumpentium præſidiariorum audaciâ in prælium evocatus, mox pulſus cæſúſque, ad extremùm diſſipatis agminibus receſſit, nocte dirimente conflictum, quò honeſtiùs victæ partis ignominiam tegeret, ni illam ſubſequens dies oſtenſâ ducentorum cadaverum ſtrage, prodidiſſet.

Ducentis cæſis.

Tantæ cladis eluſique conatûs impatiens Hornius, qui Bialæ capiendæ ſubitò ſpem con-

Hornius cladis impatiens Goſievium literis compellat.

conceperat, literis per tubicinem miſſis cum Goſievio certavit, dicens: ſe non ad oppugnandam veniſſe arcem, imparatum videlicet deſtitutúmque tormentis, iiſque rebus, quæ ſubvertendis propugnaculis munitionibúſque uſui eſſent, ſed ad pugnam juſtíque prælii aleam committendam, quam cur in patenti detrectaret campo mirari ſe, cùm & nobilitate & laude militari clareſceret: non eſt quod ſe efferret jactarétque de felici ſucceſſu, qui eï contra primam legionem ſuam contigiſſet, produceret interim centum haſtatos equites adversùs totidem ſuos, viſurum uniuſcujúſque haud dubia experimenta virtutis: cæterùm de commutandis captivis mitiùs ſecum tranſigeret.

Pugnam offert.

Reſpondet Goſievius.

Reſpondit modeſtè Goſievius: Quod non oppugnandæ arcis gratiâ ſed militis ſuíque viſitandi cauſâ veniſſet Hornius prælii committendi avidus, infelicitatis id ſuæ eſſe, quòd tanto hoſpiti in finibus ditionum Regiæ Majeſtatis, aut certè longiùs ab arce non occurriſſet. Sed cùm eï, qui pro officio Tribuni militaris ſanguinis diſpenſator eſſet,

esset, circumspectè agendum foret, ut expensi supremo Judici justas poneret rationes, nec scivisset quod genus hominum, aut cujus sequerentur militiam; non absque temeritatis notâ ad committendum prælium se properaturum fuisse. Satis erat contra septingentos, exploratrices aliquot hastatorum velitúmque decurias præmittere, quæ primæ salutationis officium peragerent. Progressum se quoque fuisse cum parte exercitûs, diutiúsque exspectasse, donec & tempestas ingruens & hostis haud comparens signum receptui canere jussisset. Centum hastatos equites adversùs totidem partis alterius libenter se mittere velle, ferret parvulam moram, facturum se copiam optatæ ad satietatem usque dimicationis. Quod verò de commutandis ageret captivis, exercitum se habere integrum, nemine militum desiderato: significaret ille quos attineret, sciretque, suos in Christianorum devenisse manûs, ita tractandos prout pietati consentaneum foret. Cæterùm cùm à Suyscio Hornio ipsiúsque legionibus, prout aliunde in-

Nec detrectat pugnam.

intellexisset, militaria non procederent æra, venissétque Hornius in exteras regiones & gloriæ acquirendæ & stipendiorum causâ, adjiceret potiùs Regi suam operam, quem universâ Moschovia ultrò arcesseret venerarerúrque, relaturum majorem gratiam, ampliora stipendia, præclariora præmia ab eo, qui & regio stemmate ortus, & Rex esset, quæ frustra à parricida & proditore exspectaret Suyscio, quem non generis prærogativa, non ullus natalium decor extulisset, sed alienum sceptrum per scelus ac flagitium arripuisset.

Hornium ad Regias partes invitat

Accepto responso Hornius perspectâque veterani Ducis virtute, quam in vanum lacesseret, tumidúmque potiùs hostem ac sui jactantem redderet, sub prima noctis vigiliâ signa movit Rzoviam versùs, tribus ab arce leucis eâdem nocte emensis, celerriméque iter suum Rzoviam prosecutus est, adventantis Zolkievii cum copiis nuntio territus, non absque tamen clade quam Cozaci à Kazanovio missi, intulerant, captis impedimentis curribúsque, deletísq; iis, qui ad

Hornius accepto responso Rzoviam recedit.

Et Goſievius à Rege in caſtris benignè excipitur.

ad eorum cuſtodiam remanſerant. Et Goſievius poſt captam ſervatámque Bialam in caſtra regia adveniens, ſolenni gratulatione omnium eſt exceptus, tulítque à Rege in publico Senatûs conſeſſu militúmque coronâ luculentum fortitudinis ſuæ elogium, perorante nomine Regio Cancellario Lithvaniæ, ejúſque facinora, quæ & tunc & alibi in re militari edidiſſet, quæſitis verbis, ſumma cum laude recenſente. Sed hæc ut poſtea evenêre, ita alium narrandi poſcebant locum, niſi me neceſſitas rem non interruptè tradendi huc perduxiſſet.

27 Junii 1610.

Sapieha.

Felix hoſtilium armorum ſucceſſus, Regios percellit.

Redeo ad regia caſtra, quæ felix hoſtilium armorum ſucceſſus perculit, crebreſcente indies vulgantéque famâ, deditiones arcium, urbiúmque, copiarum olim Demetrianarum clades, quæ hoſtili preſſæ robore, pedem recipiebant, ſuâque ſeditione debilitatæ Moſchorum ingruenti potentiæ haud ſufficiebant. Auxit metum reputantium patêre hoſti ad Smolenſcum inceſſuro apertam viam, & imminenti Moſchorum impetui caſtra exponi, damnantibus

bus pleriſq; avocati à Demetrio militis conſilium, cujus humeris ſubſidiariis tutiùs ea moles belli incubuiſſet, quæ jam gravior Regi, ipſiúſque ferenda legionibus, eſſet. Et præmiſſus quidem erat Martinus Kazanovius, qui ſe Alexandro Zborovio conjungeret, utque, ſi exercitus Demetrianus iis quæ ſibi à Rege propoſitæ fuerant conditionibus acquieviſſet, tentaret omnes reï bene gerendæ occaſiones, hoſtémque diſtineret. Fecit quidquid erat ſui officii vir magnanimus, namque, prout Zolkievio ſcribit: obſervari à ſe in id unicè intento, quò conatûs hoſtium conſiliáque vergerent, omnéſque circumſpicere occaſiones, velléque præcludere facilitatem itinerum ad regia tendentium caſtra, firmatis præſidiis quà hoſti eundum eſſet locis, id tantùm ſibi obſtare, videlicet diſſolutum militem, caſtrenſis diſciplinæ oblitum, continuis ſeditionibus ferventem, detrectantémque imperium ductorum, ac in omnem projectum laſciviam, cui contemtis rectoribus per ſummam licentiam nimiùm indulgeret.

Præmittitur Kazanovius, qui junctis cum Zborovio viribus hoſtem diſtineret.

Viaſma 5 Martii 1610.

Tandem Zolkievium summum copiarum ducem ire jubet.

Poſt maturam tandem deliberationem Staniſlaüm Zolkievium Palatinum Kiovienſem Rex advocat, eundíque ad illum exercitum neceſſitatem exponit, videlicet: ſupremo armorum Duci tantò promtiùs parituros, quantò debitam ſecum ferret ad eos emeritæ auctoritatis reverentiam, ab eo & diſciplinam militarem reſtitui poſſe, & diſſolutas in ordinem reduci legiones. Et quandoquidem hoſtis ingrueret, non pateretur recentibus victoriis elatum inſoleſcere, reductíſque ad obedientiam agminibus, ſuas quoque iis conſociaret copias: tenderet adverſùs ferocientem reprimerétque, & Smolenſcum eunti armis objectis iter præcluderet. Moniti quoque Moſchorum qui in caſtris erant Proceres, ut iter verſùs Moſcuam adornarent, unà cum noſtrorum ſignis eò profecturis. Sed Zolkievio abitum paranti trepidus ſupervenit nuntius, Bialam magno conatu ab hoſte peti, auxiliaria Suecorum ſigna, & Moſchorum non contemnendum ad oppugnandam obſidendámque venire exercitum. Go-

Solticus & alii.

Qui Bialam ab hoſte peti edocetur.

Goſievius quoque recens deditæ captæque arci metuens, quod ad diuturnam obſidionem ferendam à pulvere tormentario & re cibariâ imparata eſſet, ſubſidia ardentiſſimè flagitabat.

Ideóque properat, quibus cum copiis & earum ductoribus.

Zolkievius qui magnopere ſibi laborandum exiſtimavit in acceleratione ſubſidii, ſubitò duo millia equitum, pedites mille præcedere imperat, tum Palatino Braclavienſi Potocio relictâ ad Smolenſcum exercitûs Regii Vicariâ curâ, tormentis eorúmque ſuggeſtibus Szembergio, amoto 7 Junii. inde Vaxmano, commiſſis, ipſe copias ſuas ſecutus eſt, quæ longè minores iis erant, quas Potocius ſibi delegerat, cum illi à Rege contra hoſtem eundi eadem neceſſitas impoſita fuerat: & Zolkievius conſcius exiguarum quas traheret virium mox aperto objiciendarum diſcrimini, maluit tamen forti & imperterrito animo fortunam quò ſe duceret, ſequi, quàm ad Smolenſcum deſidére, cujus expugnationem difficilem ſemper prævidebat prædicebátque. Nec minùs egregii ſingulis quibúſque co-

Hæc ex Zolkievii Commentario.

 horti-

hortibus turmísque Præfecti numerabantur. Stanislaüs Koniecpolius structor mensæ Regiæ (quem inciſorem vulgò vocant) Velunensis Præfectus, rerum militarium usu clarus, gestis postmodum amplissimis in Republicâ honoribus insignis, & à morte Zolkievii supremus Regni Poloniæ armorum Dux. Alexander Balabanus vir ad Martiam natus palæstram, ex sorore Zolkievii nepos. Dux Poricius, Nicolaüs Strussus Præfectus Chmielnicensis & paternâ bellicâ gloriâ & maternâ Potociorum clarus, rebúsque gestis in Moschovia & alibi celebris. Joannes Sapieha Præfectus Slonimensis Lithvaniæ Cancellarii filius, Olizarius, Nievidovius, Herburtus Præfectus Tlumacensis, Malinius, Chwalibogus, aliique, omnes veterani & militari laude conspicui.

Castellanus Cracoviensis fuit.

Leonis Sapiehæ.

Sed Hornius posteaquam Zolkievium iísque ductoribus animosè Bialam properantem intellexisset, fugiens belli aleam, & multarum palmarum inclyti Ducis felicitatem timens, tum (prout retulimus) à Gosievio

vio fortissimè repulsus crebrísque excursionibus fatigatus, deseruerat arcem, citatóque cursu Rzoviam acceleraverat. Zolkievius comperto Hornii discessu, &, metu obsidionéque solutâ Bialâ, remissis ad Regia castra Slonimensi & Sandecensi Præfectis, duobus insuper Centurionibus suis cum cohortibus, tergis hostium inhærere, & ad Moschorum exercitum, quem Duce Demetrio Suyscio ad Mosaiscum ingentem constitisse f ma vulgaverat, die noctéque properare decreverat. Festinandi ea postremùm inerat ratio: videlicet insolentia illarum legionum, quæ, etsi ad regias inclinassent partes, ne tamen propinquioris hostis occasione funestiùs quidpiam attentare auderent, præsertim cùm dubiam illorum fidem proderent nutantes animi, licentia effrænis, & turbidarum mentium seditiosa consilia: ad quæ avertenda ivit citato cursu, relictis impedimentis, nec sibi, nec militi parcens, quorum singulis præter hunc cui insiderent, alterum sessore vacuum ducere equum imperavit, commodiùs si fortè alicubi

Comperto Hornii discessu liberáque Bialâ contra hostem tendit.

Sapieha & Lubomierscio.

Et quidem citato cursu relictis impedimentis.

cubi derepentè pugnæ offerretur copia, ex eo bellaturis, quem nullum onus fatigasset. Advolat itaque mox vicinus Zborovii illarúmque legionum castris consedit. Deinde edoctus, Demetrium Suyscium cum universis copiis Mosayſci commorantem præmisisse Gregorium Volviovum, & Ducem Jelecium cum decem millibus Moschorum, qui ad Carovum oppidum (ita à conditore Borissio Magno Duce, seu Caro vulgariter appellatum) locum magnopere opportunum interciperent, firmóq; retinerent præsidio. Et illi (prout mandatum erat) jam advenerant, castrísque trans fluvium oppidum alluentem positis, castellóque intra paucos dies excitato, in omnem sese vim communiverant. Quam hostis audaciam intuitus, à contumacium legionum receptu fugæ similiori, desertíque perperam loci ignominiâ accensam, statuit eum sine mora aggredi, fidentiùs ferociúsque insultantis impetum repressurus. Igitur nocte quieti datâ promovet copias, mediíque milliaris intervallo à Carovo universo cum exercitu sub-

Interim cognoscit Volviovum & Jelecium Moschos cum numeroso milite ad intercipiendum Carovum perrexisse.

Quos statuit aggredi.

sistit: immoto Zborovio, cæterísque legionibus detrectantibus recusantibúsque Imperatorem sequi.

Habebat in animo Zolkievius suadente Zborovio ipsemet eorum adire stationem, eósque pro concione alloqui, quidve suo milites deberent Imperatori admonere, sed cùm illi temere pertinacitérque negarent præsente Zolkievio se in concionem prodituros, mittit illico Nicolaum Herburtum Præfectum Tlumacensem qui indignam viris militaribus objiceret exprobrarétque insolentiam, quereretúrque, non eo honore, eâque grati animi significatione illorum excipi Imperatorem, quem à suis olim commilitonibus exspectasset: orare nihilominus obtestaríque per amorem patriæ, resipiscerent aliquando, acciperent tandem Ducis sui imperium, conjungeréntque copias, tollerent infamiam quam illis sequior irrogaret sexus, castráque per summam libidinem Veneri dedita, iterum prout viros deceret, armorum Deo restituerent. Quodsi verò illis offensionis causam præberet

Compellat primum per Herburtum Demetrianos milites insolescentes.

Ad conjungendas copias hortatur.

Marti.

Cum spe donativi.

Cum ſpe donativi. non perſolutum donativum, id eſſe propediem numerandum, cùm id hactenus per ſummam itinerum difficultatem viarúmque non licuiſſet latrocinia.

Reſpuunt illi obſequium ni donativum ſolvatur. Tacitus ad illa, quæ de diſciplina militari ſoluta objecerat Herburtus, hæſit miles, veterem ſubitò exorſus querelam promiſſúmque donativum acriùs urgere cœpit, *Centum millium florenorum. ad 29 Junii.* quod niſi ad præſtitutum ſolveretur diem, fruſtra ab eo exſpectari obſequium, ſecus aliter ſibi conſulturum. Ne tamen omnem humanitatem reverentiámque exuiſſe videretur, *Interim ſpem faciunt conſociandorum armorum, ſi neceſſitas ingrueret.* adjecit ſpem, videlicet, ſi interim urgens neceſſitas periculúmque ingrueret, non deſerturum ſe Imperatorem, eique venturum auxiliarem.

Zolkievius contemnit inſolentes, & abit. Zolkievius qui nihil de ſua imminutum vellet auctoritati, néve demiſſiùs agere videretur, aut quæſitam illorum gratiam appareret, eóque majorem quaſi ſupplex Imperator augeret inſolentiam, deſtitit, neglexítque illorum contumaciam: reputans eo contemtu perſtrictos, faciliùs ad ſaniorem redituros mentem, proinde non ampliùs

pliùs compellatis abiit. Jam etenim non minore opus erat celeritate in tanta hoſtis vicinia, cujus ut ſtationes, vires, ſitum loci quem ſuis caperet caſtris, obſervaret, cum paucis equitum ſignis procurrit. Et venientem præmonitus hoſtis ſubitaneâ excepit pugnâ, peditum ſignis & equitum cohortibus aliquot immiſſis, quæ ab ingreſſu *Hoſtium ſtationes & ſitum caſtris commodum ſpeculatur.* aggeris pontíſve arcerent: ſed in eas fortiter invectus, ultra pontem & aggerem palantes ſummovit, & circumvectus oppidum *Non abſque velitationibus hoſti infauſtis.* ac loca poſitûſque contemplatus, eodem *23 Junii.* quo exierat, ad caſtra rediit die, nemine ſuorum amiſſo, duobus ex hoſte captivis ductis, & altero quidem non vulgaris notæ quingentorum velitum Tribuno.

Sequenti die motis caſtris aciéque inſtructâ, ſub oppido Carovo prope aggerem qui *Nobilis erat Smolenſcenſis. 24 Junii.* torrentem in ſtagnum influentem continebat, conſtitit. Moſchi pridianæ velitationis dedecore accepto non auſi in apertum prodire, inter arbuſta quæ infra aggerem ex- *Zolkievius explicatâ acie ſub Carovo conſtitit.* creverant, cum eóque velut eundem effecerant parietem, nec non in ipſo aggere inter

 exiles

Hoſtis ad aggerem inſidias ſtruit. exiles foveas à recenti pluvia undarúmque impetu excavatas, ac partim humo egeſta excitatas collocant aliquot Sclopetariorum centurias, quas monuerat Volvievus, ut, ſi heſterno fervore aggerem Poloni tentarent invaderéntque, illi ex inſidiis felici collineatione ſcloporum invaſores peterent arceréntque. Sed Zolkievius ſuſpicatus inter fruteta arbuſtáque hoſtem latere poſſe, militem ab ingreſſu aggeris prohibet, ſimulátque non ulteriùs ſe velle progredi, cùm tacitus in animo noctem tranſgrediendo occupandóque deſtinaſſet. Interim Moſchi ubi Zolkievium nihil attentare immotúmque ad aggerem conſiſtere nullâ ampliùs promovendorum ſignorum curâ, animadvertunt, pertæſi moræ, inter foveas commeare invicem capitáque ſecum conferre incipiunt: viſi ab excubante milite, ſubitóque fit certior de inſidiis Zolkievius, mox inſcio nec opinante hoſte ſummo ſilentio adverſam aggeris partem peditum aliquot ſigna petere jubet, hoſtémque inſidias ſtruentem aggredi imperat. Fungitur

His eluſis aggerem aggreditur & pugnat.

gitur officio miles ſtrenuè, veniunt ſubſidiarii Cozaci, ex equis deſiliunt, pugnatur utrínque, feliciùs à Zolkievianis, qui pulſo hoſte aggere potiuntur, & in fugientem longiùs invecti ultra fluvium qui à pedite faciliùs quàm ab equite propter uliginem tranſiri poterat, palantem cædunt fugántque. Volvievus fugâ ſuorum cognitâ, mittit ter mille pedites equitéſque ſubſidiarios, qui ſuis cedentibus præſto eſſent, & peditatum Zolkievii cui non tam promtum ab equite ſperabat auxilium, intercluderet. Ac Zolkievius pontem à Moſchis reſciſſum celerrimè refici mandaverat, & traductis equitum turmis prælium cum hoſte committit, nec incruentum: cæſis propè centum partis adverſæ militibus, captíſque nonnulllis, reliquis intra Caſtellum à Volvievo & Jelecio illorum ducibus nuper exſtructo rejectis repulſíſque. Apud Zolkievianos omnium jacturam (quæ tamen in milite cæſo ſaucióque minima) mors Martini Weiheri facilè ſuperavit, & victoriæ lætitiam confudit, & exercitum gravi damno, nec

Martinus Weiherus occumbit.

nec impari Zolkievium dolore affecit. Is namque post edita sæpius magnæ fortitudinis documenta, cùm animosiùs magis quàm cautiùs sub ipso Castello in hostem sese infert, plumbeâ trajectus glande occubuit.

Ejus Elogium.

Ac in hunc summæ exspectationis virum multa concurrebant. Pater illi Ernestus Weiherus nobili & antiquâ stirpe ortus, familiæ suæ in Polonia sub Augusto & Stephano Regibus claritudinem auxit. Ductor Germanicarum legionum pedestrium præclaris bellicis facinoribus notus, & Regi & Zamoïscio tunc summo Imperatori carus, magnorúmque in re militari operum administer fuit: tulerátque à Stephano meritorum suorum non vulgare præmium Præfecturam Pucensem & Tigenhofiensem. Domicilium in Prussia fixerat uxore ductâ ex vetustissima nobilissimáque Mortesciorum familia, ex hac liberos complures sustulit. Ludovicum Koscierinensem Marieburgensem Præfectum, Joannem Pucensem Radzinensem Præfectum, deinde Pala-

Palatinum Culmensem. Melchiorem ejusdem dignitatis successorem Præfectum Szluchoviensem, Demetrium Castellanum Gedanensem, Martinum recens extinctum, qui omnes bellica in domo innutriti, militarem prudentiam velut hæreditariam habuêre. Ex quibus duo tunc cum Rege in castris aderant; Joannes Germanicæ legionis Tribunus, & Ludovicus equitum hastatorum ductor, ad quos tristem nuncium de cæde fratris misit Zolkievius, communicato cum illis dolore simul & allevamento ex commemoratione virtutum ejus.

Zolkievius militi stationes assignat.

Occupato aggere Imperator, pedites mille quingentos, & Cozacos ultrà tendere jubet, sinistram aggeris partem propinquam hostium castello peditatui attribuit, ad dextram Cosacorum carraginem collocat, ipsemet cum reliquo exercitu cis lacum castris considet. Ac eo ipso die redeuntibus è prælio copiis, supervenit Alexander Zborovius cum duobus millibus equitum & quingentis. Ergo profectus ad illas legiones Zolkievius quarum jam furor & con-

Zborovium cum copiis advenientem gratè excipit.

contumacia aliquantùm ſubſediſſet, hilari vultu magnâque grati animi ſignificatione venientes excepit, hortatúſque eſt, ut ſemotis altercationibus officii ſui erga Regem & Patriam memores eſſent, foréntque interim gratiæ Regiæ certi. Auditus ſummo cum ſilentio obſervantiáque, ac inclinante jam in veſperam die, mittunt qui ab Imperatore peterent, num eos promiſſi donativi intra octiduum perſolvendi certos ac ſecuros redderet, id ſi obtinerent, duceret Imperator quò vellet, promtos alacréſque daturos voluntatis promtitudiníſque ſuæ erga Regem Patriámque luculenta ſpecimina. Ad hæc Zolkievius: Donativum certo certiùs habituros ſanctè ſe ſpondere, fidem ſuam verbo interpoſitam octidui ſpatio circumſcribere nolle, cùm tempus illud arctum variis obnoxium caſibus eſſet. Reſponſo deliniti quievêre, mox in citeriore torrentis ripa, quæ & aggerem & Imperatoria caſtra ad dextram habebat, ſtationem deſignatam obtinuêre ceperéque.

Et promiſſo donativo ad obſequium reducit.

Et jam acceſſu legionum ſuiſque copiis potens

potens Zolkievius hoſtem in dies arctiùs premebat ſtringebátque, inſuper Caſtellum & caſtra Volvievii ac Jelecii quatuor ſubitò è tranſverſis trabibus terrâque aggeſtâ excitatis propugnaculis, in eâque inductis pleriſque centuriis, & aquationem & pabulationem prohibebat. Ad extremùm denſis ubique ſtationibus concludebat, fugæ occaſionem ad quam vicina invitabat ſilva præripiens: inſeſſâ adhæc crebro milite firmatâque quæ Moſaïſcum ducebat viâ, quod inde adventantes Moſchorum, & ſubſidiarias exterorum turmas, fama tuliſſet, ſpéſque erat ad eas redactum anguſtias hoſtem, ante Demetrii Suyſcii adventum brevi debellandum. Sed nec ille ſegnior tardiórque in adventando, jámque Moſaïſco & cum eo quidem quem numeroſum trahebat exercitum, moverat. Collegerat confeceratque partim è Moſchis partim externis ultra quadraginta millia equitum peditúmque, atque inter primores in exercitu comparuêre Moſchorum Satrapæ clari nobiléſque, Andreas Gallicinus, Daniel Mieciecius,

Caſtellum & Caſtra Volvievii quatuor propugnaculis ſtringit.

Cum ſpe brevi debellandi.

Demetrius Suyſcius cum exercitu movet.

Palatinos vocant.

ciecius, Jacobus Borutinius, Baſilius Buturlinus, non ferendi tantùm Volvievo Jelecióque auxilii ſecuri, ſed delendi cum ſuis copiis Zolkievii, diuturnæque obſidionis tædio liberandi Smolenſci ſpe tumentes.

8 milliaribus. *Zolkievius de hoſte certus conſilium requirit.*

Fit certior Zolkievius illos octo paſſuum millibus ab oppido Carovo præteritam egiſſe noctem, confeſtímque advocatis in conſilium Tribunis Centurionibúſque quærit: quid è re commodóque cenſerent? an hoſtem celeritate occupandum præveniendúmque eſſe? an eo ubi conſtiterint in loco exſpectandum? aſſentientibus plerisque antevertendum ſuæ in hoſtem expeditionis nuntium, ingentéſque illius copias ſubitario inſperatóque aggrediendas impetu. Zolkievius in neutram partem dictâ ſententiâ velut deliberabundus è conſilio exceſſit. Statuerat ille apud ſe hoſti obviàm ire, celandi verò propoſiti cauſam dederant complures in exercitu Moſchi, quorum verebatur proditionem, ne Suyſcium aut Volvievum ſui admonerent conſilii. Quapropter relicto univerſo peditatu qui nuper

nuper excitatas munitiones Caſtelláque ſervaret, continuâque ſcloporum exploſione negotium hoſti faceſſeret, tum & equitum Coſacorum turmis ſelectioribus, ad diſtinendum fatigandúmque crebris excurſionibus Volvievum, iiſque omnibus Jacobo Bobovio viro expertæ virtutis ac fortitudinis præfecto, ipſe jam propè in umbrante veſperâ, ſummo ſilentio, Tribunis Centurionibúſque, ſcripto monitis, quem quiſque in procinctu itineris ſervaturus eſſet ordinem, Cluſinum versùs contendit, ductis equitum millibus quinque. Namque ad ſuos bis mille quos è Regiis eduxerat caſtris, adjecti ter mille partim è Zborovianis, partim è Cozacis Piaskovio & Juaſinâ ductoribus, eam in univerſum efficiebant ſummam. Sanè tunc apparuit, non pro numero fuiſſe robur, ampliúſque in rebus bellicis vires quàm homines poſſe.

Peditatum relinquit & Coſacos ad deſtinendum Volvievum.

Ipſe ſummo ſilentio noctu Cluſinum verſùs contendit.

Non tam à numero militum quàm ab illorum robore ſecurus.

Nocte itaque totâ quæ menſe Julio brevior, iter ſuum proſecutus eſt Zolkievius: & quatuor confectis milliaribus ante diluculum ad hoſtem pervenit Cluſinum præter-

Pervenit ad hoſtem.

4 Junii.

tergressum. Et ille quidem certus victoriæ quam à paucitate exilique Polonorum numero tumidè præsidentérque sibi pollicebatur, nullis cinctus excubiis somno adhuc indulgebat, tanto etiam contemtu, ut solâ sui exercitûs famâ fugandum à Carovo Zolkievium existimaret, nec exspectaturum tantum imminentis sibi Moschoviæ robur. Et Pontus externæ militiæ dux ad fastum Demetrii suam quoque adjecerat arrogantiam. Namque pridianâ vesperâ à Suyscio convivio exceptus jactabundus retulit: captivo olim sibi ad Volmariam oblatam fuisse à supremo Polonarum copiarum Præfecto togam pellibus mardurinis suffultam, habere se quóque nunc pelles zebellinas quas mox capiendo Zolkievio non absimili rependeret officio. Verùm ille ultra spem hostium animosior, expergefecisset proculdubio Moschos tantopere suæ securitati indormientes, ni moram attulissent viarum molestiæ, quarum iniquitate duo tormenta campestria hæserant, & antequam omnes copiæ è silvis cœnosísque anfractibus elucta-

Spe futuræ Victoriæ tumentem contemnentémque Zolkievium.

Volmaria Livoniæ Civitas. Zolkievius

ctarentur unius horæ intercesserat intervallum, distinuerátque Imperatorem. Attulêre quoque remoram promtiùs celeriúsque invadendi hostem sepes in transversum per campum quà patebat aditus ad Moschorum castra præstructæ, intérque eas duo pagi maximo futuri Zolkievio ejúsque militi damno, si eos immissis Sclopetariis pertinaciùs insedissent. Atque ita dum & sepes perfringuntur, & pagi incensi fumant, tunc primùm Moschi collucente flammâ experrecti excitatíque, sensere adesse ducem intrepidum audacémque cum exercitu cujus comtemtor hostis numerum non robur invictámque animi fortitudinem computasset. Ac legio Alexandri Zborovii confestim in acie dextrum latus occupat, sinistrum, Nicolaï Strussi Præfecti Chmielnicensis. Et illius latera tergúmque cingebant subsidiariæ Martini Kazanovii & Ludovici Veiheri turmæ, quorum ille præsens, hic per Vicarium Samuelem Dunikovium aderat, huic Imperatoris legio ferebat auxilium, cui Joannem ducem Poricium præfecerat, reliquæ

Qui hostem excitat sepibus perfractis & pagorum incendio.

Tum aciem ordinat

Zborovii

Strusi.

quæ equitum centuriæ hinc & inde ſparſim reſervatæ, in omnéſque diſpoſitæ ſunt eventûs. Piaskovius ſuis cum velitibus locum ad virgulta quæ levo cohærebant lateri cepit. Jam hoſtis quoque excitatus inſtructam oppoſuerat aciem mirâ loci opportunitate uſus, pro quo lacus, ſilvæ, ſepes pugnarent: ſiniſtrum cornu Demetrius Suyſcius Moſchis equitibus attribuerat, peditatum à tergo ponè ſilvas virgultáque collocarat, laboranti equitatui quaſi ex improviſo ſubſidiarium futurum. Ad dexteram prominebant ſepes, quercinæ altæ in longum latúmque extenſæ, inter quas ceu obtento vallo Pontus & Hornius externæ militiæ peditatum ſtatuerat, equitum Raitrum turmis additis, quæ & tergum ſervarent, & auxilio legionariis eſſent.

Idem faciunt Moſchi.

Animatis itaque brevi ſermone militibus Zolkievius ſignum pugnæ dari jubet, ac ii quibus mandatum erat in Moſchos celerrimè invecti, conferti cohærentéſque ſummo impetu hoſtes impellunt, novas interim recentéſque Zolkievio ſubmittente turmas,

Pugna ad Cluſinum cum Moſchis.

turmas, & quo ardore hoſtem aggreſſi ſunt eodem perrumpunt, ut diutiùs Moſchi impreſſionem non ferrent, animíſque victi, ſimul pavore offuſi, in præcipitem effuſi fugam dilaberentur.

Qui ſternuntur.

Sed ex altera parte malè habebant militem ſepes exterorum acieï præſtructæ, nec antea intellectæ, cùm nec vitari nec circuiri poſſent, atque ideo primùm alacritatem fortiſſimè procurrentium ſignorum fregiſſent, tanto promtiùs uſum ſcloporum expediente pedite, quanto ſecuriùs inter ſepimenta receptus, veluti vallo tegeretur. Conſtat ter onerandi explodendíque ſpatium temporis habuiſſe peditem, maximâ glandium effuſâ procellâ plurimis virorum equorúmque inferente ſtragem. Non ideo tamen ceſſêre animis Poloni, eodémque quo cœperant ardore pugnam capeſſunt, eâque conſtantiâ & contemtu mortis, ut adversùs ingruentium vim telorum, equis ſummo cum impetu adactis primas perrumperent ſepes, jámque in peditem acriùs invecti obvios ſternerent proculcaréntque.

Acrior & difficilior cum externis propter ſepes.

Com-

Quas ope duorum tormentorum & peditum perrumpunt Poloni.

Comodè duo illa tormenta campeſtria ſuperatis viarum difficultatibus ſub tempus ipſum prælii advenerant, unà cum centuriâ peditum, quibus ad hoſtem ſepibus pertinaciùs inhærentem, directis exploſíſque non infeliciter, ſecuti pedites Zolkieviani veterani & diuturniori militiæ uſu aſſueti, pauci quidem ſed quibus multùm animi audaciæque ineſſet, rectà in hoſtem feruntur, à quo fortiter excepti, amiſſíſque aliquot ex ſuis commilitonibus nihil inde conſternati, ruunt animoſiùs, ſepes perfringunt, locóque pertinaces movent, adextremùm hoſtis impar furori alacritatíque dimicantium proximam ſilvam effuſâ petiit fugâ.

Et fugant hoſtem.

Cujus equitatus, ſe opponit, & ſtrenuè rem gerit.

Sed equitatus hoſtilis ſeſe opponens laborantíque pediti ſubſidio veniens, redintegrato prælio acriùs Zolkievianos diſtinuit: & his quidem ſtrenuè ſed non expeditè rem gerentibus quòd haſtis carerent, ac licèt recentes turmæ auxiliares haſtatæ advolarent, parùm proficiebant, cùm ejuſmodi armorum uſum anguſtiæ locorum inter

ter quas velut in cavea certabatur, ademiſſent. Ita ancipiti Marte quatuor horas pugnantibus, cùm undarum adinſtar modò hi modò illi pellerent repellerentúrque, ſubitò ad latus hoſtium cohortes, & prima quidem prætoria Imperatoris, altera Staniſlaï Koniecpolii, demum Alexandri Balabani illatæ victoriæ dedêre principium: quippe quo fervore hoſtem aggreſſæ ſunt, eodem nullo quietis vel recolligendi ſe ſpatio dato, maxima cum ſtrage cladéque agebant ſubmovebántque ultra ipſorum caſtra carragine cinctâ.

tandem funditur.

Nec interim ceſſatum à turmis Struſſii, Herburti, Vaſicinii, Firleii, Dunikovii, Copicinii, qui cum illa exterorum militia non ſclopis ſed gladiis (qui finis pugnarum celerior eſſe ſolet) acerrimè decertantes, illos tandem fudere fugaveréque. Et tunc certè compertum eſt quanta ſit in equitatu vis militíſque veterani ardore: quippe in hac cum exteris pugna tam iniquo arctóque ſepimentis loco, magno ſudoris cruoríſque diſpendio conſtitit victoria, tantáque certan-

Equitatûs quanta ibi fuerit vis.

tantium pertinacia erat, quantò magis fervebat irrumpentium audacia, multi equis amiſſis miſcentium ſeſe incurſantiúmque manipulis penè obtriti, inter quos è præcipuis dux Poricius duobus ſuffoſſis pedeſter certare coactus eſt. Joannes Widzga Herburti Subcenturio fortiſſimè dimicans, jámque cadaveribus opertus, adducentis equum agaſonis beneficio vix evaſit. Felix bellicâ laude gloriâque vir, ſed longè illuſtrior feliciórque Stephano Filio Abbate Sieciechoviæ, Vladiſlai Regis magni nominis Eccleſiaſte, cujus doctrina, prudentia, blandéque in aures influens ſuada, non unius aulæ Polonæ, ſed univerſæ Chriſtianitatis meretur theatrum. Ac in pugnâ eas quas ſuperius retulimus cohortes, Imperatoriam, Koniecpolii, & Balabani, primam obtinuiſſe laudem comperio: deinde eas quæ cum exteris tanto conatu laboréque dimicarunt, permultùm ad victoriam contuliſſe, ad extremùm univerſi militis eo die pugnaciſſimi egregiam virtutem dignam fuiſſe, quæ ad imitationem exemplúmque poſte-

Poricius & Vidzga periclitantur.

Stephanus Vidzga Regum Eccleſiaſtes.

Ejus prælii fortiter geſti penès quos laus.

poſteritatis extenderetur. Sed & Zolkievium ex inſerto traditóque cum cæteris poſtulatis Adamo Zolkievio & Petro Borkovio ad Regem indice, invenio, eos præcipuè Ordinum ductores Regiâ gratiâ munificentiâque cohoneſtandos commendaſſe. Struſſum videlicet Præfectum Chmielnicenſem, Alexandrum Balabanum, & Poricium, Herburtum, & Srzedzinium. Certè quis quantúſve ille conflictus fuerit ex literis Imperatoris ad Cancellarium Lithvaniæ datis patuit, in quibus de parta feliciter victoria nuncians ſcribit ſat modeſtè: *Equidem fateri neceſſe eſt fuiſſe hoc prælium, quod mirari quiſque jure potuiſſet, ingens & cruentum: certatum ancipiti Marte pugnatúmque tres ampliùs horas, magnum hoſtis coëgerat exercitum, exteri milites veterani: agebatur apud eos de gloria ac ſtipendiis, apud nos de ſummâ rerum. Erat neceſſitas in toto, ſpes in virtute, ſalus ex victoria, fugæ locus nullus: pugnarunt milites ut viros fortes decebat, hoſtium magna pars cæſa, non ſine jactura quoque noſtrorum: effectum id maximè, quod exteros unicam Suyſciani roboris ſpem nobis junxerimus.*

Cum Zolkievii ipſius teſtimonio & encomio.

Ejuſdem literæ de hac pugnâ. Leonem Sapieham.

6 Junii è caſtris ad Carovum.

 Fuſo

Poſt prælium redeunt ad caſtra exteri.

Fuſo hoſte reſtabant exterorum nationum caſtra non quidem neglecta à Zolkievianis, ſed quia copias diſtrahi & vincentium attenuare numerum minimè è re commodóque videbatur, pleriſque equitatum Moſchorum fugientem inſequentibus ideóque diſperſis, proinde ab iis tunc capiendis ſuperſedere viſum; Atque id conſpicati Galli, Angli, Scotíque & cæteri quos in ſilvas latebráſque infelix prælii ſors conjecerat, paulatim recollecti progrediuntur, caſtra iterum occupant, muniunt, ſéque ad defenſionem parare incipiunt. Id poſteaquam à milite victore compertum eſt qui jam in horas & momenta affluebat redibátque, eodem impetu paríque quo pugnaverant ardore in hoſtium caſtra fertur: confeſtim exteri quantis ſe animis irritatus peteret miles conſpicati, attonitíque colloquium petiêre. Id verò poſteaquam Pontus della Garde & Eduardus Hornius compérêre è ſilvis ſuíſque reduces latibulis, (primi namque ſub initium pugnæ deſertis legionibus turpiſſimè profugerant) illico tra-

Quæ muniunt, ſed Polonos impetum facere volentes ad colloquium evocant.

Reſcindere id nituntur Pontus & Hornius.

ctatûs reſcindere conantur, turbas motúſque cient, compellant legionarios admonéntque dedecoris, ipſi turpi fugâ infames. Zolkievius jam victoriæ ſecurus tunc Domino exercituum ſupplex ac venerabundus grates perſolvebat, aderátque Sacerdoti ſacris operanti, cùm intrepidus ſuæque pietati inſiſtens interim maximis viribus caſtra oppugnari imperat, copiáſque ſuccedere jubet. At exteri iterum perterriti, ſpretâ Ponti Horniíque auctoritate, exutóq; ſuis ducibus obſequio. Galli omnium primi, quos ſecuti reliqui Adamo Zolkievio linguæ morúmque exoticorum optimè gnaro, & quem obſidis loco habuerant, cum iis tranſigente, in hæc deditionis conſenſere capita: Abirent rediréntque in patriam incolumes, armati, aut quò vellent, pro ſingulis interim jurarent Centuriones, neminem inpoſterum adversùs Poloniæ Regem in Moſchovia militaturum, qui verò ſe turmis Regiis aſſociare cuperet, id cuíque liberum eſſet.

Zolkievius caſtra oppugnari imperat.

Terrentur exteri ſeq; dedunt honeſtis conditionibus.

At Demetrius Suyſcius ſupremus Moſchoviticarum copiarum dux nec dum excide-

Demetrius Suyscius frustra vires recolligit, pòst fugit.

ciderat ſpe reſarciendi reparandíque exercitûs, ſi externæ militiæ robur reſiduum ſibi adjungeret, erigerétque recenti imminutum clade, & amplâ præmiorum pollicitatione iterum ad recolligendas animaret vires. Sed poſteaquam Pontum Horniúmque nihil apud illos effeciſſe, quin contemtâ proſtratâque auctoritate receſſiſſe animadvertit, inanéſque eſſent ingentium opum ac donationum pollicitationes, deſperabundus è Caſtello nocte præteritâ excitato munitóque ſeſe ejicit, adeò effusè fugiens, ut ſummam celeritatem inſequentium anteverteret, multis nihilominus fugæ comitibus cæſis ſtratíſque. Quanquam nec ipſe evaſiſſet, niſi noto ſtrategemate inſequentis militis retardaſſet fervorem, cujus aviditati in propatulo caſtrorum, veſtes, argentum, ſuppellectilem, pelles pretioſas veluti venales expoſuit, ita equorum celeritatem ſtitit, & inſequentium avidos ne progrederentur ulteriùs detinuit oculos, manúſque ad paratam animavit prædam. Ferebatur, ipſum quoque amiſſo equo nudis pedibus per ſilvas

Inſequentium celeritatem eludit.

Quo ſtrategemate.

vas

vas errabundum latuiſſe, & vix Moſaïſcum primo, ad urbem deinde ſalvum evaſiſſe. Caſtra Moſchovitica, tormenta bellica, & quidquid in iis erat opulentiæ ſuppellectiliſque prædæ victorum ceſſerunt. Inſuper & quæ triumphum exornarent, ipſius Demetrii fugientis ſpolia relata, rheda, enſis, galea, clava, ſupremi in exercitu regiminis inſigne.

Moſcuam.

Caſtra capiuntur omni prædâ referta.

Numerus cæſorum difficiliùs iniri poterat, maximâ fugientium hoſtium parte inter ſilvas ſaltúſque inſequentium gladiis conciſâ: invenio nihilominus in nonnullorum actis diurnis, quindecim millia Moſchorum partim cæſa, partim capta. E Proceribus dux Joannes Boratinius cecidit, Baſilius Buturlinus & Jacobus Dzenidovus captivi ducti: exteri non minorem octingentis peremtis cladem accepere. E Polonis centum & ſeptem equites occubuêre, inter quos periit primæ notæ Centurio Staniſlaüs Lanckoronius veteranus equitum ductor: Saucii centum & quatuordecim, equorum magna fuit jactura, ducentis

Numerus in prælio ab utrinque cæſorum.

Staniſlaüs Lanckoronius occubuit.

tis

tis viginti ſex interfectis, totidem penè à vulneribus invalidis.

Zolkievius à pugna redux Volvievum reprimit.

Reverſus altero à conflictu die Carovum Zolkievius, contumacem Volvievum victricià excurſione laceſſentem ſigna repreſſit, miſſóque Soltico juniore Moſchorum Procere & Adamo Zolkievio nepote, monuit, ne temerario impetu iniquis Moſchoviæ adverſaretur fatis, quin potiùs cederet, Regiámque experiretur clementiam. Faſtuosè arrogantérque reſpondenti more gentis, mox ſeriem Demetrii Suyſcii profligati enarrant, prædam ſpoliáque oſtendunt, captivorum numerum exponunt: videret jam ſi militis triumphantis furorem ſuâ ſtimulatum contumaciâ experiri vellet, tunc profectò nullum gratiæ favoríſque locum futurum. Ad profligati Moſchorum exercitûs nuncium concidit animo Volvievus, interim conditiones deferendi Vladiſlao imperii ad Smolenſcum cum Michaële Soltico initas, perferri ſibi poſtulavit, quibus viſis lectíſque, Caſtellum, arma, ſigna, militem, ſéque Regiæ permiſit voluntati: con-

Ad deditionem hortatur, profligati Demetrii ſeriem edocet.

Vide lib. 4. ſuperiùs.

Tradit ſe Regi cum quinque millibus Moſchorum.

feſtímque quinque Moſchorum millia exercitum Zolkievii auxêre Regias profeſſi partes, quibus jam acceſſerant quoque Gallorum, Anglorum, Scotorúmque dedititii manipuli, malè acceptis mulctatíſque Ponto & Hornio, qui præmiſſis ſuis impedimentis ac paucis Suecis ac Finnonibus comitantibus Pohorilum ſeſe recepêre, ubi Petrus de la Ville nobilis Gallorum Tribunus è morbo invalidus decubuit. Sed ibi quoque ſeditione ortâ à cæteris exterorum profugis, impedimentis & ſuppellectili ſpoliati, iis tantùm quas eo die induerant veſtibus donati abiêre. Quamquam ut concatenata eſt ſemper malorum ſeries, neque ſolitaria infelicitas miſeros perſequi ſolet, ita cum laceris militum abeuntes reliquiis fugaces viros aſſecuta eſt, novæque expoſuit cladi. Namque in ipſis Moſchoviæ finibus iterum profligati, Sueciam inglorii, milite, armis, Imperio, famâ exuti, repetiêre.

Pontus & Hornius Pohorilum fugiunt.

à profugis ſpoliantur

Cæſi ad Lagodam ductu Soltici Palatini Majoris Novogardiæ.

At partæ ab Imperatore victoriæ nuncius poſteaquam Regia complevit caſtra, egit Rex agíque ab univerſo exercitu voluit gra-

Rex egit Deo gratias pro obtenta victoria.

grates Deï clementiæ, & Sacro Miſſæ officio ſolenniter peracto, pro concione Pater Stephanus Societatis Jeſu tranſmiſſum à Pontifice Romano ampliſſimum indulgentiarum diploma ad Regi ejúſque militiæ Cœlitum implorandam opem, recitavit promulgavítque, atque ab eodem obtulit gladium galerúmque ſolenni ſacratos ritu Achacius Grochovius, quod munus Regi perferendum Pontifex Nicolao Volſcio Aulæ Regiæ ſupremo Præfecto Romæ tradiderat, is verò per Grochovium ad caſtra tranſmiſerat.

Enſem ſacratum & galerum à Pontifice accipit.

Qui Epiſcopus Luceorienſis obiit 1634. Paulus V. Pontif.

Venêre deinde ab Imperatore & univerſo victore exercitu Legati ad Regem, Nicolaüs Struſſus Chielnicenſis Præfectus, Alexander Zborovius, Adamus Zolkievius, Cechovius, Bialoskorſcius, Otorſcius, Wuiakovius, Vleſcius, Ramutus, ſigna ex hoſte ſpoliáque tradidêre, recenſueréque quæ partim apud Imperatorem, partim in exercitu adhuc reliqua eſſent, magna cum Zolkievii ejúſque conſiliorum ac virtutis laude militúmque fortitudinis deprædicatione. Petiere

Legati à victore exercitu ad Regem veniunt 15 Julii.

Petiêre trimeſtre ſtipendium, quod more majorum celebri partâ victoriâ exercitui victori extra ordinem in vim donativi præmiíque dari conſueviſſet, injectâ quoque & veterum ſtipendiorum quæ ſibi deberentur mentione. Militibus ſauciis bellóque cruentiſſimo attritis ſolatium à munificentia Regia poſtularunt. Oravêre quoque, haberet Rex parem eorùm rationem in conferendis magiſtratibus facultatibúſque qui cum Imperatore nunc militarent abſentes, atque eorum qui in Regiis præſentes adeſſent caſtris.

Trimeſtre ſtipendium petunt, & militibus ſauciis ſolatium.

Patuit tunc campus diſertiſſimo Kriſcio ita jubente Rege in ſummas Zolkievii militíſque excurrendi laudes, quibus egregias illas & præliares animas extulit, detulítque omnibus Regiam gratiam, quam partim in conferendis ſibi à Rege dignitatibus, partim opulentiore ditandi cenſu, certò ſibi pollicerentur. Ad poſtulata tardiùs reſponſum, in cauſâ fuit morbus Regius, qui ingraveſcens penéque fatalis, diutiùs tenuit in caſtris Legatos: dimiſſi nihilominus ſpe injectâ

Reſpondet nomine Regio ProCancellarius.

Et poſtulatis annuit.

ad 25. Augusti. decem millia. jectâ donativi recipiendi, sauciis quoque certa æris numerata transmissáque summa.

Smolenscenses intuentur parta de suis spolia. Audita Smolensci visáque ingentis lætitiæ signa, tormentorum, scloporum repetitæ explosiones, festi tympanorum tubarúmque cantûs, nihil obstinatis profuêre animis. Admota jussu regio dispositáque per vicinas arci munitiones relata à victore exercitu spolia, ita ut ex mœnibus ab hoste dignosci inspicíque possent. Videbant signa turmarum Moschoviticarum, tum & ipsius Demetrii Suyscii vexillum album aquilâ bicipiti nigrâ insigne, rhedam, clavam militaris Imperii decus, pluráque victi debellatíque hostis non dubia argumenta, quæ vel expugnare contumaciam, vel feroces oculos obsessorum percellere possent. Non tamen movetur Sehinus. Hæsit Sehinus & quasi solus totius Moschoviæ moraretur fata, nec animo nec viribus cessit, ita ut in majorem lapidesceret pertinaciam.

Sed longè diversa per universam Moschoviam facies erat, tantò graviori Suyscianorum tristitiâ, quantò propiores se peri-

periculo intelligerent. Et Carolus Sudermanus ad profligatarum legionum nuntium furialibus accensus facibus exarsit ita, ut barbam velleret, in cœlum ac Superos horrendam jacularetur blasphemiam, Regem proscinderet, ultionem minitaretur, excubias per confinia Moschorum indiceret, arces milite, commeatu firmaret, denique in furorem ac amentiam versus (cujus ille impetui sæpius obnoxius erat) nec suis parceret Suecis. Fortasse ad Augusti Cæsaris exemplum se composuit, quem cæso Quintilio Varo adeò consternatum Historici tradidêre, ut per continuos Menses barbâ capillóque submisso, caput interdum foribus illideret, vociferans: *Quintili Vare redde legiones.* At ut dispares moribus Principes, ita dispari ingenio causâque, cùm illum amor boni publici Romaníque Imperii salus ad impotentem compulerit tristitiam, hunc implacabile odium raptíque per summam injuriam Imperii conscia mens, lacerantísque interni tortoris ictibus saucia, ad furibundam exstimulavit mœstitiam.

Carolus Suecus auditâ suorum clade furit.

id retulit nuntius ad castra veniens 1 Novemb:

Suetonius in Augusto.

 Inte-

Post victoriam arces recuperantur.

Interim complures Moschoviæ arces Victoris fortunam sequutæ sunt, rediéréque iterum ad obsequium: Osipovia, Rzovia, Zubcovia, Mosaïscum, aliáque oppida explicandis per Moschoviam copiis opportuna, ac indies major dedentium sese confluebat numerus, Principis Vladislai nomen adorantium, patente etiam ad ipsam Metropolim securâ liberâque viâ, è qua permulti Nobiles ad Zolkievium transfugæ victoris animum præoccupantes festinavêre, animantes: accederet ad urbem certò totius Imperii sede ipsâmet haud invitâ potiturum. Et profectò cùm tristis totâ urbe invaluit rumor, pugnatum infeliciter cum Zolkievio, tantámque acceptam cladem quantam Polonus cruore satiatus voluisset: jámque complures ex fuga & pavore sese recipientes per intervalla cernerentur, tantopere trepidatum est, ut paucis pòst diebus tumultu exorto Basilius Suyscius in metam populis steterit, ad quem & linguâ procaci, & furioso collimarent impetu. Accusabantur infausta regnantis auspicia, asserebántq;, ob

Moscuam.

In urbe post cladem acceptam trepidatio & motus.

In Suyscium insurgunt.

ob illius deliria universum plecti populum, ipsi acceptas clades, nutantémque Imperii fortunam referentes. Namque iratos Superos Imperantem haud pati posse, qui invito cœlo populísque sceptra teneret, mitioráque Moschoviæ remeatura sidera, si Regnum linqueret deponerétve, augurabantur.

Leponovus Suyscium compellat.

Atque hæc Zacharias Leponovus aliquot millibus nobilium aulicorúmque stipatus, omni deposito metu reverentiâque Suyscio exposuit. Excandescente illo ad eam verborum licentiam, cultrúmque arripiente quo videbatur inopinatam sermonis ulturus libertatem, altâ voce exclamat Leponovus: *siste* inquit *Suysci impetum*, *ni hisce manibus* (eas mox intentaverat vir procerus robustúsque) *elidi comprimique velis*. Secuta ingens omnium acclamatio præcipuè Chomutovii & Joannis Soltici, concitatóque ingenti tumultu è palatio sese proripiunt, descendúntque in aream in quâ Duces Moschoviæ populum pro concione alloqui solent, ea verò, cùm tantæ hominum multitudini capiendæ non sufficeret, pari quo venerant

Proceres & populus consultant.

nerant impetu, iisdémque auctoribus arcessito insuper Patriarchâ & illustrioribus è Senatu Moschovitico viris, extra portam in patente campo consilium ineunt, Imperium Suyscio abrogant, mittúntque qui universorum ordinum declararent voluntatem.

Suyscio Imperium abrogant.

27 Julii. Ergo jam ad præscriptam diem frequentes Moschorum Proceres qui tunc in urbe aderant, omnísque Nobilitas aggregatíque vulgi & universorum ordinum ingens multitudo rectà ad palatium contendunt: unde Basilium Suyscium Moschoviæ Ducem & totius Russiæ paulò ante Dominum, relictâ fortunæ suæ sede excedere, abdicaréq; se Imperio quod per quadriennium gesserat, jubent: mox eâdem quâ venerant pompâ detractis Imperii insignibus attonitum stupentémque deducunt ad gentilitiam, quam privatus incoluerat, Suysciorum domum, firmissimis septam vallatámque custodiis, quibus præfecere Duces Lykovum & Nagium, Fratres quoque Demetrius & Joannes Suyscii, iíque quos charos olim fortu-

Post ad Palatium omnes vadunt indéque exauctoratum ad Suysciorum domum deducunt.

Quam præsidiis firmant.

fortunæque suæ fidissimos habebat asseclas, arctiùs detenti custoditíque. Theodoro Msciflavio Duci vicaria totius Imperii gerendi administrandíque cura omnium consensu demandata est, dictúmque ab universis Sacramentum mutuò sese obstringentibus adversùs Impostorem, qui falsi Demetrii titulo juréque simulato per summum scelus ad Imperium aspiraret: interim singulorum votis in Vladislaum Principem pronis propendentibúsque.

Msciflavius dicitur Vicarius Imperii.

At Suyscius licèt tam arctâ septus custodiâ teneretur, libertatis suæ asserendæ adipiscendíque iterum Imperii, varias inibat tentabátque vias, clàm cum iis conferebat, quos sibi domuíque suæ addictos non ignorabat, & sclopetarios auro donativísque pertentabat, illorum ope auxilióque non contemnendo(quippe octo millibus hominum ea constabat militia) ad perditæ majestatis iterum emersurus fastigium. Sensêre Proceres subdoli hominis fallaciam clandestinósque conatûs, è quorum mandato mittitur illico Leponovus, qui Suyscio san-

Suyscius tentat vias sese è custodia expediendi.

Leponovus mittitur qui illum

Leponovus mittitur, qui illum ad monasterium detrudit habitu Monachi vestitum.

ſanctioris in clauſtro vitæ capeſſendæ neceſſitatem nunciaret, aſſumtóque monacho è Cudovo Cœnobio, ab eodem inter plurium detinentium manûs reluctanti obnitentíque caput monaſtico ritu attonſum eſt: demum ſago cucullato indutus, trahis imponitur vehitúrque monaſterio includendus.

Zolkievius victoriam perſequitur.

Zolkievius interim qui non tantùm vincere, ſed victoriâ uti ſciret, hoſtem in remotiora Imperii perſequi atque ipſam aggredi Metropolim decreverat, rebúſque ex animi ſententia ad Carovum fluentibus, auctior & externo, & Moſchorum regiarum partium exercitu, Moſaïſcum versùs ſigna promovit, ibíque tantiſper ſubſtitit rei gerendæ capturus occaſionem. Et poſteaquam tumultuantium in urbe populorum motûs detruſúmque è palatio ad clauſtrum, è Principe Monachum factum Suyſcium non ingrato univerſæ Moſchoviæ ſpectaculo exhibito, intellexit: tum & Impoſtorem à victoria Zolkievii erectum, magnis itineribus cum Sapiehanis legionibus ipſóque

Moſaïſcũ venit ibique ſubſiſtit.

que Sapieha, expilato obvio Paphnutii Cœnobio ablatóque inde belli nervo, ſub ipſa conſediſſe Metropoli accepit, literas ad Theodorum Mſciſlavium Senatûs Moſchovitici Principem cæteróſque primores dedit, quibus ſuam operam contra falſi Demetrii conatûs detulit, expoſuítque, habere ſe in mandatis à Rege laboranti urbi cum auxiliaribus adeſſe copiis, & nefarii latronis hujus auſûs inhibere ulciſcíque: ad extremùm velle ſe cum illis inire conſilia, quæ ad pacem tranquillitatémque & ſiſtendum Chiſtianum ſanguinem pertinerent, maturarent itaque ſecum conferre, & beneficium auxiliúmque quod illis ultrò à Rege ejúſque filio Vladiſlao Principe offerretur, grati lubentéſque ſuſciperent. Scripſit & aliam epiſtolam in Suyſciorum cauſâ, ne quid in illorum vitam fortunáſque derepente duriùs ſtatuerent, & ampliſſimis familiæ illuſtrioris in Moſchovia recenſitis meritis, ſuadet ſervandos potiùs permittendóſque benignitati Regiæ & Vladiſlaï Principis. Quid moverit Imperatorem ad

Literas ad Mſciſlavium ſcribit & auxilium contra Impoſtorem pollicetur.

28 Julii 1610.

Alterum quoque mittit in cauſa Suyſciorum.

Suyſcianum patrocinium ex accuratis rerum geſtarum Commentariis nihil liquet: & ipſemet Regi ſcribens nullâ ratione appoſitâ, nudè nunciat: *Gravibus de cauſis viſum eſt dare eo in negotio literas ad Proceres eo exemplo, quod Majeſtati Veſtræ mitto.* Ablegaverat quidem Joannes Suyſcius Joannem Divovum ſclopetariorum Præfectum, certóſque nobiles, qui interceſſorias à Zolkievio obtinerent, quibus clementiæ Regiæ & Principis famam ſpargeret: at ſi divinare licèt, exiſtimo cautum prudentémque ducem alia ſpectaſſe conſilia: quippe edocebatur, urbem in tres ſciſſam eſſe factiones, quarum primam auctoritate Patriarchæ nixam (quæ apud illos ſumma) ſuadentis Imperium uni è Patriis indigenîſque (deſignabat tacitè Baſilium Galicinum) deferri: alteram Zachariæ Leponovi immenſis pollicitationibus corrupti, Impoſtorem ſummo promoventis conatu: tertiam eámque validiſſimam Mſciſlavii pro Vladiſlao Principe omnibus viribus annitentis, quocirca exiſtimabat Zolkievius, ſervandos in omnem eventum Suyſcios, quos iterum ad dirimendas factiones illorum turbis immiſceret, utpote homines ſubdolos, vaferrimos, motibúſque ciendis idoneos.

Moſaiſco 2 Auguſti.

Et cur id facit.

Intellecto itaque urbis ſtatu, ſubitâque & tragicâ Imperii converſione, versùs Moſaiſcum iter direxit ut propior Moſcuæ eſſet, exploratâ interim per literas voluntate Regis, quid facto ampliùs opus eſſet? & quem in finem ulterior armorum conſiliorúmque progreſſus dirigendus foret? petitâque à Rege Alexandro Goſievio Præfecto Veliſienſi ad ſe veniendi facultate, quem utpote Moſchoviæ peritiſſimum, ad negotia tractanda adhiberet. A Mſciſlavio Moſchíſque Proceribus deinde literas accipit, ademti Suyſcio Imperii cauſas prolixè continentes edocentéſque: vocatos univerſos Moſchoviæ Ordines ad Monarcham è ſupremi Numinis inſtinctu eligendum. Monebatur ab iiſdem Zolkievius, ut Sapieham ipſiúſque legiones cædibus & incendiis graſſantes ab Impoſtore abduceret, vinctúmque tradi procuraret, id ſi efficeret, commodiùs

A Mſciſlavio literas accipit.

diùs cum illo ex communi Ordinum consilio acturos de iis, quæ pacem tranquillitatémque totius concernerent Moschoviæ.

Legati Moschorum subsidium à Volkievio contra Impostorem petunt.

Jámque unius milliaris intervallo ab Urbe, universo cùm exercitu constiterat Zolkievius, cum derepente Legati à Proceribus Moschis advolant, iterum contra vim Impostoris Demetrii ferociter urbi insultantis subsidia anxiè flagitantes. Negavit ille, neque se mittere velle, nec posse respondit: cùm sibi non constaret quo erga Regem ac Principem animo essent, abrumperent tantummodo moras, nunc tranquillandi Imperii tempus instare, nec certarent secum crebris literarum missitationibus, quæ in immensum summo cum temporis dispendio procederent. Ad eum modum dimissis Legatis, mox ipsos cum omnibus copiis secutus, in conspectu urbis comparuit: castrísque ante mœnia positis cum universo exercitu consedit. Ita injectus Moschis celeriora consilia arripiendi stimulus, confestímque utrinque mutuo colloquio diem, locum assignant. Destinatur à Zolkievio

Negat ille, cur?

Tandem in conspectum urbis venit.

4 Augusti.

kievio Stanislaüs Domaracius & Alexander Balabanus qui cum illis conferrent. Centuriones & bellicâ laude & natalibus clari, ambo Græcæ religionis eóque genti gratiores: additi è Moschis Regi fidioribus Joannes Solticus, Dux Horostinus Palatinus olim Roslaviensis, & Volvievus, quibus ad condictum venientibus locum obvii fuêre Dux Joannes Tricurovus, Theodorus Colisovus Senatui à secretis, Joannes Chlebovus: & salve more gentis utrinque dicto, Domaracius exposuit: Regem precibus Moschorum evocatum ad ferendam inclinatis Imperii ipsorum rebus opem advenisse, adesse tempus urgendi ea quæ concupiscerent consilia, satisfacturam votis non difficulter clementiam, quam implorassent, Regiam. Excepêre sermonem Domaracii non sine gestientis animi indiciis Moschi, asserentes: unicum esse Moschorum desiderium Principem Vladislaum, quo imperante aurea iterum è postliminio reditura essent Monarchiæ sæcula, quæ nunc ferrea gravi cum detrimento incumberent. De cæteris

5 Augusti. locus parthenium Cœnobium.

Destinantur ad colloquium cum Moschis Domaracius & Balabanus.

Et colloquuntur.

Moschi religionem ritûs Græci in Vladiſlao maximè requirunt.

ris quas regnaturo ferrent conditionibus minùs ſe laborare, ſola accederet religio, eam namque ſi Græcis ritibus accommodaret, juraturos confeſtim in nomen Principis. Sed cùm Domaracius negaſſet, validíſque rationibus adductis diſſeruiſſet, Principem Imperii cauſâ nullatenus ſe à Religione Catholicâ Romanâ abduci dimoveríque paſſurum, finis colloquio impoſitus eſt, rejectóque tam difficili ad Zolkievii cum Proceribus Moſchis congreſſum negotio, pacatis diſceſſere animis.

hac maximam facit difficultatem

Et ſanè haud facilè dictu eſt quantùm pertinaciter ſuæ Religioni inhæſerint Moſchi, permultúmque ea attulerat difficultatis colloquenti Zolkievio cum Proceribus Theodoro Mſciſlavio, Baſilio Gallicino, Theodoro Seremeto, Daniele Miececio, cæteríſve: pluréſque effluxêre dies, antequam ſuadentis Zolkievii prudenti facundiâ flecterentur duriores animi. Nec tamen aliter quievêre, quàm iterum rejectâ eâ quæſtione vel ad adventum in Urbem Principis, vel certè per Legatos quos mitterent, cum ipſomet feliciùs tranſigenda.

à 5 julii ad 26. *rejicitur interim hæc quæſtio* *ad aliud tempus.*

Oblatas interim alias conditiones quas Imperaturus ſanctè obſervaret Princeps, cùm pleraſque enormes minúſque poſſibiles refutaſſet, rejeciſſétque Imperator, non alias ſe conceſſurum juraturúmque palàm oſtendit, quàm eas in quas volente Rege & Senatûs & Proceres Moſchi, Duce Legationis Soltico, ad Smolenſcum conveniſſent. Annuentibus facilè Proceribus. pactorum formula ſcripto concepta evulgatáque eſt, ingenti populorum lætitiâ: quippe in tantam erant ſubitò effuſi, ut & præteritarum calamitatum obliti, affulſiſſe ſibi Vladiſlaüm pacis tranquillitatíſque feliciſſimum jubar, invicem gratularentur, & ad Vladiſlaï nomen profundè ſeſe inclinarent, ipſiúſque auſpicia feſto applauſu ſequerentur venerarentúrque.

De cæteris conditionibus tranſigit Zolkievius,

Rebus itaque conſtitutis firmatíſque, utriuſque partis benevolo conſenſu, fixa ſunt extra urbem tentoria duo & magnitudine & capacitate inſignia, in quibus duæ excitatæ aræ Crucibus ac Divorum imaginibus conſpicuæ, quas ſumma cum pompa ſo-

quas juramento firmat.

27 Augusti.

ſolenníque ſupplicantium ritu Clerus univerſæ Urbis attulerat. Hinc legiones Polonæ micantibus ſignis feſtóque apparatu ſplendidæ, inde Moſchorum miles comparebat, ingénſque effuſa multitudo campos texerat. Tunc Zolkievius unà cum Tribunis ac Centurionibus nomine Principis in eas jurat, in quas conſenſerat conditiones: Moſchi antequam Sacramentum dicerent, compellati ſunt à duobus primæ dignitatis Eccleſiaſtici Ordinis Viris in eum modum; Proceſſiſſe ſe Sanctiſſimi Hermogenis totius Moſchoviæ Patriarchæ auctoritate ac mandato, eo quem cuncti cernerent ſolenni ritu, ut in hac Cleri præſentiâ Magno Monarchæ Vladiſlao Sigiſmundi filio Principi Poloniæ, quod felix fauſtúmque eſſet Magno Moſchoviæ ac totius Ruſſiæ Duci ac Imperatori feliciter Electo, Proceres ac Ordines univerſi ſanctam ac vitalem Crucem more patrio oſcularentur: eidem Monarchæ vero ac legitimo Domino ſe ſuáque omnia privata ac publica, communem Patriam, Imperium univerſum dederent ac man-

Idem & Moſchi faciunt.

id eſt jurarent.

mánciparent. Acclamantibus univerſis & conſonâ lætâque voce Vladiſlao Magno Duci ac Imperatori vitam, felicitatem, victoriam precantibus, mox Mſciſlavius, Galicinus, Seremetus, Meſecius Senatûs Principes: inde cæteri Proceres, Magiſtratus, prout cujúſque dignitas, conditio, locúſque ferebat, ad aram venerabundi procumbentes, juravêre, Crucémque acclines (quod genti maximum juramentum eſt) oſculati ſunt.

Nollem lectorem in prolixâ pactorum Conventorum narratione immorari, ne, prout diverſi ſunt legentium animi, longa rerum ſeries tædium faſtidiúmque pariat, niſi me validiſſimæ ſtringerent rationes, quas omnes referre ſupervacaneum eſſe duco, una pro omnibus facilè ſuffectura. Annis ab hinc dum hoc ſcribimus propè quindecim, cùm Vladiſlaüs Rex pacato feliciter Septemtrione perpetuæ pacis conditiones indulgeret Moſchoviæ, ea adjecta fuit, quâ ex ſuâ benignitate juri ſuo in Moſchoviam cedens, redditurum ſe illis inſuper polli-

Cur pacta traditi Imperii Vladiſlao referat auctor. 1634.

pollicebatur autographum pactorum Conventorum, suæque in Magnum Moschoviæ Ducem Electionis diploma, ne reï gestæ apud se exstaret nota, quam & chirographa & sigilla, cæteráque evidentissima proderent documenta. Interim excusso diligenter archivo sollicitè ubiq; & apud hæredes Zolkievii requisitum, nusquam comparuit, stupente Rege ac Senatu, Moschis verò, prout natio suspicacissima est, malâ fide secum agi reputantibus, nec aliter conquiescentibus: donec Rex verbo suo cavisset Regio affirmassétque, se penitus ubi lateret ignorare, quod si reperiretur, certo certiùs remittendum. Nec deinde inventum plerisque vel à Sigismundo Rege, vel à Zolkievio suppressum autumantibus, sed ab hoc præcipuè, quod ob tam egregiè præstitam operam nullam grati animi significationem, quin potiùs indignationem Regiam tulisset, ut suo memorabimus loco. Si itaque ipsum autographum fatorum inclementia perdidit, neque enim hucusque compáret, etsi compareret jure meritò Moschis restituen-

Auctographum pactorum interiit nec hucúsque reperiri potuit.

tuendum foret, exemplar dum recens adhuc esset facti memoria in privatorum actis diurnis annotatum, ex iisque transcriptum, nosse intererit, ut Vladislaï Principis gloria & virtutis Polonæ decus ad seram extendatur posteritatem. Ad eum igitur modum conditiones oblati Imperii Vladislao sese habuere, Electionísque tale diploma fuit.

Diploma Electionis Vladislai in Magnum Moschoviæ Ducem.

Bene precante permittentéque sanctissimo Hermogene Patriarchâ Moschoviæ ac totius Russiæ, nec non Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, Archimandritis, Igeomenis, ac sanctâ universi Cleri Synodo. Ex consilio consensúque Procerum, Nobilium, Provinciarum, Præfectorum, Aulicorum, Secretariorum, Dapiferorum, Cubiculariorum, Tribunorum, Patriciorum, Evocatorum, Mercatorum, Sclopetariorum, Cosacorum, reï tormentariæ Magistrorum, & cujuscúnque statûs hominum qui sub Magno Moschoviæ Imperio continentur. Nos Nobiles Theodorus Joannis Filius Mscislawski Dux, Basilius Basilii Galicinus Dux, Theodorus Joannis Seremetus Dux, Daniel Joannis Mieciecius, nec non Nos supremi Consilii Majores, Secretarii, Basilius Telepnioro, ac Tho-

Thomas Lugovius instituimus colloquium cum Magni Monarchæ Serenissimi Sigismundi Regis Poloniæ ac Sueciæ, Magni Ducis Lithvaniæ &c. &c. Palatino Kioviensi Copiarum Regni Poloniæ supremo duce, Rohatinensi, Camionacensi, Calusiensique Præfecto, Stanislao, Stanislaï de Zolkwia Zolkiewski, inivimúsque consilium de eligendo Magno Volodimiriæ, Moschoviæ, ac totius Imperii Rusiæ Monarcha Duce ac Imperatore: statuimúsque ac decrevimus, ut beatissimus Hermogenes Patriarcha Moschoviæ totiusque Rusiæ, nec non Metropolitani &c. &c. ac sancta universi Cleri Synodus, Proceres item ac Nobiles &c. &c. Omnisque condicionis homines ac universi Ordines Imperio Moschovitico parentes, mittant magnos Legatos ad Serenissimum Sigismundum Poloniæ ac Sueciæ Regem, Magnum Lithvaniæ Ducem oratum, ut Magnus Monarcha Sigismundus Rex filium Vladislaum Principem in Volodimiriæ, Moschoviæ, ac totius Rusiæ Imperium assumi sinat concedátque. Quod quidem sanctissimus Hermogenes Patriarcha Moschoviæ ac totius Rusiæ, nec non &c. &c. & universi Cleri sacra Synodus à Deo precatur, maximáque cum lætitia ac desiderio Principem Vladislaum in verum ac legitimum totius

totius Rusiæ Monarcham expetit.

Nos verò universi Proceres, Nobiles, Provinciarum Præfecti, &c. &c. ac omnes Moschoviæ Ordines & status universi ac singuli qui Moschovitico continemur Imperio, Magno Monarchæ Vladislao Principi Sigismundi filio, nec non ejus stirpi ac posteris liberisque sacræ ac vivificæ Crucis osculo juramus, nos eidem Principi, ejus liberis, stirpi, ac posteris in ævum servituros, bonum omne procuraturos optaturósque, non secus ac antecessoribus Dominis Nostris Magnis Moschoviæ Imperatoribus Magnisque Ducibus optabamus procurabamúsque, nihil mali in eum attentaturos, neque machinaturos cogitaturósve quidpiam in ejus perniciem, nullúmque alium tam è Moschis quàm exteris, præterquam solum Monarcham Vladislaum Principem, in Moschoviæ Imperium promoturos collocaturósque.

Conditiones verò, è quorum præscripto Monarcha Vladislaüs hoc totius Rusiæ Imperium administraturus esset, dedimus in scripto. Nos Nobiles Theodorus Mscislawski cum sociis, copiarum duci supremo Stanislao Zolkiewski, juxta quod scriptum Nos quidem Nobiles & socii transegimus, vice autem

autem versâ idem conditiones comprehensas nobis Nobilibus &c. &c. & sociis prædictus Stanislaüs Dux manu suâ subscripsit, sigillo munivit, juramento firmavit, quod ille omnésque ejus Tribuni ac Centuriones pro Magno Monarcha Serenissimo Rege, & pro Vladislao Principe ipsius filio, nec non pro utroque Imperio, Regno videlicet Poloniæ ac Magno Ducatu Lithvaniæ, denique pro se suisque copiis ac universo exercitu Sigismundi Regis præstitêre. Quod autem diploma Nos Proceres Stanislao Duci manibus nostris subscriptum & sigillis communitum dedimus, eos continebat articulos.

Posteaquam propitio Deo, & illibatâ Deïparâ Virgine, ac Magnis Moschoviæ tutelaribus & Thaumaturgis Petro Alexio, Joanne, cæterísque Divis faventibus, consentiente Serenissimo Sigismundo Rege, Magnus Monarcha Vladislaüs Sigismundi filius Volodimiriæ, Moschoviæ, totiúsque Russiæ Imperium adeptus fuerit, ingredietur Urbem principem Moscuam, & inaugurabitur in Vlodimiriensem Moschoviæ totiúsque Russiæ Magnum & inclytum Imperatorem, diadema, sceptrum, cæteráque Imperii insignia sumet è manu Sanctissimi Hermogenis Patriarchæ Moschovitici, more ritúque antiquitus à præcedentibus Moschoviæ Imperatoribus usitato.

Templa Divino dicata cultui tam in urbe quàm in oppidis, arcibus, pagis, totóque Imperio, honore prosequetur, exornabit, nec ruere desolaríque sinet.

Sacras Deï, Deïparæ Virginis Castissimæ, Divorúmque imagines, nec non miraculis illustres Sanctorum cineres venerabitur, iísque profundam exhibebit reverentiam.

Inclytum Sacerdotum Clerique universi Ordinem debito honore afficiet, nec sese in illorum munia, résque ipsorum Ecclesiasticum statum concernentes, ingeret.

Quemlibet fidem veterem & orthodoxam ritûs Græci retinere sinet more antiquo, nec Romanam aut quampiam aliam diversam contrariámve invehet invehíque patietur, nec Templa, Oratoria alterius ritûs in arcibus, pagis, aut quibusvis universæ Moschoviæ locis ædificabit locaríve sinet. Ut autem, quod ardenter Zolkievius ursit, in Urbe Moscua unum ad minimùm religionis Romanæ Templum pro Polonis Lithvanisve hominibus in obsequio Monarchæ manentibus exstruatur, Princeps Vladislaüs ex consilio Patriarchæ, Sacri Ordinis, Procerúmque id statuet. Interim inclytam Græcam fidem nulla in re violabit, neque

neque ullo afficiet dedecore, quin ſartam, tectam, florentémque conſervabit, nec à veteri majorúmque fide quempiam ad Romanam aut aliam quamvis ullo modo compellet adducétque. Judæos penitus ab univerſo Moſchoviæ Imperio arcebit excludétque, neque negotiationum cauſâ ingredi patietur.

Attributas ab Imperatoribus olim, aut Nobilibus, Templis ac Cœnobiis poſſeſſiones, reditûs annuos, Eleemoſynas ſive æris ſignati, ſive frugum non adimet, iiſque integerrimè gaudere ſinet. Dimenſa omnia, ſportulas, panes, nummos è theſauro Ducis erogari ſolitos more antiquo Cœnobiis templíſque conferet, nec imminuet, quin augebit.

Nobiles Provinciarum Præfectos, Aulicos, Secretarios &c. &c. ac omnium Ordinum Moſchoviæ homines gratiâ ſuâ & amore fovebit, & pro cujuſque dignitate, gradu, more majorum honore proſequetur. Moſchoviticas Ducales ac Nobiles familias, exteris adveníſque non poſthabebit, tum honores & dignitates, ſtipendia, ſportulas, domicilia, poſſeſſiones, hæreditates, quas hactenus quiſque poſſedit, præſertim verò paternas facultates nemini adimet. Advenas, qui ab exteris regionibus ad obſequium priorum Ducum in Moſchoviam commigrarunt, penès illorum antiquas poſſeſſiones, ſtipendia, domicilia conſervabit.

Nobiles Provinciarum Præfecti &c. &c. Omnes denique incolæ jura omnia, dignitates, ac officia ſua obtinebunt. Polonis verò & Lithvanis hominibus nulli magiſtratûs, nulla publicorum negotiorum adminiſtratio concedetur, neque Palatinorum dignitas officiúmve illis dabitur, nec Civitatibus locíſve ulla cum poteſtate præficientur. Quos verò Polonos Lithvanóſve in Urbe obſequii cauſa Princeps retinuerit, iis ſtipendia annua largietur pro cujuſque conditione & dignitate.

Jus more veteri atque è legibus Ruſſici Imperii dicetur, quod ſi indigenæ corrigendi firmandique juris cauſâ mutari aliquid voluerint, ſiquidem rem juſtam petierint, eï petitioni Monarcha ac Senatus Ordinéſque aſſentientur.

Sereniſſimo Sigiſmundo Regi Poloniæ ac Magno Duci Lithvaniæ & ditionibus ejus, Regno nimirum Poloniæ ac Ducatu Lithvaniæ cum Magno Monarcha Principe Vladiſlao Sigiſmundi Filio, & cum univerſis Ruſſicæ Monarchiæ ditionibus ſancta pax, inviolabilis ſocietas amicitiáque eſto in perpetuum, neque ulla ex parte litibus, bellis, aliâve occaſione violetur. Inimici utrique Imperio communes ſunto,

sunto, & si qui Regnum Poloniæ, Magnum Ducatum Lithvaniæ, aut Rußiæ Monarchiam bello impetere aut invadere voluerint, communibus utriusque Principis viribus propulsantor. In confinibus Tartarorum communia utriusque Imperii præsidia habentor, de quorum præsidiorum ratione & modo, Monarcha Princeps, ubi Rußiæ Imperium obtinuerit, è Senatûs consilio dispiciet, statuet, agétque cum Sereniſsimo Rege.

Dolo malo aut colore quopiam quæsito cædes Moschis inferri nullo modo patietur, nec domicilia possessionésque adimi. In Poloniam Lithvaniámque aut in alias regiones Monarchiæ Moschoviticæ homines ne abducantur, neque viciſsim Lithvani Polonique inducantur, uxores liberósque violare neque in prædam abigi sinet.

In sontes cujuscunque statûs & conditionis homines, non, nisi ex jure aut Senatûs judicio Magistratuúmque decreto, animadvertetur. Conjuges ac liberi qui criminis non conscii nec complices fuerint, aut quibus id invitis admissum fuerit, plecti non debebunt, sed omni jure suo fruentur gaudebúntque, neque eis possessiones hæreditariæ, domicilia, facultatésque adimentur. Criminis non convictus neque judicio damnatus nemo plectetur, nemo proscribetur, nemini possessio domúsve auferetur. Qui sine hærede obierit, ejus facultates cedent proximis agnatis, aut quem ille hæredem moriens scripserit. Atque iis de rebus Monarcha cum Senatu cognoscet, absque eo nihil statuet.

Quoniam verò eo tempore, quo Apostata volente omni Moschovitico Imperio interfectus est, multi quoque in Urbe Moscua tam Moschi homines quàm Poloni Lithvanique utrinque cæsi sunt, id factum perpetuâ sopiatur Amnestiâ. Demetrius prior.

Captivi Poloni ac Lithvani cujuscunque conditionis sint, Zolkievio supremo armorum Duci reddantur, quod si qui adhuc remanserint, ii conquirantur & absque pretio liberi dimittantur. Idem & Moschis cujuscunque conditionis hominibus & sexûs captivis fiat.

Reditûs Imperatorios seu Ducales ex arcibus, possessionibus, teloneïs cauponisque, Monarcha Princeps exigere mandabit, more antiquitus usitato: aliàs nullam illorum facturus accessionem. Missurus verò est Princeps ad arces ac territoria per belli injuriam vastata, homines certos, qui explorent & inquirant ac in tabulas referant desolata bona,

 quibus

quibus immunitatem vectigalium concedet: Nova autem tributa consentiente Senatu imponet.

Mercatoribus Moschoviticis in Polonia ac Lithvania, viceversa Polonis ac Lithvanis in Moscovia negotiatio libera esto, tam in urbe quàm cæteris arcibus oppidísque, ab iísque Telonea veteri & usitato more exigantur.

Colonis agrestibúsque è Lithvania in Moschoviam, non verò è Moschovia in Lithvaniam transire ac migrare liceat.

In fluminibus Volga, Tanaï, Jaïna, Tarca, sintne retinendi Cosaci necne, è Senatûs consilio statuet Monarcha.

De arcibus Moschoviticæ ditionis, tam iis quæ præsidio Polonorum ac Lithvanorum tenentur, tam quæ Impostori sese dediderunt, Zolkievius copiarum Dux ita nobiscum transegit: ut Regia Majestas ac filius ejus Serenißimus Vladislaüs eas omnes Moschovitico restituat Imperio: Magni verò Legati qui Moschovitici Imperii Nomine ad Regem propediem mittentur, de impensis in militem factis, illorúmque stipendiis persolvendis transigent. Quantum verò ad Smolenscum attinet, exoranda erit Majestas Regia à Zolkievio, datis ad eam literis, ut ab oppugnatione vique abstineat.

Impostor, qui se Demetrium Joannis magni Ducis filium mentitur, conjunctâ cum Moschis Proceribus operâ oppugnandus erit à Zolkievio, curandúmque, ut aut vivus aut mortuus in potestatem veniat. Quodsi Urbem Moscuam impetierit tentaveritve, incumbet Zolkievio junctâ manu eum submovere, ac prælio cum illo decernere. Eo autem capto, aut interfecto, reducendæ erunt Zolkievio copiæ Mosaïscum versùs, aut aliò, prout cum Proceribus transegerit, ibique reditus Legatorum à Rege & mandata illi expectanda erunt. Joannem Sapieham ejúsque legiones ab Impostore abducet Regiísque conciliabit partibus: Si verò Impostor cum exercitu Moschovitico ab Urbe recesserit, Polonorum verò ac Lithvanorum exigua quæpiam manus illum comitata fuerit, Zolkievio unà cum Proceribus Moschis incumbet cura, eum citißimè persequi, provideréque, ne plus Christiani Sanguinis ab eo fundatur, ac novarum rerum in hoc Imperio detur occasio.

Marina Mniscii Palatini Sendomiriensis filia, interfecti Apostatæ Gregorii Otrepovicii conjux, quæ moderno etiam Impostori adhæsit, Imperatricis titulum ne usurpet, & ne quidpiam contra Mo-

Moſchoviticum Imperium moliatur, in Poloniam reducatur coërceatúrque.

Supremus copiarum Dux Zolkievius in Urbem Moſcuam Polonos, Lithvanos, Germanos, aut cujuſcunque gentis milites, tam qui ipſius quàm qui Joannis Sapiehæ imperio parent, abſque conſenſu Procerum non intromittet. Si verò commeatûs cauſâ milites mittendi erunt, habeant literas patentes Zolkievii, quibus ſi caruerint, non admittantur, nec mittendi viginti numerum excedant.

Moſchi, ſi quis ad illorum Schiſma tranſire vult, neceſſariò volunt, ut iterum baptizetur juxta ritum Græcum.

Ad extremùm Monarcha Vladiſlaüs Princeps Sigiſmundi Filius ea omnia exſecutioni mandabit, quæcunque Legati ab eo & à Regia Majeſtate ſupplices petierint, juxta hujus inſtrumenti & Pactorum formam. Ut autem Sereniſſimus Princeps Vladiſlaüs lavacro ad Græcæ religionis ritum initietur, eámque amplecti velit, nec non de rebus controverſiiſque omnibus, quæ inter Polonicum & Moſchoviticum Imperium adhæc uſque funeſta tempora interceſſerunt, certi aliquid ſtatuatur: pax, amicitia, ſocietas perpetua inter eadem Imperia conſtituatur, quandoquidem Zolkievius iis de rebus nullo mandato à Rege munitus eſſet, ita nobiſcum tranſegit: ut eorum omnium definiendorum cauſâ mittant Proceres

atque univerſi Ordines &c. &c. Legatos ad Regiam Majeſtatem, ac Sereniſſimum Principem Vladiſlaum.

In horum autem fidem & robur, præſens Pactorum & juramenti noſtri Inſtrumentum, Nos Proceres Dux Theodorus Mſciſlawski, Dux Baſilius Baſilii Galicinus, Dux Theodorus Joannis Seremetus, Dux Daniel Mezecki ſigillis noſtris munivimus. Nos verò Secretarii Baſilius Tclepniew ac Thomas Lugowski manibus noſtris ſubſcripſimus. Datum in Imperiali ac Metropoli urbe Moſcuâ Anno à condito Mundo 7118 Menſe Auguſto.

Juxta Kalendarium Romanum A.D. 1610. 27. Auguſti.

Pactis firmatis obſtat Impoſtor ad Urbem hærens.

Pactis utrinque jurejurando ſtabilitis, reducem tranquillitatis amœnitatem, vernantíſque temporis felicitatem offuſcabat pertinaciter ad Urbem cum exercitu hærentis Impoſtoris nebula, ad quam diſcutiendam auſpiciis Vladiſlaï, veluti Orientis Solis felicibus radiis, arma viréſque ſunt converſæ, animis mutuò in hoſtem conſpirantibus. Et oppugnantem quidem ſummo impetu Urbem, incendia flammáſque ſpargere conantem, repreſſere Moſchi ſtrenuè fortitérque: hærebat ille nihilominus Sapiehæ

ipſiúſq; legionum confiſus robori, quamvis poſtmodum ab adventu Zolkievii aliquantùm detumuiſſet. Ergo ad Sapieham ipſiúſque copias ablégat Imperator certos commilitones, qui docerent univerſam Moſchoviam & Urbem Principis Vladiſlaï imperium accepiſſe, non eſſe cur Impoſtori ampliùs adhærerent vaníſq; pollicitationibus ſe ludi ſinerent, perſuaderent eï potiùs, reciperet ſe ad gratiam Regiam, indéque haud dubiam exſpectaret munificentiam: illos verò præclariùs glorioſiúſque Regi ſuo operam collocaturos. Ferociùs ad ea acriúſque reſpondentes non tulit Zolkievius, commotiórque ſigna movet, advocato Moſchorum ſubſidio, ac per ipſam Urbem portis ultrò ab alacritate Civium Procerúmque patentibus, ducit, nihílque tale opinantibus aut metuentibus Demetrianis, ſummo mâne ſub ipſorum caſtris inſtructâ acie conſtitit. Tunc, vocato ad colloquium Joanne Sapieha Centurionibúſque, armati ducis præſentiâ exterritos milites faciliores invenit, æquioráque poſtulantes. Ad extremum

Zolkievius ad Sapieham ejúſque legiones mittit.

mum ſtipendiorum ſecuros certóſque reddidit: & ſi illis tantopere cordi Impoſtoris cauſa eſſet, interpoſiturum ſe pro illo ſupplicem ad Regiam Majeſtatem ſpopondit.

Tandem ipſe cum exercitu venit, & ab Impoſtore abducere vult.

Aberat Impoſtor tertio à caſtris milliari, hærebátque cum Sua Marina in Cœnobio quodam, & poſteaquam militem nutare alióque propendêre, & Zolkievium crebriùs cum Sapieha conferre ſenſit, quin à proditore Moſcho edoctus ſui obſidendi ſubitóque opprimendi conſilium, clàm elapſus, fatalem fugæ locum Kalugam repetiit, comite Marinâ celeri impoſitâ equo.

Vulgo na Ugreſie dictum.

Impoſtor cum Marina Kalugam fugit,

Oblatam multoties gratiam munificentiámque Regiam ſpreverat arrogans Impoſtor, ſtimulante animum ferocem impotentis ſuperbíque ingenii fæminâ Marinâ, & quæ deguſtatâ imperandi temporariâ dulcedine, verecundiam, patriam, cuncta denique imaginariis dominii titulis poſthabebat. Jam verò & legiones illæ Impoſtori adhærentes omnem penitus reverentiam, & quam debebant Regi exuerant obſervantiam. Auſæ inſuper legatione compellare fa-

qui multoties gratiã Regiam ſprevit.

Legiones adhuc ipſius partes tuentur.

faſtuoſâ, victoriarum bellicorúmque facinorum immenſâ prædicatione, ſuíque Domini laudibus & encomiis infarcitâ. Atque per eoſdem Legatos porrexêre conditiones Regi ab Impoſtore ad amuſſim implendas, ſi ad adipiſcendum quod illi jure, ut ajebant, deberetur Imperium, Regio promoveretur conatu & auxilio. Eſt mihi ad manus Legationis hujus Commentarius & conditionum exemplar, in quo referendo longior eſſe nolo, cùm ab homine vano & qui nihil præter Titulum haberet imaginarium profectæ, mox à Rege ſpretæ, exploſæque ab univerſo exercitu fuiſſent. Legati vix obtinuêre ut in conſpectum venirent Regium, ad Palatinum Braclavienſem remiſſi, coram quo ſi quid haberent, exponerent fuſius. Interrogati quâ fronte ea adferrent ab eo, qui bis unius hominis perſonam mentiretur, qui Deum convitiis inceſſeret, religionem fingeret: cùm nullam ſequeretur, fidem frangere perquam familiare ſibi haberet. Moniti denique ut Patriæ, Regis, honoríſque ſui memo-

Legatos ad Regem mittunt.

ſpernuntur. Potocium.

memores, infamem deſererent militiam, accederent verò iis partibus, quò illos virtus & patriæ ipſorum commoda Regíque debitum vocaret obſequium Et legationis quidem hujus fuêre minùs grata capita, præcipuè Joannes Kaſimierſcius, Matthias Janikovius turbarum ſeditionúmque incentores, quibus adjuncti erant mitioris ingenii viri Joannes Bilinius, Thomas Vchlicius, Matthæus Budzanovius; ille quidem Centurio, hi Commilitones. Verùm paulò pòſt operâ Sapiehæ indefeſſóque ſtudio traductæ in partes Regias copiæ, deſeruêre Impoſtorem, cùm ipſum cauſa jam & fortuna desereret.

Capita hujus Legationis ingrata.

Tandem operâ Sapiehæ deſerunt Impoſtorem.

Namque tribus abhinc circiter Menſibus ultimum tragœdiæ actum cruento finivit Epilogo. Deſidebat profugus Calugæ adhærente exiguo Nobilium Moſchorum globo, pleriſque Donenſium Coſacorum & Tatarorum ſtipatus ſignis, odium in Polonos ſpirans, fortunæ verò ut non nimiùm fidens, ita non deſperans, quamdiu & vita & aliquid ſupereſſet armorum, momentíſ-

27 Decemb. 1610.

Ejus mors & Elogium.

 que

que res ſuas æſtimabat, quas ad extremùm relapſas gentis inconſtantiâ fides lubrica, iterum erigere poſſet. Inciderant fortè ipſius Tatari in Czaplicii Poloni Centurionis turmam, eâque diſſipatâ captivos aliquot minoris notæ homines Calugam adduxerant. Lætus Impoſtor victoriâ, acſi penitus debellatum eſſet, ſubito perfuſus gaudio prandet hilariùs, indulget genio, mox aſſurgens ab epulis ac trecentis Tataris duce illorum Petro Vrozovo nuper ſacro Baptiſmatis fonte tincto comitatus, cæteríſque Moſchis extra Urbem arcémq; animi cauſâ progreditur. Tum adduci imperat aliquot trahas mulſo ac vino aduſto onuſtas, delectâque, prout rigor hyemis ferebat, planitie, in patentiori campo in omnem ſeſe effudit lætitiam. Tatarorum præcipuos ad hilaritatem invitat, propinat bibítque majoribus poculis, perſonat campus ebriorum vocibus; cùm in ipſo bibentium largiúſque ſeſe ingurgitantium fervore, Petrus Vrozovus meditatum aggreditur facinus, Tataros immittit, qui à Nobilium Moſchorum cæde ini-

Calugam.

initium faciunt, ipſe obtruncat Impoſtorem, ac in partes conciſum cadaver veſtéque detractâ ſpoliatum, relinquit, arrepto versùs Moſchoviam cum ſuis Tataris itinere continuatóque.

Ferunt Vrozovum contumeliâ ignominiâque accenſum in illius conſpiraſſe necem: quippe ejus juſſu immeritum verberibus exceptum fuiſſe carceríſque ſquallore caſtigatum conſtat, è quo non ita pridem ad ultionem ſolutus prodiiſſet. Pronis quóque in eandem Tataris ob illatam Kazimovienſi Regulo mortem, quem Impoſtor proditionis ſuſpectum trucidarat. Cæde Impoſtoris exterrita Marina ex arce in urbem evolat, planctu fletúque omnia complet, ſparſis crinibus nudum pectus ferro confodiendum oſtentat, verſa deinde in furias Coſacos Dunenſes in reliquam Tatarorum manum armat immittítque, & propè ducentis cæſis non ſuo parentavit Conjugi.

Marina à cæde Impoſtoris furit.

Hunc exitum vitæ ſortitus eſt, quiſquis ille fuit, qui in Demetrii genus, fortunam hæ-

hæreditatem immigrare voluit, atque universæ illusit Moschoviæ: fatis intrudentibus hominem natalibus ignotis, cuique neque lar neque focus esset, nullique mortalium compertus: qui simulato jure, Suyscium arrepti nefariè sceptri anxium, pertinaci bello in armis teneret, detestantibus quidem Moschis larvati Impostoris personam, sed malentibus rediturae felicitatis momenta præstolari ignotum dissimulando perferendóque Demetrium, quàm sub continuo eóque gravi & crudeli Suyscianæ Tyrannidis jugo, in gemitu, lachrymis, vitæ incerti contabescere. Et Polonorum legionibus cædes popularium suorum quas ultum ibant, & præda spe devorata universi Imperii, personato adhærere Principi suasit, cùm ab homine & privatim abhorrerent, & palàm præsentem etiam conviciis proscinderent, contumeliisque afficerent. Certè Judæum fuisse suspicionem movit inter fugientis è castris suppellectilem repertum Thalmut, multique Hebræi codices, & Syngraphæ Judaicis exaratæ characteribus.

Cæterùm Superos irridere, Numen procaci linguâ lacessere solitus; ad extremùm rudis, barbarus, crudelis, avarus, subdolus, lasciviâ libidinéque infamis, crapulæ deditus, totus ex sceleribus flagitiisque conflatus, indignus qui ficti etiam Principis nomen sumeret, ad cujus tuendam auctoritatem nec formam, nec unicam haberet virtutem, præter Polonorum robur Moschorúmque ad præsens simulata obsequia &c.

HISTORIÆ VLADISLAI POLONIÆ ac SUECIÆ PRINCIPIS,

LIBER SEXTUS.

Vladiſlaï Electio in Magnum Ducem Moſchoviæ magnâ populi lætitiâ excipitur.

INterea ad famam Electi in Magnum Moſchoviæ Ducem Vladiſlaï, immenſa populorum confluebat multitudo gratulantium invicem feſtóque tripudiantium apparatu, Eum ſibi benignitate Numinis contigiſſe Principem, quem votis ac deſideriis jam pridem expetiiſſent: ſimul cogitationibus ſermonibúſq; revocabant adverſa infeſtáq;, à quibus jactati fuiſſent, quorum jam ſecuri ſub tanti Principis auſpiciis ſuper omnes caſûs ærumnáſq; con-

conſtitiſſent. Perſonabat unicum in Urbe Vladiſlaï Nomen, paſſímque juramentis omnis Moſchoviticæ originis ſtirps à ſceptro excludebatur, quin & nonnulli ſortes in Nomen Principis ciebant, auſpiciáque explorabant, iis verò ad votum fluentibus, momento totam Urbem idem faciendi corripuit ardor, plerumque ſucceſſibus lætis provenientibus, univerſíſque conclamantibus, utendum eſſe auſpiciis tam fortunati Principis, quibus nihil impervium eſſet, cunctáque ſe ultrò ſubmitterent. Et hic quidem vulgi animus affectúſque fuit, apud quem nihil unquam eſt mediocre, triſtibus deprimi allidíq;, gaudio immodicè attolli, & ad cujuſq; auræ lenem motum facilè impelli agitaríq; ſolito.

At Proceres, ubi ſat lætitiæ dediſſent, ad publica convertuntur munia: ac primùm Sacer Ordo templa precibus Uni Vladiſlao fauſtis implet, tum ejuſdem nomine populis edicta proponuntur, mittuntúrque ad Provincias recens Electi Principis titulo ſigillíſque munita diplomata, ablegantur primarii ad excipiendum Juramentum Novo-

Ejus nomine edicta proponuntur.

 gar-

Cæteræ Civitates ad juramentum eidem dicendum invitantur.

gardiam Majorem, Toropeciam, Velicolucos, Plescoviam, cæterásque arces ac ditiones, haud abnuentes detrectantésque ejus imperium, quem Urbs primaria pronis adorasset studiis. Aperiuntur thesauri ac vetus Ducum Moschoviæ ærarium, traduntúrque Zolkievio Regni insignia, pecunia aurea argenteáque Electi Ducis Nomine inscripta cuditur: ad extremùm producitur è claustro Basilius Suyscius deditúrque Zolkievio, infelix Princeps nec suo tutus asylo, sequuntur fortunam fratris Demetrius & Joannes Suyscii invisa Moschis nomina, & quorum memoriam perpetuo abolere silentio cuperent. Et illum quidem Osipoviam amandatum Pauli Rucii custodiæ Imperator commisit, hi à Nieviadovio Bialam ducti ibíque mansêre detenti, tum demum in Urbem petentibus ultrò stimulantibúsque Moschis præsidium inducitur, dispositis legionibus excubantibus attendentibúsque ad lubricam oppidanorum fidem.

Zolkievio Regni insignia traduntur.

Suyscius deditur unà cum fratribus.

Præsidium Polonum in Urbem inducitur.

Tribus universa Metropolis dividitur sepimen-

pimentis, (seu ut illi vocant arcibus) singulis ambitu capaci amplóque eductis, in miram crassitudinem ac altitudinem mœnibus cinctis, quibus sua quoque nomina indita. Ac primum quod candidâ obductis calce muris albicantibúsque splendeat turribus, Alborum mœniorum nomen accepit: alterum vulgò Kitaigrod indigetant: tertium Krimgrod vocatur, ubi Regia sita ingénsque spatium, quantum duorum fluviorum Moscuæ ac Neglinæ complexus obtinet. In eas igitur arces Zolkievius valida immittit præsidia, ac densatis stationibus mutuâ sibi ope manum porrigentibus universam complectitur Metropolim. Alexandri Zborovii legioni Alba mœnia cessere: Kazanovius cum suâ Kitaigrodum occupat, Imperator Krimgrodum Regiámque insedit. Atque ut omnem contentionum præcideret occasionem, æquè è Moschis ac Polonis judices legit constituítque, qui exorituras lites paribus deciderent suffragiis, severéque in delinquentes animadverterent. Moschi verò, ne quid legionibus deesset,

Ejus distributio per Urbis partes, de quibus obiter dictum.

 certa

certa territoria ad ſubvehendam annonam rémque cibariam petendam aſſignavêre, unde affatim proveniebat magno cum militum commodo, diúque ſuffectura erat, ſi debitâ parſimoniâ futuri temporis rationem habuiſſet.

Zolkievius de transacti ad Moſcuam negotio Regi nuntiat:

ejus confecti celeritas carpitur ab æmulis.

Rerum hactenus in Urbe geſtarum ſeriem Zolkievius Regi miſſo nuntio explicat, déque adventu Legatorum certiorem facit. Sed jam in aula perſtringebatur ab æmulorum malevolentia negotii tam ſubitò confecti celeritas, quod in longiorem trahere extenderéque moram è re commodóque Regio cenſebant. Quamquam non commodum illud, quod tantopere ſollicitos teneret, erat: namque uti prævidebant Zolkievium à caſtris diſtractum, & parvis ſeptum contra potentiam Moſchorum copiis non levibus implicandum curis, ita contra illorum votum felix & torrentis adinſtar rapidus victoriarum curſus, angebat percellebátque æmulantium animos, ad cujus illi fructum decerpendum advolare cupiebant: ut penès Zolkievium inchoati operis labor, pe-

penès illos impoſitæ coronidis gloria honórque maneret. Hinc quamprimum expugnandi Smolenſci ardor Potocios ceperat, ut captâ quantocius pertinaci arce, Regem in penitiora Moſchoviæ pertraherent, ſuis conſiliis, apud quem ſe non ignorabant unicè dominari, de rebus Imperii illius tranſacturum. Et pleni ſpe fiduciâque citò capiendæ debellandæque, eandem fortiſſimis univerſo cum exercitu admotis machinis oppugnarunt, impetum ſuſtinentibus præſidiariis repellentibúſque, non abſque clade invadentium, cúmque nihil proficerent, fuiſſe ejus ſententiæ non neminem ſcio, ut relictâ obſidione Rex pergeret ad Urbem rectâ, cujus jam Imperiíque plenè ſecuro acceſſurum Smolenſcum certò confideret, nec refragaturum Sehinium pronis obſequióque mancipatis Vladiſlao Principi Moſchorum Proceribus. Verùm exiſtimationis Regiæ famæque intererat ſeſqui anno obſidionem continuatam haud deſerere, nec à tergo relinquere nobiliſſimæ Provinciæ munitiſſimum propugnaculum, Lith-

21 Augusti.

Domaracium & Goſievium.

Lithvaniæ verò conterminum, Sehiniúmque bellandi peritum, parendi verò novo Principi incertum, & quem fluxa gentis fides ad res movendas facilè impelleret: consultiùs facturum fuisse Regem, si ab ingressu suo in Moschoviam in ejus penitiora penetrasset, aut certè sub ipsis obsidionis initiis, Smolensco tantisper relicto, ivisset integer virium, famæ, gloriæ, duorum de Imperio litigantium certamen armatus diremturus.

Sed culpâ vacuum agnoscunt postmodum perspectis rationibus.

At præterita ut censurâ notare promtum est, ita corrigere haud expeditum, culpâ tamen Zolkievium vacuum agnovêre postmodum ii, qui gloriæ ipsius infensi eos sparsere sermones. Namque, licèt voluisset summam reï in eam opportunitatem attemperatè protrahere, quoad Rex victrices urbem versùs promoveret aquilas, aut certè absens mandatis suæ voluntati consonis crebriùs instrueret, prævidebat vir occasionum captandarum non segnis, apud eam, cum eâque se versari gente, quæ tam expeditè fidem frangeret atque daret, vere-

rebatúrque, ne cunctatione nimiâ Principem avidè ad sceptrum vocantium animi elanguescerent, præsertim cùm fervida eligentium studia, & Patriarcha homo clàm factiosus suæque religioni metuens, & Impostor favorem per emissarios miro artificio prehensans captánsque, restringuere satagerent. Ursere & Moschorum Proceres, omnémque damnabant moram; at mage acrior accelerandi negotii Zolkievium ursit cura: namque videbat exercitui nulla procedere stipendia, sine quibus bellum difficulter posse trahi intelligebat, imò Tribuni, Centuriones, militésque Prætorium ejus circumsteterant cum ea denunciatione, se vacuos stipendiis ampliùs nec militare velle, nec posse, quos ipsa penuria & egestas à sacramento absolveret, provideret itaque illorum commodis Imperator numerato ære quantocius. Atque iis rationibus transacti ad urbem negotii celeritatem Zolkievius Regi excusavit, apud quem pacta cum Moschis inita, consuetâ æmulorum interpretandi licentiâ, continuò carpebantur.

Legati ab Ordinibus Moschoviæ ad Regem veniunt. Interea non ultrà cunctati totius Moschoviæ Ordines, legationem instituunt, nominántque Philaretum Rostoviæ ac Jaroslaviæ Metropolitem, Ducem Basilium Basilii Galicinum, Ducem Danielem Joannis Mezecium, Thomam Lugowski à secretis: eósque cun selecto Nobilium, Aulicorum, numerosóque comitatu mittunt ad Regem Smolenscum obsidentem. Deductoris munere injuncto à Zolkievio Nicolao Herburto Præfecto Tlumacensi, qui diploma Electionis Vladislaï in Magnum Moschoviæ Ducem, in manus Regias traderet. Rex verò & legationis & conditionum admonitus, quas, quoniam minimè probabat, ideóque moderaturus erat, decrevit Legatorum animos paulisper inflectere emolliréque magnifico ac splendido apparatu, quem in eis excipiendis adhiberet. Præmissus itaque Christophorus Zbarascius Præfectus Cremenecensis cum lectissimis militum signis, ornatissimâque Aulicorum ac Nobilium manu, qui succedentes castris & salutaret, & ad stationem deduceret. Additi *Excipiuntur à Christophoro Zbarascio præ castris, deducuntúrque.*

diti iisdem honoris humanitatísque causâ tres parastatæ, Viri gravissimi, Janussius Skumin Tyskievicius M D L. Notarius, Kochanovius Venationis Regiæ supremus, & Albertus Miaskovius Regi à Secretis. Succamerarius postea Terræ Leopoliensis & Vladislaï Regis ad Cæsarem Turcarum Legatus. Statio sub tentoriis ultra Boristhenem assignata, additi sexcenti pedites per speciem honoris custodes exploratorésque. *Parastatæ iis additi.*

Eâdem quâ venerant magnificentiâ paucos intra dies in conspectum Regis adducti, primùm ab osculo manûs honorem accepêre, deinde sedente Rege legationem stantes in submissam compositi venerationem exposuêre, cujus prolixioris summa hæc demum fuit: Rexisse hactenus Imperium Moschoviticum Basilium Suyscium, sed iratis Superis Numinéque haud favente, cùm & arces invitum illi deferrent obsequium, & populorum continuis flagraret odiis, unde intestina erumperent mala, tumultûs, seditiones, tantáque effusio sanguinis, quanta ad totum Imperium inundandum mergendúm- *Regem adeunt, & alloquuntur.*

dúmque ſatìs eſſet. Annuiſſe tandem illum ceſſiſſéq; univerſorum Ordinum precibus, abdicaſſéque ſe Imperio, quod imploratâ Divinâ ope, & Caſtiſſimæ ac intemeratæ Virginis Deiparæ, Sanctorúmque Tutelarium precibus adjuti, unanimi conſenſu volentes lubentéſque detuliſſent Magno Moſchoviæ Monarchæ Ducíque Vladiſlao Principi, dixiſſéntque eïdem ſacramentum in præſentia Staniſlaï Zolkievii Supremi Copiarum Ducis, paritérque juratè ſpondentis pro ſua Majeſtate Regiâ, Principe Vladiſlao, exercitúque univerſo. Orare itaque, ratum id haberet Majeſtas Regia, non denegaret ſupplicanti Moſchoviæ Filium, atque ad ſceptra capeſſenda quantocius mitteret, ſereno vultu afflictum populum recreaturum, avidéque exſpectantium deſideria expleturum. Tantò verò futurum gratiorem, ſi more anteceſſorum Moſchoviæ Ducum eandem coluerit ritûs Græci religionem, ejúſque Baptiſmo initiari (quod unicum totius Moſchoviæ votum eſt) voluerit. Cùm verò nonnulla ſupereſſent conditio-

ditionum capita, quæ Zolkievius judicio Majeſtatis Regiæ prudentíque reliquiſſet trutinæ, idcirco ſuper iis explicandis expendendíſque velle ſe cum Senatu colloquium inſtituere, modò id Rex annueret. Reſponſum accepere Legati à Leone Sapieha Cancellario Lithvaniæ nomine Regio verbis magnificum, plenúmque encomii tam promti proníque ſtudii univerſorum Moſchoviæ ordinum erga Majeſtatem Regiam ejúſque Filium Vladiſlaüm Principem: Quod, ut grato libentíque animo exciperet Rex; ita plus momenti fideïque acceſſurum illorum dictis ſperaret, ſi eas quas adhuc adferrent conditiones, ad omnem inflecterent facilitatem, quorum trutinam benignè committeret Senatui, eorúmque mutuis congreſſibus colloquiíſque.

Reſpondet Leo Sapieha Cancellarius Lithvaniæ.

Et congreſſi quidem multoties cum Senatu Legati, prout crudas attulerant conditiones; ita eas rationum pondere emolliri mitigaríque pro innatâ genti pervicaciâ haud ſinebant. Namque præter toties repetitam & ad ravim uſque decantatam religionem,

Legati cum Senatu de conditionibus diſceptant, quas duriores proponunt.

De religione. gionem, cui miro zelo unicè cavebant eandémque Principem profiteri volebant: comitatum exiguum futuro Monarchæ è Polonis Lithvanísque præscribebant, *De comitatu Principis.* quos nec finitimis arcibus munitionibúsque cum imperio præponeret, nec ullis publicis applicaret negotiis: *De Uxore ducenda.* Uxorem destinabant non ex alieno petendam Orbe, sed è veteribus Russorum familiis, contendebántque omnes sibi restitui arces, prout eas ante belli *De Smolensci obsidione solvenda.* tumultuúmque initia possedissent. Obsidionem Smolensci mox Vladislao tradendi, solveret Rex, abducerétque universum exercitum in Poloniam, metúque liberaret Moschoviam. *De conditionibus in Comitiis approbandis.* Firmaret jurejurando unà cum Senatu conditiones approbandas unanimi Ordinum consensu in Comitiis legéque, atque ejus rei causa suam interponeret auctoritatem: Ad extremùm mitteret darétque omni morà cunctationéque præcisà *De mittendo quantocius Vladislao.* Vladislaum Filium, summè ipsius præsentiam expetenti desiderantíque Moschoviæ.

Octob. & Novemb. Post gravissimas tandem disceptationes, post repetita iteratáque, quæ duos menses absum-

absumserant, colloquia, deinde interventu Zolkievii ex Urbe tunc reducis, ad cujus reditum volentes & consilia & pertinaciam distulerant, eò adducti sunt, ut ad futura Regni Poloniæ Comitia brevi ordinibus indicenda, conditionum tractationem rejicerent, meliori omine tunc decidendam. *Rejiciunt tandem earum conditionum tractationem ad futura Comitia.* Sed cùm interim Principis Vladislai in Moschoviam festinatum urgent adventum, quo non aliud pacandis rebus tranquillandóque Imperio censerent efficaciùs remedium; *Interim Vladislaum sibi mitti postulant.* Rex vero nullum eis daret responsum, Senatores è contrario ita jubente Rege palàm contenderent, ut Regi insimul cum Filio Sacramento se obstringerent: *Senatores Regem insimul cum Filio ad Moschoviticum Imperium promovent.* consternati eà denunciatione Legati, aversísque jam erga Regem ac Vladislaum animis, alia volvere incipiunt spésque tacitè premere, ex hàc occasione partes quoque suas in prehensando Imperio postea habituri. *Consternati inde Legati, aliud enim volvunt.* Et quoniam ea Regis cunctatio & sceptrum Moschoviticum partum feliciter è manibus excussit, & immortalis gloriæ decus penè exstinxit, consilii auctores & rationes exponam.

Inter

Conſilii hujus præpoſteri rationes & auctores.

Inter decumanos tumultuum fluctus jactata Moſchovia, exſtinctâ veteri Ducum ſtirpe, prout jam retulimus, Unum reſpiciebat Vladiſlaum Principem, cui ſummam deferret regiminis; ſeu tædio popularium ſuorum arroganter crudelitérque dominantium mota, ſeu metu armati Regis, fatiſcentíque per diſſidia Imperio potenter imminentis, ſeu pronis in juvenem Principem ſtudiis, qui feliciùs novam Ducum familiam ordiretur. Vota deſideriáque popularium ſuorum aperuerat Michaël Solticovus publicâ Legatione, Rege quidem hilari vultu auguſtæ domui novam ornamenti acceſſionem excipiente, ſed quod ipſe diadema ſuo prius imponi capiti cuperet, adultiori poſtmodum filio tradendum. Hinc cum ambiguo reſponſo dimiſſus Solticovus cæteríque Moſchi, videlicet: *ſi ita omnino in fatis fuerit, priùs pacem ac tranquillitatem in Imperio Moſchovitico ſtabiliendam eſſe, tum à dando filio Regem non futurum alienum.* Ne verò Moſchorum poſtulatis animum accommodaret, non parùm contulêre Potocii, penès quos

Vide ſuperiùs lib. 4.

Potocii Regem à dando Moſchis filio dehortantur,

quos conſiliorum militarium erat ſumma, nec vulgaris auctoritas, haud æquiores Zolkievio, cujus rerum geſtarum gloriam ſuis officere luminibus rebantur, præſertim cùm illi nullo operæ pretio ad Smolenſcum deſiderent, huic omnia proſpere éque voto cedere animadverterent, oſtenderéntque, totam ejus expeditionis ſummam penès Zolkievium, nullam penès Regem futuram: illorúmq; inſtinctu miſſus erat à Rege Alexander Goſievius, & Theodorus Andronovus ad Zolkievium & Mſciſlavium Moſchorum Procerem, qui illum monerent, Regis potiſſimùm cauſam in deferendo Imperio ageret, huic perſuaderent, tutiùs expeditiúſque Moſchoviam Patri Regni ævíque maturo, quàm filio teneræ imbecilliſque ætatis committi, adultiori à Patre tradendam. Sed Goſievius & Andronovus tardiùs ad Urbem venerant, confectis ante biduum à Zolkievio rebus, dicto ab utrinq; Sacramento, evulgatâq; Principis Vladiſlaï in Magnum Moſchoviæ Ducem Electione: eapropter præpoſteram cenſebant operam,

illorum ſuaſu mittitur Goſievius & Andronovus Moſchus ad Zolkievium, ut Patris cauſam ageret.

Serò illi veniunt. 30 Auguſti

 manum

manum negotio sibi commisso admovere, præsertim apud gentem subdolam ac suspicacem, & à Rege aversi abalienatíque animi. Ferunt & Felicem Kriscium Regni ProCancellarium Potociorum subscripsisse sententiæ, quanquam mihi non adeò compertum; existimo tamen virum Principis intelligentem eò licèt tacitè repugnantem flexisse vela, quò validior voluntatis Regiæ impelleret ventus. De Leone Sapieha Cancellario Lithvaniæ fidentiùs id à plerisque notatum, eò quòd sæpius Moschorum pertentaret animos flecterétque ad dicendum Regi Sacramentum, quâ de re questi apud Zolkievium; eidem præbuerant occasionem Sapieham compellandi, sed ille impositâ sibi à Rege necessitate factum excusavit, cujus mandata invitus exsecutus fuisset: & postmodum Zolkievius in suo Commentario Sapieham ab eâ suspicione liberat, quem suis adhæsisse consiliis tenacissimè memorat.

Kriscius inter cæteros ejus consilii auctor.

Et de Leone Sapieha id quoque dictum.

Rationes ejus consilii negatíque ad Moschorum postulata Principis, jam mihi prom-

promtum est referre ab inspectis Gosievio datis à Rege ad Zolkievium & Mscislavium mandatis. Ac nonnullæ à blanditia suadentium profectæ videbantur, videlicet: præferri Patri Filium, ejus ætatem objici immaturam inexpertémque consilii turbidis Moschorum ingeniis, unicam tenerámque spem è sinu Patris abripi, in lubrico barbaræ gentis solio collocandam, tantò cum evidentiori discrimine, quantò pauciorem è Polonis ac Lithvanis comitatum Regnaturo præscriberent, interim exercitûs confestim amoveri, ac extra Moschoviæ limites abduci contenderent: denique ita circumscriberent, quò magis omni nudatus præsidio, fraudi obnoxius esset Regius juvenis, ac pro perverso fastidientium Rectores genio iterum tolli exstinguíque posset, quandoquidem gens illa ex vanis superstitionibus fidem lubricam, è vitâ moribúsque barbaris animos pervicaces, immanitatem pro jure, servitutem pro natura projectam, exiguo honesto temperatam, licentiam pro consuetudine haberet. Quam angu-

Rationes negati Principis ad Moschorum postulatum. datis è castris 22 Aug. 1610.

Imbecilla ætas fraudibus & dolis exposita.

sto

sto loco Regia arctarentur solatia, vita Principis inter metûs, pericula anxia foret, velut appenso è lacunari equinâ setâ gladio quotidie cervicibus impendente. Pergeret Rex potiùs & Moschos seditionibus attritos, cladibus confectos, armis ad extremùm subjugaret premerétque, victor genti jura daret, sumeret diadema, quod pace stabilitâ ordinatísque Imperii rebus in filii caput securè deponeret, majori obstringendi beneficio, cùm id non à Moschorum fallacibus studiis, sed à benevolentia Patris obtineret. Neque verò salvâ fide Regiâ Principem Moschis concedi posse; namque confestim è Comitiis comparuerat Rex in generali totius Poloniæ Dicasterio Lublini, & postmodùm in totius Magni Ducatûs Lithvaniæ Vilnæ, palámque professus erat, ire se accingíque ad expeditionem Moschoviticam publici boni non alicujus privatæ accessionis causâ, nullis suis commodis præterquam Reïpublicæ inserviturum, & quidquid armis acquireret, nihil inde sibi suæque proli omnia Regno lubentem volentémque conserva-

Cicero Tuscul. 5.

Rex ipse potiùs diadema sumeret, deponendum postmodùm in filii caput,

aliter facturus, fidei datæ Lublini & Vilnæ maculam inferret.

servaturum. Evulgata per rescripta ea Regis voluntas in Conventibus Provinciarum, missæ ad Senatum Ordinésque literæ: si verò jam evecto ad Imperium Moschoviticum Vladislao Filio, pollicitis non responderent facta, quanta iterum daretur occasio rerum novarum cupidis, excitarentur scintillæ nuperi belli Civilis cineribus dolosis sopiti, pateret funestis dissidiis Respublica, erumperent animis inhærentes suspiciones Regem absolutum affectare dominatum, quem imposito finitimis potentibúsque populis Filio, velut ingenti potentiæ suæ firmamento, junctis viribus, consociatâ ope auxiliísque eo certiùs assequeretur. Compellandos itaque primùm Ordines, vellent suaderéntve Vladislaum Principem Moschovitico præfici Imperio. Atque huic potissimùm validissimi argumenti basi tota moles incubuit consilii, cum tantâ ejusdem deprædicatione & jactantiâ apud omnes Poloniæ Ordines, ut legenti mihi illorum temporum, sive datos Legatis ad Conventus Provinciales Commenta-

Non absque suspicione affectati absoluti dominii,

& hæc potissima erat ratio, cum summa Regis deprædicatione.

 rios,

rios, ſive in ipſo Comitiorum exordio proponentis Nomine Regis Cancellarii deliberationum materiam, audire videar exclamationes Senecæ eloquenter aſſurgentis ad Neronis ſui vocem exquiſitis cumulandam elogiis. Fatigabantur declamantium ingenia, Regem naturam, affectum exuiſſe, denegato Moſchis Filio, ſolam ſibi Rempub. ſcripſiſſe hæredem, quam liberis & cariſſimo Domûs ſuæ Regiæ anteponeret pignori ſolatióque. Et eà quidem ratione (ſi aſſentationis abeſſet ſuſpicio) famæ Regiæ nonnulli ſuccurrendum cenſebant, cui plurimùm noviſſimæ ſeditionis incentores detraxerant, ſparſis apud populum amplificatíſque vanis de Rege abſolutam ambiente dominationem rumoribus.

Seneca lib. 1 de clementia Cap 1. & 2.

Belli Civilis.

Sed aliter alii ſentiunt.

At profectò ſuper eo Moſchovitico negotio alia gravium virorum comparuit mens, ita cenſentium: Oblatam delati Imperii occaſionem Principi Vladiſlao feſtinatiùs arripiendam eſſe, fidémque ſervandam, quam conſcio Rege Zolkievius dediſſet. Immaturam ætatem Principis fruſtra obtendi

obtendi, ſi moderandæ tuendæque viri rerum uſu & militari clari ſcientià admoverentur, inter quos emineret Zolkievius: is interim adeſſet adoleſcenti Regio, conſilio, armis, ſecuritati dignitatíque proſpecturus, Moſchorum Primoribus non ingratus, quorum animos tractare peritiſſimè noſſet. Duriores impoſitas conditiones vana terriculamenta eſſe præſentià expetiti Principis leniendas, veniret tantummodo, ad illam oris venuſtatem, adoleſcentiæ decorem, benignum oculorum aſpectum, velut pulcherrimi Sideris radios, effera duratáque corda in amorem ſubitò colliqueſcentia, ruitura in venerationem recentis & tantis ſuſpiriis exſpectatæ Majeſtatis, eandémque mox tracturam Provincias, ſi quæ adhuc dubiæ obſequii nutarent. Multa plerumque imponi à populis novis Principibus, multa eoſdem polliceri Regni cauſà, quæ deinde benevolentia populorum, dexteritas conſulentium, & clementia regentium attemperaret: ad extremùm bonis conſiliis nihil arduum difficiléque. Néque eas conditiones

nes tantopere premere, quas annuentibus Moſchis ad Comitia brevi cum univerſis Ordinibus peragenda Rex differret, ſalvâ ſuâ fide verbóque Regio Lublini Vilnæque dato: quandoquidem nihil è re ſua commodóque faceret, negotii totius ſummâ integre Univerſorum Ordinum arbitrio conſenſuíque relictâ. Mitteret tunc Princeps Moſchorúmque Proceres Legatos ad Comitia, exſpectarétque quid Polona cenſeret Reſpub., quibus mediis fœdera iniret ſtabilirétque, ſibíque à vicini populi proſpiceret potentiâ, ac Principis recens Electi velut pia mater cariſſimi filii conſuleret ſecuritati, pertinaciæ Moſchorum audentiùs obviam itura, ſi præſertim interea Princeps Imperii ſedem vicináſque Provincias veterano inſideret milite, quem ſub prætextu tractandarum conditiónum nec adhuc finiti negotii tranquillatíque Imperii detinere augeréque poſſet, atque eo fræno impoſito duram Moſchorum cervicem quoquò libuerit circumagere. Exſpectarent quoque ibidem legiones laborum præmia

mia emeritáque ſtipendia, quæ illis promiſſa ex ærario nuper acquiſiti deberentur Imperii, aliàs in patrio ſolo per ſummam injuriam repetenda: ad extremùm videret Rex, quanto ob denegatum Vladiſlaüm Poloniam implicaret bello; grave illud & anceps cum propoſiti juríſque ſui tenace ac irritatâ gente futurum, cui non deeſſet ſpecioſus titulus ad occludendum Imperii aditum receptúmque, & quam dicto licèt ſacramento rupta violatáque à noſtris fides facilè abſolveret. Et hæc quidem fuit alterius conſilii ſumma: conſulti namque à Rege per literas miſſis celerrimè nuntiis, Primores Senatûs in tres abiêre ſententias, ac primam hanc præcipuámque, quam jam retulimus, fuiſſe non ignoro, alteram quæ integrum negotium penitus ad futura rejiceret Comitia, tertiam declarandum eſſe extemplo Vladiſlaüm Magnum Moſchoviæ Ducem, sed tanquam beneficiarium Regni, eo more, quo Palatinus Valachiæ conſtitui ſoleret. Sed ultra cæterorum vota ſuggerentibus Potociis fixum erat Regi negare *Ex illorum literis.*

Moschis filium immaturum Imperii, cujus sibi potiùs acquirendi copiam non defuturam rebatur.

Rege negante filium Legati Moschorum aversâ mente aliò inclinant.

Interim Legatorum invitantium vota non expositâ citiùs clariúsque de Vladislao mente paulatim ad perjurium inclinabant. Basilius Gallicinus palàm implorabat Regiam fidem, clàm labefactari gaudebat, qui se quoque parem Imperio ferret, spésque suas aleret turbido commodiùs promovendas. Neque enim ille unquam Regiis Vladislaï partibus fidus erat, qui simulato pro tunc obsequio universorum Procerum calculis potentiæ conspirantium cedens, suum quoque illibenter adjecerat. Et Philareti Metropolitæ Legatorum Primarii suspecta erat propensio, insertus namque per affinitates Moschorum Ducum familiæ, regnatricem in Filio sanguinem suspiciebat, fatísque permittebat. Jam verò à Regis negantis Filium constantiâ animati, quisque seorsim clàm spes suas sopitas excitat résque novas ambo moliri incipiunt, illud suæ defectioni obtendentes velum, videlicet,

Résque novas moliuntur.

delicet, Zolkievii Pactis sacramentóque vim illatam.

Ac non difficilis concitandi populi exspectatione suspensi dabatur occasio, dum culpam in Sigismundi Regis immoderatam dominandi cupidinem referrent, exaggerantes, quantopere eam Filio suo præhaberet. Quamobrem non cessabant per literas ac secreti conscios apud populum Regi odium conciliare, Patriarcham suâpte naturâ turbidum Religionis ritûs Græci monere, videret, quantum illi à Rege sacrorum suorum tenaci immineret discrimen, cujus ambitioni haud tutores Moschorum permitti, qui tranquillandi pacandíque Imperii curam jactaret, jugum verò durius sacris juxtà ac profanis & exitium meditaretur. Non absimilibus querelis Nobiles Aulici in comitatu Legatorum degentes, ad suos missis epistolis crebriùs Urbem implebant. Ac super omnia redeuntium è castris Regiis vultûs mœstiores observabantur à populo. Cùm etenim viri primarii complures quotidie confluerent ad exorientem Prin-

Regi apud populum odium conciliant, & præcipuè apud Patriarcham.

Moscuam.

Tum & redeuntes è castris Regiis primarii Moschorum.

cipis Vladislaï Electi Ducis fortunam, quam apud Regem Patrem submissi venerarentur, & celeritate promtitudinéque obsequii gratiam favorémque occupare festinarent, aliò officii illud genus alacritatísque deflectere jubebantur: nempe commutato in Patris personam quod filio dixissent sacramento. Et in eam sententiam non verborum tantùm lenociniis, sed propè minis ad eam adhibitis à Proceribus jussu Regio se trahi indignè ferebant. Et indignationis quidem causâ sumptâ à frustratione ingentis speï acriùs cum Zolkievio expostulavere, delusósque se à Rege ac Primoribus è Senatu apud eundem & passim apud suos populares querulabantur. Jámque suboluerat Zolkievio & æmulorum sua quotidie gesta perstringentium malevolentia, & in Urbe murmurantis vulgi Procerúmque indignatio, opertis quidem tum in Regem odiis, at mox in apertas inimicitias usque ad pernitiem publicam erupturis: proinde ad discessum sese ex Urbe maturandum comparat, ratus præsentiâ suâ, deductóque probè

Conqueruntur apud Zolkievium.

Qui ex Urbe abitum parat.

probè regiminis sui calculo medicinam adferri posse malis, quibus & Poloniam & Moschoviam implicandam inposterum prospiciebat: seu desperato fortasse apud pertinacem Regem remedio, prudens Dux subducere in tutum auctoritatem suam, quâ maximè apud Moschos polleret, cupiebat, imminuendam procul dubio, si inconstantis vulgi acclamationibus & verborum rusticitate, novísque quotidie probris aures suas continuò verberari sineret.

Accingentem se itineri Zolkievium convenit Dux Msciflavius centum Nobilium comitantium stipatus globo, abitúmque dissuadet, videlicet, ejus præsentiam rebus Moschorum conducere plurimùm, & præsertim (verba illius sunt) *ad rixas inter militem & populum præcavendas. Polonis innatam esse insolentiam, quæ nisi coërceatur, contemtûs exterorum impatientes Moschos, in tumultum erumpere posse.* Ad hæc blandè Zolkievius. *Vestra agitur causa quæ mihi properati itineris necessitatem imponit: abeo exoraturus Majestatem Regiam, ut votis ac desideriis omnium Magnum Ducem Vladislaüm*

Hunc dissuadet Msciflavius.

Pergit Zolkievius respondétque Msciflavio.

dislaüm

distaüm exspectantium satisfiat, tantò majori inposterum sperans me reducem excipiendum lætitiâ, quantò nunc abire parantem anxiè sollicitéque illorum detineret affectus. Interim quod ultrò alacres suo Monarchæ dixissent Sacramentum, integrâ servarent fide: militis præsidiarii nullam metuerent insolentiam, curæque id suæ relinquerent, eandem disciplinam apud legiones mansuram se absente, quam præsens illas continuisset. Tum Mscislavius: *Pergeret bono omine auctórque Regi esset præcisâ omni morâ convocandæ ad Comitia Nobilitatis, venturos ibidem Moschorum Legatos qui de utriusque Imperii negotiis tractatûs instituerent, valorem, robur, auctoritatem ab universo cum Rege consentientium Ordinum Conventu habituros accepturósque. Neque enim se ignorare nihil firmum ratúmque apud Polonos statui definirique posse absque publicâ lege Comitiorum, quibus finitis, ne differret ampliùs suum in Moscoviam adventum Vladislaüs Magnus Monarcha, id se orare unicè peteréque à Zolkievio, exhiberet ea Majestati Regiæ supplicantium vota.*

Consentit tandem Mscislavius.

Interim Zolkievius inducit Urbi præsidium, cui

Quâ in re cùm ille operam suam prolixiùs detulisset, inductis ad Urbis præsidium quater mille & quadringentis militibus, iis summo

summo cum imperio præficit Alexandrum Gosievium Præfectum Velisiensem virum spectati animi consiliíque, & quò non alius peritiùs gentis nosset ingenium, sagaciúsque secretos & mirâ calliditate obtectos animorum sensûs & investigaret & deprehenderer. Erant in Urbe mille quingenti Germani, Galli, Scoti, cæterique externæ militiæ pedites, qui à pugna Clusinensi Zolkievio adhæserant, quorum ille veritus inconstantiam, ne persolutis haud promtè stipendiis fidem frangerent, octingentos ex iis legit atque in præsidio relinquit: cæteros ex Moschovitico ærario numeratâ pecuniâ contentos reddidit, simúlque exauctoravit illorum operâ non ampliùs usurus: idque cum ingenti Moschornm plausu; namque illi parùm favebant exteris, quorum insolentiâ sub regimine Basilii Suyscii irritati, adscititiam hanc execrabantur militiam. Deinde per vicinas arces eóque & Urbi in officio continendæ, & Moschorum conatibus reprimendis opportunas, Nicolaï Strussi & Poricii Ducis copias distribuit, quas

præficit Alexandrum Gosievium.

Per vicinas arces Urbi copias distribuit.

quas Viasmæ, Mosaïsci, Vereï collocat. Et quia plerique inter milites saucii egentésque erant, depromtis ex ærario Moschovitico decem millibus aureorum, jussu Zolkievii egestati languentium subventum est. Centuriones verò tum & Tribuni occultâ largitione deliniti, persuasêre militi, ut promtè mandata Imperatoris exsequeretur. Severiam ad res novandas proniorem Joanni Sapiehæ Præfecto Usviatensi tuendam observandámque committit, cujus legiones Zborovianis paribus æquatæ auctoratæque stipendiis, in Regium nuper transierant obsequium.

Severiam Joanni Sapiehæ committit.

Atque ita distributo exercitu, Tribunos, Centuriones, Militésque paucis alloquitur: *Metropolim Deï benignitate ac virtute vestrâ insedimus, servandam Vladislao Principi, quem universæ Moschoviæ suffragium Magnum Ducem ac totius Russiæ Dominum pronuntiavit: credite milites, non tam arma vestra, non circumstantia pila, non animi invicti constantia, quàm disciplina militaris, modestia, inoffensáque cum incolis conversatio eam tutari conservaréque poterit. Hoc illa tuta erit præsidio,*

Abiturus præsidiarios milites alloquitur.

sidio, his invicta munimentis Vladislao retentura est Imperium: videtis Moschos præteritæ popularium vestrorum nimiùm memores licentiæ insolentiæque, proindéque subveritos publicas prædas, continuas rixas offensionésque, me Ducem vestrum à vobis ægre dimittere voluisse, quem scrupulum ut ex animis suspicacibus evellerem, fidem ipse meam Mscislavio cæterisque Primoribus obligavi, certus meï promissi speïque præsertim ab hoc delectu militum, quibus præesse viros sui decoris memores, & de fide suâ sollicitos non ignoro. Et si non mea fides vobis erit cordi, certè dictum pro Vladislao Sacramentum stringet vos, reputantes in vestro sinu honorem ac dignitatem optimi Principis depositam conquiescere, vestris manibus sceptrum ac diadema tanti Imperii teneri, feliciter advenienti tradendum. Nam si se superbiùs Domi suæ à vobis Moschi haberi senserint, resument non ægre hostiles animos, ruptâque concordiâ rumpent facilè & illud, quod nuper alacres jurassent, obsequium. Providendum itaque ne gloriosi exercitûs labores, ne Vladislaüs tam sublimi virtutum suarum Regiarum præmio cujusquam licentiâ frustretur, quæ, si minima comparuerit, haud impunè transmittatur, vindicetur illico, ut priùs audiant militum animadversionem Moschi,

ſchi, quam illorum querimonias militum præfecti. Ad extremùm memores eſſent ſui Imperatoris, ejuſq́ præſentiam in animis ſuis haberent, cogitaréntque, perpetuò ſibi adeſſe, à quibus ille affectu non diſcederet, ſed cum iis inſimul apud Regem compareret, illorum merita, fideliſſima obſequia, labores exantlatos, cruentiſſimi belli damna, munificentiæ liberalitatique Regiæ commendaturus. Jámque iter aggreditur deducente eum honoris causâ Mſciſlavio cæteríſque Proceribus magnâque Nobilium coronâ, deinde ingens populorum frequentia partim per vias occurrentium, partim è ſpecularibus tectíſque domorum proſpectantium, geminatis vocibus abeunti diſceſſum felicem precabantur.

Tandem iter aggreditur.

Appropinquantem Regiis caſtris excepêre ſuis cum Tribunis ac Centurionibus equitum peditúmque turmæ, progreſſo obviam Senatu Aulâque Regiâ, omniúmque nomine Leo Sapieha venientem recentium victoriarum palmâ decorum Ducem, trahentémque ſecum Baſilium Suyſcium olim Moſchoviæ totius Monarcham nunc captivum, verbis & lætitiæ & honori ipſius ap-

Præ Caſtris Regiis à ſenatu, aulâ, milite ſplendidè excipitur deducitúrque.

8 Nov.

poſitis, ſalutavit. Atque univerſa illa præcedentium comitantiúmque turba feſto cum applauſu variiſque lætitiæ ſignis jam tunc triumphare incipientem, ad ſuam deduxit ſtationem. Nec diſtulit Zolkievius altero ab adventu die Regis oſculari manum, & parta ex hoſte tropæa reportatáſque laureas ejus auſpiciis ac felicitate gratulari, tum verò expoſitis militum fortibus factis collaudatíſque, Regiæ liberalitati ſuarum adminiſtros victoriarum luculenter commendavit: deinde Baſilium Suyſcium exauctoratum potentis Imperii Ducem, ipſiúſque fratrem exhibuit ſpectandos, tradidítque captivos. Semotis poſtmodùm arbitris geſtorum ſuorum rationem reddidit, confectíque apud Moſchos negotii progreſſum cauſáſque edocuit, oravítque Regem, ne partum feliciter pro Filio Imperium ſuis è manibus elabi pateretur, meminiſſet obſtrictæ Sacramento Moſchis fideï, ac Principem Vladiſlaüm clemens benignúſque celerrimè indulgeret. Hæc eſſe nunc ſupplicum ad Majeſtatem Regiam vota,

Sequenti die Regem adit, ſalutat.

Baſilium Suyſcium captivum tradit unà cum fratre.

Deinde rerum à ſe geſtarum rationem reddit.

vota, quæ ne ob minùs promtam averſámque Regis voluntatem in contumaciam degenerent erumpántque, verendum eſſe. Exceptus Zolkievius ut non pro ſpe ſua, ita neque alieno Regis animo ſtrenuam quidem operam bellicámque fortitudinem collaudantis, ſed minùs ea probantis, quæ cum Moſchorum natione in rem Vladiſlaï Principis tranſegiſſet, nullíſque Rex poterat dimoveri rationibus prudentiſſimè actorum ſummam referentis Zolkievii, cujus in mente contraria ſententia paucorum ſuaſu altiſſimas fixerat radices.

Excipitur à Rege ſat benignè, ſed geſta ejus improbante.

Jámque ejus primi acerbi ac inſipidi apparebant fructûs: videlicet Philareti & Gallicini cæterorúmque Legatorum ac Moſchorum in caſtris Regiis penè aperta defectio. Namque præter diſſeminatos per univerſam Moſchoviam, ſparſóſque per Urbem ſiniſtros de Rege rumores, ad concitandam ſeditionem accommodatos, proditio Baſilii Gallicini conferentis per literas cum Impoſtore Demetrio cæteríſque conjuratis innotuerat, ex quæſtionibus habitis de

Legati Moſchorum apertè deficiunt.

Baſilius Galicinus cum Demetrio Impoſtore confert. Joanne Vorotinio & Tyrohovo.

de duobus captivis Kozacis in Urbem adductis. Et Suecia homini turbido fallacíque ſuam quoque concrediderat ambitionem: quippe à milite excubias agente interceptus eſt Moſchus literas Caroli Sudermaniæ Principis ad Gallicinum deferens, Imperium filio ſuo poſtulantes. Idem quoque minis etiam interpoſitis Pontus de la Gardia ſuaſerat, ut abſcederent Moſchi à ſuo, quod in Vladiſlaüm Sigiſmundi Filium contuliſſent, ſuffragio, ſecuriùs illud daturi Domini ſui filio, aut certè cuipiam è Proceribus indigenis. Atque niſi proditoria mens Gallicini Suecis innotuiſſet, parùm æquis oculis fortunam Vladiſlai Principis intuentis, nunquam ſpes ſuas & innatum erga Sigiſmundi Domum odium aperuiſſent crediddiſſéntque. Nec ſatis erat de forìs excitare turbas, accedebat vetita à Gallicino ejúſque collega Smolenſci deditio, in quam miſſis ab Urbe literis conſenſêre Moſchorum Proceres, & obſeſſorum inclinabant animi, ſolo obſtante Sehino, cujus pertinaciam clandeſtinis nuntiis Gallicinus acuebat:

& Sueci ſpes ſuas illi aperiunt, Caroli filio Imperium poſtulantes.

14 Novemb. allatæ ad caſtra Ponti literæ,

Guſtavo.

Smolenſci deditionem prohibet

bat: obibátque jam non Legati ſed exploratoris munus, cùm & conſilia invadendæ arcis propalaret, edocerétque Sehinum, quam in partem interior cautiórque vires ſuas converteret. Ac Joannes Skuminus Tyskievicius vir pro officio ſuo cautus diligénſque, conſpicatus ignotam ſibi perſonam ſæpius cum Gallicino conferentem, petit: quid hominis eſſet, illóque reſpondente unum è famulitio ſuo eſſe, interminatus Gallicino, ſi contrarium comperiſſet, ſciret præ foribus hoſpitii ſuſpendendum. Quamquam intercepti à Sehino ad Gallicinum ab eodémque viciſſim transfugæ commeantes, torturis quæſtionibúſque admoti retulêre, ambos proditoria moliri conſilia, ſolúmque Gallicinum remorari deditionem, magnam ſpem Sehino oſtentantem.

Per transfugas cum Sehino confert.

Atque is tum erat Smolenſci ſtatus, qui turbatis in Moſchovia rebus, exauctorato Baſilio Suyſcio, Electo novo Principe, adhuc fluctuaret, & Sehinus incertus conſilii, dubius hæreret quò ſe verteret & in quam inclinaret partem, & fortaſſe ad meliora aſpirantem, aliò Gallicini fraus detorſit. Procerum quidem Moſchoviæ promta patebat voluntas arcis tradendæ: præmiſerant enim cum mandatis ad Sehinum Molcanovum & Soloviecium, ut in electi Ducis Vladiſlaï nomen juramentum præſtaret Smolenſcóque cederet: idem & Legatis in commiſſis datum erat, qui iterato admoniti nuntio, ut imperarent Procerum nomine ſuóque, ne diutiùs Sehinus eas necteret difficultates: ſed ii arceſſiti à Senatoribus, nihil ſibi de arce dedenda injunctum eſſe ab Ordinibus retulêre, atque iis, quas nuper attuliſſet nuntius literis, ſe acquieſcere non poſſe, quibus ſigillum Patriarchæ deeſſet. Vocati verò ex arce ad colloquium obſeſſi, acceptis ſummâ cum obſervantiâ literis, lectíſque, ſacramentum ſe quidem dicturos Vladiſlao Principi reſpondêre, arcem verò non Regi ſed Magno Duci venienti è veſtigio tradituros. Cúmque urgeret nuntius & qui cum eo aderant Polonorum Primores, inſpicerent diligentiùs literas, queis continerentur expreſſa mandata de

Sehinus cum ſuo Smolenſco hæret in quam ſe inclinet partem.

Procères Moſchi Smolenſcum tradere jubent.

3 Januarii 1611.

Obſeſſi ſacramentum Vladiſlao dicere volunt arcémque advenienti tradere, non Regi præſenti.

de dedendâ arce Regi, dicendóque Sacramento, nec de Regia addubitarent clementia, cui tutò vitam fortunásque suas committerent: relaturos se ea Sehino daturósque propediem responsum receperunt. Postremò Isaykovius Regius Aulicus ab Urbe adveniens, literas Regi, Legatis, Sehinóque attulit, & quidem quò plus inesset fidei auctoritatísque contra hactenus usitatum morem, Mscislavii cæterorúmque Moschoviæ Procerum nominibus subscriptas, absolutóque cum imperio mandantes arcem Regi dederent, imponeréntque finem molestæ controversiæ, ponentíque obicem tranquillandæ Moschoviæ. Resumto itaque cum obsessis colloquio, postulavêre Poloni, reciperent in arcem septingentos è militibus Regiis, insimúlque Regi & Principi Vladislao solenne dicerent sacramentum. Læta ut videbatur fronte institutos cœpêre tractatûs, sed illico apparuit diuturnum illud fore colloquium, tenebatur namque artibus Gallicini implicatus Sehinus ulteriori intentus occasioni, quam sug-

Isaykovius nova Sehino ex Urbe adfert mandata.

17 Februarii.

Instituitur cum obsessis colloquium.

Sed lentiùs procedit.

suggerebat clàm proditor Legatus.

Fortè per hos dies miserant ad Regem partim in Urbe partim in vicinis degentes locis legiones Nuncios, acriùs stipendia efflagitantes, quibus summæ, ad quam devenissent egestati, subvenirent: deinde Moschoviæ novos tumultûs edocentes, Lepunovíque apertam rebellionem, qui conspirantibus ducem se haud impigre obtulisset. Suboluit Gallicino ea militum Legatio ejúsque causâ, jussítque Sehinum tamdiu moram disceptando trahere, dum aut legiones inopiâ angustiísque fessæ secessionem facerent, aut Leponovus auctus viribus copiísque, quæ jam ad illum magno confluebant numero, Metropolim aggrederetur, Regem tunc procul dubio recentibus involvendum curis, omissurúmque Smolensci oppugnationem, cujus nova necessitas aliò avocaret arma. Et Legatis cordi erat mora, quod sperarent terendo dies per hujusmodi congressus se tantum temporis insumturos, quò & quietem obsessis oppugnationibus fatigatis tantisper concederent, & elapsâ reï geren-

Ob milites per nuntios acriùs stipendia flagitantes.

Inde moram trahere jubetur Sehinus à Gallicino seditionem sperante.

dæ opportunitate Regem ſuccreſcentibus diſtinerent difficultatibus, ipſi verò interim ſpes ſuas promoverent. Compertúmque eſt quadraginta quatuor dies colloquiis congreſſibúſque cum obſeſſis & Legatis abſumtos. Atque ubi jam Lepuni rebellionem adoleviſſe ſeditionémque majores ſumſiſſe vires, famâ percrebuit, averſâ aliò mente Sehinus colloquium diſſolvit: ſe quidem, inquiens, velle ad exemplum Urbis juramentum Vladiſlao præſtare, arcem nihilominus nulli præterquam Electo Magno Duci tradere. Cùm verò aliam Urbis cæterarúmque munitionum, aliam Smolenſci conditionem eſſe dicerent Senatores, Regem hîc præſentem armatúmque inſiſtere, & quantum illi gloriæ in oppugnando accederet, tantum in deſerendo decederet: tranſigeret iis potiùs conditionibus, quas Rex benignus offerret, aliàs ſciret non diſceſſurum irrito conatu. Atque eas conditiones mox obtulêre, reciperent in arcem ducentos quinquaginta milites Regios, qui unà cum Moſchorum præſidio

à 17 Feb. ad 30 Martii.

Tandem Sehinus colloquium diſſolvit, quo prætextu.

Non attentis conditionibus quas Regii proponebant.

ſidio excubias agerent, portas clauderent aperiréntve, communem hoſtem ingruentem mutuis arcerent viribus: Archiepiſcopus & Palatinus Sehinus ſubmiſſe ambo Regem ſupplicéſque venerarentur, & certam æris ſummam ad perſolvenda militum ſtipendia conferrent, cætera benignitati clementiæq;, quam illis verbo Regio deferret, ſecurè committerent. Sed pervicax animus Sehini ita obduruerat, ut ad nullam penitus emolleſceret conditionem, ad eam tantùm reſpondit quæ de inducendis in arcem militibus proponebatur: Vereri ſe furorem militis Poloni, qui tot cladibus ſuorum irritatus levi de cauſa intra mœnia accendi poſſet atque in vindictam exſurgere, decretum ſibi eſſe extrema potiùs pati, quàm aut Smolenſcum Regi dedere, aut militi nihil niſi minas ſpiranti, Se, Urbem, fortunáſque Civium objicere. Inerat Sehino infractum animi robur, quod memoria patris ejus exacuebat, qui ſub Stephano Rege in expugnatione arcis Sokol fortiſſimè pugnans occubuerat: proindéque ſæpius inter ſuos

Ad unam tantùm reſpondet Sehinus.

Unde illi tantum audaciæ.

familiares parem jactabat audaciam, moriturum se potiùs quàm Smolensco cessurum multoties dictitans. Neque posthac obsessi ad ullum comparuêre colloquium pervicaciâ solâ fortes, mox ferro flammâque & excidio arcis castigandi.

Rex Legatos in Poloniam remittere detineréque statuit.

Offenderat Regem Legatorum subdolè secum agentium temeritas, & felix negotiorum cursus ipsorum fraudulentis interversus artibus: remittendos itaque in Poloniam statuit, ibidémque detinendos. Edocebatur quippe crebrioribus nuntiis ab ipsâ Urbe sæpius venientibus, quæ agitarent cum conjuratis consilia, & quantum pacis interesset publicæ turbulentorum duces procul ab Urbe habere, & aliò relegare. Quocirca convicti perfidiæ à nobilioribus è Smolensco transfugis, quam palàm apud Zolkievium in illorúmque præsentiâ detexêre, vocatique deinde ad stationem Lithvaniæ Cancellarii assidente Senatu exposita est illis in Poloniam abeundi necessitas, ac ut quantocius se itineri accingerent, Regem ita velle mandaréque. Et relegationis

Sapiehæ 6 April. Lithvaniæ Cancellarius voluntatem Regiam, ejusq; causas Legatis exponit.

nis

nis causas disertissimè Cancellarius explicuit: objectâ fraude dolóque, qui Legatos minùs deceret, derogasséque juri gentium quod nullatenus allegare possent, transgresso Legationis suæ limite, spretis Procerum Moschoviæ à quibus missi essent mandatis, turbis seditionibúsque apud populares suos concitatis, inculcatóq; erga Regem ac Principem Vladislaüm odio, conjuratorum promotis consiliis, Sehino à Smolensci deditione spe venturi subsidii avocato deterritóque, Leponovo ad perfidiam rebellionémq; maturandam animato accensóque. Ad extremùm turbatis totius Imperii Moschovitici rebus, quas pro Legationis munere sibi injuncto tranquillitati restituere debuissent.

Turbantur Legati, varia nectunt effugia.

Exterriti ad tam inopinatam abeundi denuntiationem Legati, tergiversari, orare, obtestari, jura gentium allegare incipiunt, variáque nectere effugia: ad extremùm petiêre, ut non tanquam captivi & perfidi, sed inviolatâ Legatorum auctoritate mitterentur: verùm severioribus coërciti verbis mutare derepente stationem suam

 juben-

jubentur, validâ circumdati militum manu, tandémque navibus impoſiti & curæ Joannis Skumini Tyskievicii Magni Ducatûs Lithvaniæ Notarii & Alberti Miaskovii Regi à Secretis commiſſi, quos Rex & honoris & præſidii cauſâ illis addiderat (occultabatur namque adhuc honeſtâ cuſtodiâ captivorum nomen, conceſſáque erat Legatorum perſona, quam ſalvam ad Vladiſlaüm Principem deferrent) ſecundo Boriſthene in Ruſſiam appulêre, deductíque Kamionkam Zolkievii Præfecturam, ad adventum Regium in Poloniam ſubſtitere.

23 April.

Tandem navibus imponuntur deducuntúrque in Poloniam.

Diſplicebat nonnullis & maximè Zolkievio Legatorum in Poloniam abitus, quos ſalvo jure gentium haud relegari poſſe cenſebat, & inter duos graves ejuſdémque inſtituti Religioſi Theologos excitatam fuiſſe legi controverſiam, jurénе id an injuriâ factum? comperióque unum ex illis difficilem ſe præbuiſſe (non abſque ſumma invidia odióque) viris Principibus ad expiandum à noxis animum, prætendentem conſilia violatæ legationis, quorum auctores

Oritur mox quæſtio, jurène an injuriâ Legati detenti fuerint?

res ſextitiſſent, ideóque non abſque ſcrupulo veniam à ſe impertiri poſſe: Verùm deductis eïs, quas retulimus ad amuſſim, rationibus expenſíſque, & quæſtio ſopita, & Zolkievius conquieviſſe videbatur.

Deductis rationibus ſopitur.

Dum hæc apud Smolenſcum geruntur, imminebat fatalis turbo, qui iterum lubricam Moſchoviæ commoveret fidem, & reſoluta felici calore Favonii in amorem Principis populorum corda, ſenſim gelido afflatu in glaciem ſtringeret. Et ex iis quidem initiis ita poſtmodùm obriguêre, ut nec ad benignitatis oblatæ editæque ſpecimina, nec ad armorum jus Electi perſequentium ardorem, ullatenus eliqueſcerent. Exigua illa tumultuum fuêre initia, & in herba opprimenda, niſi aliter fatis viſum fuiſſet, quæ Regiæ Domui oſtendêre eam felicitatem, ſed oſtendêre tantùm neque ultra frui permiſêre: fortaſſè ut cum Poëta dicam, nimiùm vobis Sigiſmundi propago & Polonæ gentis gloria viſa potens Superi, propria hæc ſi dona fuiſſent. Ac Regis prout retulimus cunctatio, recuſantis contra populi vota

Rerum Moſchoviticarum ſtatus iterum convertitur.

Virgil. 6. Æneid.

Cui Regis cunctatio & ambitio occaſionem facit.

Cui Regis cunctatio & ambitio occasionem facit.

ta Vladislaüm sine mora Moschovitico admovere Imperio, deinde privata, prout ipsi interpretabantur, ejusdem ambitio, sceptrum sibi sub persona filii deferri cupientis, animos Moschorum nutare fecerat: eâque occasione arreptâ complures seditiosi, moribus ingeniōque lubrici, Urbem sinistris de Rege complebant permiscebántque rumoribus, & per totum Imperium juratam Pactorum fidem à Zolkievio unius Regis ambitione labefactatam, criminabantur, pleraque vera juxtà ac falsa ad concitandam multitudinem fingentes spargentésque. Et à discessu statim ex Urbe Zolkievii, cujus ut pote cauti prudentísque Ducis reverebantur præsentiam, erupit infidus Regiis partibus Hermogenes totius Moschoviæ Patriarcha, classicúmque populis cecinit primus. Is supremâ Sacri Ordinis auctoritate abutebatur ad seducendum vulgum imperitiorem, & pietatis prætextu odium erga Regem ac Principem celans, identidem ingeminabat augurabatúrque: imperante Vladislao Religionem ritûs Græci

Primus Hermogenes Patriarcha populos concitat Religionis prætextu.

ci

ci non fore diuturnam, cui à Romana postmodum inducendâ certum impendéret exitium. Atque ad locupletiores majorum Civitatum incolas mercatorésque crebriores dabat literas, dehortabatúrque à dicendo Principi Sacramento: caverent sibi, inquiens, ab imminenti veterum Sacrorum peste exitióque. Occultis hæc primùm quidem acta conjurationibus, conspirante mutuis consiliis arcanísque literis cum Patriarcha Basilio Gallicino, spésque suas, quas ad Majestatis usque fastigium projecerat, spectato homini miréque sibi faventi concredente. Sed posteaquam vixisse Demetrium cæsúmque à Petro Vrosovo nuntiatum est, conjurati ferociores facti, cùm duorum timerent potentiam, unius metu soluti, palàm Regias oppugnant partes, simulatámque hactenus observantiam in aperta odia inimicitiásque convertunt. Hinc urbana plebs insolentiùs agere cum præsidiariis Polonorum legionibus, rixari, in seditiosas voces erumpere, omnémque penitus Electi Principis exuere reverentiam, ad extremùm

Cum quo conspirat Gallicinus.

Regis & Impostoris.

Moſchorum Proceribus ſuæ fidei conſtantibus obſequium denegare.

Et jam apparebat quantam infauſta novi anni primordia rerum viciſſitudinem portenderent, cùm Procopius Leponovus apud Pereaſlaviam Rezaniæ promovendæ conjurationis ducem ſe obtulit, ad quem ſecurè ſeditioſi confluerent: nec impigre copias contrahit armátque, cum iis Metropolim petiturus, quam exturbato Regio præſidio ſuæ factioni liberam integrámq; aſſereret. Convolabant pleríque ad arma incentore Patriarchâ, qui Religionis ſono turbidum quemque excitabat, & Leponovus inſtitiam armorum obtendens, propalánſque, ruptam à Rege Zolkievióque fidem, proinde nullo jam populos ſacramenti obnoxios vinculo, abſque omni ſcrupulo in fœdus coire poſſe. Adjungitur conjuratorum partibus Zarucius fidelis Impoſtoris aſſecla Coſacorum Dunenſium dux ſubdolâ à Lepuno pollicitatione illectus: videlicet ſpondente, ſe cæſi Demetrii filium, cui adhuc tenaciùs adhærebat, pulſis Polonis ad Imperium

1611. Procopius Leponovus conſpirationis dux.

Alter Zarucius

rium Moſchoviticum promoturum. Jam verò in diverſis vaſti ſeptemtrionis Provinciis Proſovecius & Demetrius Trubecius colligebant militem, quo Lepuni augerent copias, attentis adhæc in Urbe vulgi auribus animíſque, ducem rebellionis avidiùs exſpectantibus, qui hucuſque ad meditatam deeſſet perfidiam: at ubi illum comparuiſſe armatúmque ſenſêre, tantò alacriùs in necem Polonarum conſpirant legionum.

Proſovecius & Trubecius Lepuni augent copias.

Erumpentis rebellionis compertæque proditionis à Michaële Soltico cæteríſque Nobilibus Moſchis, ſpectatæ erga Regem fidei admonitus Alexander Goſievius, vir militiæ ſtrenuus prudénſque, & quem præſidiariis in Urbe copiis ſummo cum imperio Zolkievius præfecerat, extemplo Proceres ac Nobiles ad concionem advocat. *Ecquid id eſſet? cur tam ſubitâ ſe polluerent perfidiâ? notas ſibi eorum proditiones, patére conjuratorum conſilia, & in ea, quam ſponte liberis ſuffragiis dediſſent Electo Principi fidem, nutantes animos. Atrox eos profectò meditari facinus multorum civium ſanguine eluendum. Revoca-*

Goſievius rebellione compertâ Moſchos alloquitur.

vocarent ſibi in memoriam fidem Magno Duci obligatam, evellerent, ſi quas perditi & ſeditioſi homines ſiniſtras de illo inſeruiſſent ſuſpiciones, nec paterentur à paucis iiſque ſceleratis ac mendacibus credulitatem ſuam circumagi. Irent obviàm proditorum conatibus, comprimerent factioſorum audaciam, nihilque à Rege ac Principe exercitúque metuerent, præſidio non exitio ſibi futuro. Quodſi pergerent pervicaces, decretum ſibi ſuiſque legionibus eſſe Regis ac Electi Magni Ducis Vladiſlaï cauſam ad extremum tueri ſpiritum, immorique ut viros fortes militaréſque decet; at non inultos, quorum mors populorum conſtaret cæde cruoriſque diluvio, & urbis igne ferróque caſtigandæ vaſtitate. Deinde ad Patriarcham verſus: *Tu verò,* inquit, *Hermogenes peſſime tanti fabricator doli, totiúſque rebellionis incentor, ni deſiſtas, exſpecta quæ manent ſeditionis nefariæ auctorem pœnæ, nec tutum te eſſe credas ſummi honoris reverentiâ, quam pietatis exemplo potiùs obtinuiſſes, non ſceleratâ perfidiâ minùs Sacri Ordinis decente Antiſtitem contaminaſſes.* Et negantem ſe quidpiam proditorium moliri, ſubitò certis evidentibúſque prolatis indiciis convincit, apponítque cuſtodes, qui cenſoriâ facultate geſtûs, acta, mores ipſius obſer-

Et Patriarcham objurgat eique cuſtodes apponit.

obſervarent, perpetuóque lateri hominis adhærerent.

Nihilominus mitiores Moſchi admonitione Goſievii effecti, cùm ad præſens fidem obſequiúmque ſimularent pollicerentúrque, interno verò animi ſenſu contumaciam & proditionem callidè tegerent, non diu quievêre: jámque aggregatam ad Leponum multitudinem copiarúmque numerum edocti, ferociores præſidiario militi inſultant, cujus delendi ſéque eo unico metu liberandi conſpiratione factâ occaſionem quærunt. Ad urbanum populum qui pro magnitudine Metropolis ingens, (centum octuaginta millia ædium recenſita tunc fuiſſe, ſunt qui tradidere,) plurimi ex oppidis pagíſque indies confluebant refugii quidem ſpecie prætextúque, ſed proditionis conſcii ſubſidiarias vires armáque adferentes, quin & miles à Lepuno clàm ſparſímq; immiſſus inducebatur celabatúrque, immixtúſque plebi ad deſtinatam tenebatur rebellionem. Atque reſpectu tanti populi qui centenis millibus computari poterat, præſi-

Non deſiſtunt Moſchi turbas ciere.

Piaſecius.

clàm miles in urbem inducitur.

6 ad minimùm millium. præſidium Regium exiguus videbatur manipulus, ſed veteranus miles exercitatúſque imbellem non computabat turbam, quæ ſuâ cæde cladéque manûs tantùm pugnantium laſſare poſſet, & quas inſederat arces Krimgrodi Kitaigrodíque, contra omnes invadentium aſſultûs egregiè muniverat, & Alborum mœniorum ſepimentum ampliori circulo illas duas Urbes ſuis quamque muris incluſam cingens, ædibúſque plerumque ligneis frequentiſſimum, valido firmarant præſidio. Jámque impatiens populus inſtructâque conjuratione audacior, non deſinebat militis irritare patientiam, jurgia, rixas ſerere, plateïs catenas ferreas obtendere, palámque legiones laceſſere provocaréque, denique non continere impetum quin ſummâ vi orto ingenti tumultu eaſdem invaderet oppugnarétque. Aderant mixtæ turmæ Lepunianæ clàm in Urbem immiſſæ receptæque, addebántque conjuratis robur nihil niſi cædem ultimúmque exitium Polonis minitantibus. Sed accurrentes ad Goſievium Tribuni Kazanovius Zbo-

Præſidiarii in omnem eventum ſe muniunt.

Populus tumultuari & militem irritare incipit.

29 Martii.

Zboroviúſque, & animatis quas ducebant copiis, hoſtilem mox repreſſêre audaciam, editâ ſex millium (ut à nonnullis obſervatum reperio) ſtrage. Cum verò nec modus adultæ conjurationi opprimendæ ſuppeteret, & plebs irritata magis magíſque in odium ac ultionem efferveſceret, quin tantæ Urbis magnitudini tuendæ propugnandæque numerus impoſiti præſidii non ſufficeret, quem extenuare inconſultum eſſet: viſum eſt Goſievio Krimgrodi & Kitaigrodi arces ſuis ſingulas munitas propugnaculis inſidêre, quæ tutiorem legionibus receptum præberent. Interim multitudinem populorum conjurantium, quorum capita adinſtar Hydræ pullularent, Herculeo labore domandam ſuſcepit, Urbémque ædium, incolarum frequentiâ celeberrimam, Albis muris circumdatam, (unde illi nomen) flammâ quinque in locis ſparſâ ſuppoſitâque ſuccendi juſſit. Et appoſitam facilémque materiam ignis nactus, in ædes, veluti lignorum ſtrues, debacchatus, corripit ſubitò depaſcitúrque ingenti populi clade, miſeran-

Reprimitur cum clade Piaſecius.

Tandem Urbs incenditur.

30 Martii quæ inciderat in diem Cœne Domini.

Miserandum spectaculum Urbis incensa.

ſerandóque ſpectaculo: dum alii flammis ambuſti ædiúmque ſuarum involuti ruinâ miſeri intereunt, alii ad reſtinguendum accurrentes incendium, à milite aut ferro confodiuntur, aut ſclopis appetiti transfiguntur, tormentis undique interea reboantibus ſtragémque agglomeratæ, ſi uſpiam compareret, inferentibus multitudini, paſſimque graſſantibus præſidiariis, cædibúſque ſævientibus abſq; diſcrimine ſexûs ætatíſque. Legi in actis diurnis illorum temporum centum circiter millia Moſchorum interiiſſe, ſi viris fæminas puerósque adnumeres: quanquam nonnulli in pauciorem contrahant numerum, mihi profectò non liquet, exiſtimo tamen tam populoſæ urbis incolas, & feſtinato incendio & milite præventos, paucos evaſiſſe incolumes, clauſis adhæc ubiq; effugiis, & penè biduo continuato incendio furoréq; militis plurimos conſumi neceſſum fuit. Atque in hoc tumultu periit è primoribus conjuratis Andreas Gallicinus frater Baſilii apud Regem Legati, & Patriarcha Moſchoviæ detractis officii

& à flamma & à milite furente.

Ad 60 millia.

Perit Andreas Gallicinus & Patriarcha in carcerem compingitur.

officii dignitatíſque ſuæ inſigniis in carcerem detruſus eſt, locum ſuæ proditioni debitum poſtmodùm verò fatalem. E Polonis pauci deſiderati, plurium interitum prædæ inhiantium prohibuit Goſievius Zboroviúſque, retractis ſubitò animatíſque: proſequerentur alacriùs victoriam, eâ partâ prædam quoque illis ceſſuram. Abſumtâ itaque præcipuâ ac populoſiore Metropolis parte incendio, avulſíſque à tam vaſto corpore validiſſimis lacertis, vacua habitatore, & à tergo tuta, Goſievius Alba mœnia, illorúmque propugnacula, diſpoſitis ſtationibus, parti copiarum defendenda aſſignat, quæ hoſtem deforis imminentem primo in aditu fatigarent, & ſi acrior graviórque ingrueret, facilem ad cæteras munitiones receptum haberent. Reſtabat trans fluvium Moſcuam, ſuburbium amplum, hoſtíque, ſi illud occupaſſet, commodum, Sclopetariorum colonia vulgò dictum, id quoque incenſum exuſtúmque, opportunum quippe inde & recipiendi auxilii, & ex urbe erumpendi facilitatem commodi-

Præſidiarii Alba mœnia occupant & inſidunt.

tatémque prævidebat Gosievius.

Et hactenus quidem prudentissimè ab illo prospectum, unicum tamen summéque periculosum diligentiam illius solertiámque effugit, admissa videlicet intra propugnacula omni extero hoste infestior sæviórque fames. Namque reï cibariæ inferendæ ante exustam urbem nulla illi cura, maximámque annonæ copiam ignis absumsit quæ posthac difficulter haberi poterat. Sive adventantium è propinquo auxiliarium copiarum securior Gosievius, sive celeriùs componendæ rebellionis ab armato Rege spe, diuturniori bello haud se implicandum existimaret, ideóque comportandæ annonæ non adeò intentus esset. In primis quidem motuum exordiis concitatæque plebis rabie advolarat Mosaisco suis cum copiis Nicolaüs Strussus Præfectus Chmielnicensis, distinuítque non infelici armorum progressu Metropolim tendentem Lepunum Zaruciúmque. Et Gosievius Kosakovium Kurakinúmque Moschum cum aliquot equitum centuriis miserat, qui ad Volodimiriam

Fami parùm providet Gosievius.

Hostes tamen distinet.

riam Prosovecium Dunensium Kosakorum turmas trahentem profligaverant: ad extremùm Urzescium cum cataphractis equitum, Rucium verò cum levis armaturæ militum signis, hostibus Colomnensi itinere Moscuam versùs tendentibus opposuerat. Sed Lepunus affluente indies armatorum conjuratorúmque numero, tum & Zarucio Prosovecióque cum suis copiis accedentibus seséque jungentibus auctior, (præsertim cum legiones Sapiehæ insolentiùs agerent, neque tum ullas ferre vellent suppetias) & validitate virium securus, passímque deficientium & populorum & urbium circumspectans studia alacritatémque, Metropolim contendit, statímque ab adventu suo Alba mœnia à Polonis insessa summo cum impetu oppugnat, quorum medietate potitus, præsidiariis alteram partem usque ad Mzekiciam portam fortissimè strenuéque defendentibus, postremò tanto robore fretus Krimgrodum Kitaigrodúmque cum parte illâ muri Polonos retinentes obsidione cinxit, unico ad fluvium Moscuam loco ma-

Lepunus Polonos oppugnat & obsidet.

manente libero, cujus beneficio ſubſidia commeatúmque obſeſſi aliquoties recepêre indéque erumpentes hoſti novas ſubinde attulêre clades.

Januarii 1611. ad Junium.

Quinque menſium acta laboréſque ad Metropolim hactenus retuliſſe ſufficiat, relictâque interim Urbe ulteriorique obſidione & obſeſſorum progreſſu, commodiùs poſtmodùm nec interruptâ ſerie referendo, redeuntem ad Regia caſtra calamum lectorem non gravatè ſecuturum exiſtimo, qui tantiſper expugnatione pervicacis Smolenſci triumpho Regis totiúſque Poloniæ feſtivo plauſu exhilaratus, iterum ad calamitoſum tragœdiæ Moſchoviticæ finem, triſte luctoſúmque ſpectaculum deducendus erit.

Rebellio Moſchorum Regem anxium tenet.

Tenebat anxium Regem feſtinata Moſchovitici populi rebellio, eóque graviùs quòd adulta in magnum armatorum numerum excreviſſet: atque jam non tantùm Metropoli timendum erat, ne excuſſo præſidiarii militis jugo oppreſſiſque legionibus, refractaria liberiùs inſoleſceret, ſed & caſtra Regia in maximo verſabantur diſcrimine, cùm omnia penè conſilia proditoribus paterent, Et per exploratores cognitum erat, Moſchorum nobilium & Coſacorum Dunenſium aliquot collecta millia decreviſſe ſimulatâ, quam Regi ultrò ad caſtra venientes deferrent, fide, ac interim illorum obſequii ſecuro, (conſcio hujus proditionis Gallicino) aut in arcem Sehino auxiliares captatâ occaſione irrumpere velle, aut certè ex inſidiis Regium adoriri exercitum. Idem quoque nuntiabatur ab iis qui Bialam cum imperio tuebantur: validam videlicet Moſchorum manum quæ decem millibus conſtaret, ad Regia contendere caſtra, incuſſerátque metum is nuntius ducibus ac Tribunis imminuto præſertim extenuatóque tunc exercitu, partim in diverſa Moſchoviæ ſparſis ablegatíſque turmis, partim nonnullis unà cum ſuis ductoribus in Poloniam remiſſis. Acriùs deinde commovit Regem, Senatum, militéſque in ipſis caſtris exorta proditio, cujus princeps erat è Proceribus Moſchis Joannes Michaëlis Solticus indubitatæ apud Regem fideï,

tan-

Deinde in castris proditio Joannis Soltici.

tantóque majoris æstimationis. Infesta tunc itinera cædibus ac latrociniis habebantur ab agresti conjuratâque Moschorum plebe, saltúsque ac silvas obsidebant, crederes silvestres Gheusios ab Hollandia illuc commigrasse, prima olim Albani Ducis in Belgio terriculamenta. Coërcendi impune grassantis latrocinii curam suscipit Joannes Solticus Regíque suam operam prolixè defert: à quo obtentâ facultate Moschorum Nobilium cæterorúmque qui in Regio aderant fidi exercitu turmas armat, educítque. Jámque longiùs à castris provectus omníque metu liber, Regem procaci compellat epistolâ, obsequium denegat ejurátque. Atque homini contumaci impune cessit læsæ Majestatis injuria: nam Nicolaüs Potocius cum copiis missus ad retrahendum ex itinere coërcendúmque rebellem, nullibi assequi valuit, fortasse jam passim conspirantium associatum multitudini.

Strada decad. 1. lib. 7.

Et rei nummariæ penuria, ob quam miles ad Regem nuntios mittit.

Super hæc omnia exedebat Regis mentem, quod summâ rei nummariæ premeretur inopiâ, miles verò indies importunius

niùs instaret æráque flagitaret: & is quidem qui Metropolim servabat ablegatis ad Regem Jacobo Bobovio veteri Centurione & Andreâ Rusiecio viro militari, non absque minis debita popoſcit stipendia, exposita ad majorem sui commiserationem summâ egestate, in quam eos conjecisset ferè per biennium emeritæ pecuniæ procrastinatio, deinde equorum omnísque castrensis supellectilis jacturam, quæ non nisi præsenti ære reparanda esset. Ad extremùm ingruere hostem armis numeróque validum, cujus potentiæ impares essent, ni ociùs missâ peditum legione Rex laborantibus succurreret. Quodsi nihil obtineret & à Rege munifico liberalitatis, & suorum amante subditorum auxilii, relicturos se vacuam præsidio Urbem minabantur, præfigebántque quartum Aprilis diem, ultra quem vacui æris subsidiíque diutiùs subsistere nequirent. Talibus quoque nuntiis fatigabatur Rex, à cæteris legionibus quæ Mosaïsci viciníſque Urbi locis consederant, passim frementibus diuturnæ militiæ mercedem,

cedem, & ſimul miſſionem flagitantibus.

Remedium horum malorum non aliud præſentiùs quàm ſi Filium Moſchis daret, omnes cenſent.

Tot tantíſque curis involuto Regi, exſtinguendæ rebellionis ſerpentíſq; per univerſam Moſchoviam contagioſæ proditionis præſentiſſimum dabatur remedium, ſi Filium Vladiſlaüm non denegaret Moſchis id unicè petentibus, cùm ea ſola cunctabundi Regis tergiverſatio turbis prætextum daret: quod ſibi quoque in literis acerbiore ſtylo exaratis à Soltico rebelli objici exprobraríque non ignorabat, & Goſievius Kazanoviúſque in primis motuum initiis per epiſtolas edocebant, fruſtra aliunde ſedandi populi quæri rationes, quæ ab adventu Principis feliciſſimè promanarent, alioquin ea irrita omnia caſura, tantis hucuſque impenſis, tantóque acta conatu. Inſuper miles Legatis, quorum proximè mentio facta eſt, injunxerat: orarent ſupplices obſecraréntque Majeſtatem Regiam, ſiſteret Sereniſſimum Principem darétque Moſchoviæ, præſentiâ ipſius & ſeditiones, & ſeditioſorum auſûs certò certiùs componendos. Hæc autem quamvis intentiùs ex-

exquiſitiúſque cumularentur, nihil propterea Rex mutavit, qui adeò dati ſemel acceptíque conſilii in omni vita tenax fuit, ut ad Stoicæ cujuſdam conſtantiæ (niſi fortaſſe illa pertinacia veriùs appellanda eſſet) ſe conformaret exemplum, immotúſque maneret: nec opportunitati occaſionum, nec tempori, nec rationibus cederet. Cujus quidem pertinaciæ ſatis luculentas dedit ſæpius pœnas, Paterno amiſſo Regno, & expulſo è manibus Moſchovitico ſceptro, cæteríſque cladibus, quas ille nihilominus conſtanti ſpectavit vultu, quaſi infra ſuam conſtitiſſe Majeſtatem videretur, ſi nonnunquam tumentibus concitati populi fluctibus vela ſubmitteret, à ſuóque vel palmam recederet propoſito. Non acceptatâ itaque efficaciſſimâ tranquillandi Imperii ratione, aliam cum Senatu inquiſivit. Suggeſſerat non nemo, quoniam Moſchovia ſtudia ſua affectúmque in contumaciam ac rebellionem vertiſſet, iret ipſemet ad Urbem, oſtenderétque ſe armatus tumultuantibus Moſchis, compoſiturum haud du-

Rex illud poſtponit.

Aliud proponitur ut ipſemet armatus ad Urbem iret.

dubio præſentiâ ſuâ populorum motûs, & proditoria diſturbaturum conſilia. Quodſi pertinaces animi detrectarent benigni Regis imperium, quæreret armis jus ſibi ſuo ductu & auſpiciis, non verò Filio Principi aſſerendum. Nec diſplicuit conſilium, aſ-

Primò non diſplicet.

ſenſúque Regio comprobari videbatur, & de adornando itinere Metropolim verſùs paſſim agitabatur, quâ viâ eundum eſſet? quæ ſeditioſorum duci Lepuno copiæ opponendæ, multáque dicta cogitatáque in tam curioſâ proficiſcendi ſollicitudine, in qua nihil profectionis ineſſet præter ſpe-

Deinde & hoc poſtponitur.

ciem. Nam Rex cunctator neglectâ hâc etiam ſententiâ, quamvis ipſius primùm ariſiſſet palato, nolebat obſidionem Smolenſci deſerere, omitteréque arcem, reputationis famæque ſuæ non leve momentum: ſtatuítque interim dilatâ præſentiâ, ducibus ac Tribunis committere, qui & vim hoſtilem arcerent, & conjuratorum armatos conatûs armis quoque diſturbarent, ulterioribus malis, quæ ingruerent, ipſemet proſpecturus.

Et

Legatio ad Legiones expeditur.

Et ſubitò ad legiones partim in Urbe præſidiarias, partim Moſaïſci cum Nicolao Struſſo Præfecto Chmielnicenſi celebri Tribuno degentes, & Proceres univerſóſque Moſchorum Ordines allégat viros, & Natalibus & rebus bellicis illuſtres: Adamum Zolkievium Præfectum caſtrorum, Vitovium Trbunum Parcovienſem, Przyemſcium, Pacium, Grzymultovium, præmiſſo Komorovio qui de illorum adventu nuntiaret. Militibus ſpem non tardam liberalitatis munificentiæque ſuæ facere jubet, interim annuere ſe, ut è diripiendæ Urbis prædâ, rerum ſuarum tenuitati conſulerent, certíque eſſent inſuper propediem adventantis auxilii. Moſchos verò commonefacere mandat juratæ fidei dictíque ſacramenti, ac ut in turbarum auctores incentoréſque ſeriò animadverterent, caſtigaréntque perduelles, unitâque cum exercitu Polono virtute irent obviam conſpirantium ſignis. In ſubſidium verò deſignantur Sapiehanæ Legiones, ſed quia frequentiùs contumaces, poſt multas difficulta-

In ſubſidium deſignantur Legiones Sapiehæ.

tes

tes varióſque cum iis inſtitutos tractatûs, Regiæ liberalitatis certæ ſecuræque, demum paribus, quæ cæteri mererent, ſtipendiis auctoratæ ad obſequium traductæ: tandem per Stognievum unum è commilitonibus notæ virtutis probatæque fortitudinis Virum ſuam detulêre promtitudinem, jamque ſe Metropolim verſùs, in hoſtémque tendere Urâ flumine tranſmiſſo nuntiavêre. Miſſas propere ad eas è caſtris Joannes Sapieha vetus illarum Dux iíſque carus, qui & cum imperio illis præeſſet, & gratiæ munificentiæque Regiæ certiores faceret. Atque eæ omnes copiæ cum Struſſianis junctæ, octo millia lectiſſimorum habuêre militum. Jam verò, penès quem ſumma reï eſſet, & univerſam regeret moderaretúrque cum ſupremi Ducis auctoritate militiam, arceſſitur per expeditos nuntios Carolus Chodkievicius in Magno Ducatu Lithvaniæ Generalis armorum Præfectus, Livonicis nuper victoriis clariſſimus, & ob ſingularem prudentiam dexteritatémque par negotiis tractandis expediendíſque.

Carolus Chodkievicius ad univerſam militiam regendam arceſſitur.

Pro-

Propoſuerat quidem in ſecreto Senatûs conſilio Potocius Palatinus Braclavienſis Staniſlaüm Zolkievium Palatinum Kiovienſem armorúmque ducem, ad comprimendos Moſchoviticæ rebellionis tumultûs perquam idoneum, eúmque unicum tanti negotii rerúmque gerendarum capacem palàm profeſſus erat, deducentibus hinc nonnullis, quaſi æmulum victoriarum famâ celebrem, domitíque & pro Vladiſlao aſſerti Imperii gloriâ ubique clarum, iis difficultatibus turbíſq; conſultò objiceret, ex quibus haud gravatè emergeret, nupérque cum omnium applauſu reportatæ laureæ offuſcaret laudem. Sed ut ſubtilia hæc aulicorum commenta fuiſſe non negaverim; ita ego crediderim potiùs non averſo animo proſpicientem Potocium, perpendentémque, quantum mali turbarúmque jam immineret Moſchoviæ, quibus nec ipſe militaribus curis feſſus damnáq; valetudinis ſentire incipiens, quæ illi intra paucos dies mortem acceleravêre, par eſſet, ſolius Zolkievii fortitudini dexteritatíque tantum apud ſe tribuiſſe, ut quem-

Zolkievius à Potocio propoſitus ad pacandas turbas.

ad-

admodum pacati tranquillatique Imperii felicibus armis cautóque consilio auctor esset, summámque apud Moschos auctoritatem reverentiámque haberet eandem, si præsertim valido robore armorum septam iterum referret, ad saniora consilia mentémque non gravatè reducendos existimaret. Idem iisque rationibus egerat cum Zolkievio semotis arbitris Andreas Bobola Archi-Camerarius Regni, & quia hominis unicè in aula dominantis id erat consilium, plerique à Rege profectum existimabant, nisi tempus aliter docuisset: præsertim cùm Rex non ægre Zolkievium abeuntem in Poloniam dimitteret, fortasse negligere se simulavit ipsius operam, quem sciebat difficulter retineri posse. Et Zolkievius quidem non negabat Regiæ Majestati imperandi esse potestatem, sibi verò imperata exsequendi debitum relinqui officium: considerabat nihilominus adventum suum in Moschoviam nihil turbatis seditiosorum animis profuturum, si ad eos vacuus Principe veniret, quem se adducturum (id videlicet

Bobola idem cum Zolkievio agit.

Zolkievius denegat suam operam, cur?

licet sibi maximè incultantibus Moschis) sanctè pollicitus fuisset, in eâque abalienatione & querimoniis de non præstitâ servatâque fide, atque adeò in eo periclitantium rerum statu, ad certam accessurum ruinam supremi Ducis contemtum. Quid enim perduellibus opponeret nullas denegati Principis admissuris rationes, armáne iterum, quibus hactenus & Electi Ducis partes Regiique nominis existimationem tutatus fuisset? nec illa se promtè expedire posse inter legionun seditiones ac minas, nullis procedentibus stipendiis: satìs exercitûs egestatem diu à se sustentatam, partim licentiâ severiùs coërcitâ, partim pollicitationibus promissísque mitigatâ, jam adventanti Duci absque aliquâ Regiæ liberalitatis notâ nullam fore auctoritatam, quàm hinc exprobrantes labefactatem fidem, insultantésque populorum voces, hinc milites æra flagitantes acriùs impeterent convelleréntque. Neque hoc æquo animo ferre posse, nullam à se præstitæ operæ, tanquam ingratæ Regi, rationem haberi, fi-

fidiſſima conſilia poſtponi, è quorum neglectu certa Moſchoviæ, quod ſæpius prædixiſſet, rebellio proveniſſet. Quapropter fruſtra ſe ad compeſcendos tumultuantium motûs vocari, unde nullum fructum commodúmque Regi allaturum ſperaret, & ſuo evidentiſſimum regimini arceſſeret dehoneſtamentum.

Hâc Zolkievius excuſatione uſus eſt, adjectis inſuper valetudinis ſuæ incommodis: ſed ſpreti à Rege ſervitii fideliſque operæ ultra modum memor, adduci non potuit, ut, unde ſummâ cum gloriâ abierat, jam inglorius populíſque ſuam fidem deſiderantibus inviſus rediret. Nec in caſtris Regiis æquiore morabatur animo, circumſpiciebátque omnes in Poloniam abeundi modos, perſpectâ Regis haud propenſâ erga ſe voluntate, vidénſque quæ ad Præfecturam ſuam pertinerent, raro ſecum communicari, ſed rebus unius aut alterius arbitrio definitis, in ſpeciem ſe vocari vir ſerius & ad priſcæ ſeveritatis imitationem compoſitus, nullíſque aulæ blanditiis aſſentationibúſque

Zolkievius abeundi è caſtris occaſionem ſumit à Bathoreo Poloniæ imminente.

que obnoxius, indignabatur. Et deſiderii ſui compotem fecit trepidus ab Hungaria nuntius, adferens Gabriëlem Bathoreüm res novas molientem arma Poloniæ minitari, urbémque principem ſummo in diſcrimine verſari. Educatus ille olim fuit in Polonia apud Sigiſmundum Cardinalem Patruum, Regis verò Stephani ex fratre nepotem, quo cæſo ſublatóque, ad Bathoreüm Eſethi Dominum Arriano dogmate infamem, ſe contulerat, à quo non aliâ adoptatus conditione fuit, niſi priùs ejuratâ fide Catholicâ in qua natus nutritúſque eſſet, impiam nec Chriſtianam profiteretur adoptantis religionem. Ac intra exiguum tempus illo exſtincto, in ampliſſimam hæreditatem diuturno quæſitam ævo ſucceſſit. Tum adoleſcens luxu laſciviâque diffluens, temerariis opportunus conſiliis, ſeditioſis quibúſque Hungaris ad ſe confluentibus, quorum tunc ob patrios motûs recentémque à Rudolpho Cæſare defectionem plena erat Pannonia, ingentem comparat potentiam. Mox Tranſalpinam Daciam ſeu Molda-

quis ille Bathoreüs.

 viam

viam invadit, ejúſque Palatinum Radulam pellit fugátque, & felici rerum ſucceſſu elatus jam aggredi primùm Daciam, deinde & Poloniam cogitabat, quam per abſentiam Regis omni externæ injuriæ irruptioníque patêre animadverteret, non ſine ſpe ſibi injectâ à rerum novarum cupidis ſibíque olim notis. Movit ſuſpicionem, Bathoreï audaciam ab indulgentia Turcica excitatam fuiſſe: namque Otthomanus Moſchoviæ Imperium ad Sigiſmundum aut ipſius filium transferri nolebat, ſubverebatúrque novam acceſſionem vicino Regi potentiæ: proinde ſeriò Patriarchæ Conſtantinopolitano injunxit, ut pro ea religione, quæ illi cum Moſchis communis eſſet, diſſuaderet diſturbarétque illorum populorum propendentium in Regem aut Principem Vladiſlaüm vota, ídque tunc ex literis Otſinovii in illa degentis aula cognitum eſt.

Turca acceſſionem Moſchoviæ Sigiſmundo aut ejus filio ſuſpectam habet.

Ergo intellecto diſcrimine periculóque imminenti Poloniæ, Zolkievius palàm ſuam operam in Senatu Regi detulit, ut, quoniam hic minor ſui ratio ad Smolenſcum ha-

haberetur, iturum ſe perlibenter diceret ad reprimendos Bathoreï conatûs, cùm id potiſſimùm ſuæ Præfecturæ incumberet, incurſiones hoſtium à finibus Regni arcere propulſaréque. Annuit Rex ipſius voto, cúmque abiturus Regiam oſcularetur manum, ſubmiſſéque ſua deferret obſequia, ſi illis ad Smolenſcum uti Majeſtas Regia è re commodóque ſuo judicaret, convaſatis licèt rebus, jámque in ipſo procinctu itineris, non moraturum, ſe tamen obtemperare mandato Regio, cujus id arbitrio relinqueret. Reſpondit Rex: Iret iam bono omine, quandoquidem abitum ſuum tantopere in votis habuiſſet, itineríque ac cinctus eſſet, & pericula Regno impendentia à Bathoreo ipſius expoſcerent præſentiam. Non adeò bene animati Regis erga Zolkievium reſponſum audivêre Proceres, obſtupueréque: dolebant plerique dimitti Virum præſtantem in tanto turbarum curarúmque æſtu, cùm maximè experti Ducis multóque rerum uſu exercitati Senatoris indigeret Rex conſilio, quod fruſtra exſpectaret à Pa-

Rex Zolkievium è caſtris in Poloniam mittit.

Et quidem inconſultè.

Palatino Braclavienſi, graviſſimè cum ſupremo luctante morbo. Neque etiam conſideraret abitu Imperatoris minui exercitum, quem ſuæ ſequerentur copiæ, ſatìs jam exhauſtum, abductis à Joanne Skumino, Tyskievicio, Kalinovio, Snopkovio compluribus equitum peditúmq; turmis, quibus nunc maximè egeret. Et ita quidem error errori accumulabatur peſſimo Regis fato, optimâ perduellium fortunâ: ita plerumque ademto ſaniore conſilio ulciſcentibus Superis Principum aut immoderatam ambitionem, aut pertinaciam. Interim Zolkievius è caſtris, Palatinus verò Braclavienſis quartum poſt diem è vita exceſſit: de quo Viro illuſtri claróque, quod in aliis fecimus, deincépſque facturi ſumus, juvat hîc pauca noſſe.

25 Aprilis.

Joannes Potocius Palatinus Braclavienſis moritur.

Vetus in Cracovienſi terra dominium Potok Potociorum familiæ cognomen dedit, nobilitas antiqua gentis, ſed poſteaquam in Ruſſiam ſuas deduxit colonias, illuſtrior ſplendidiórque haberi cœpit: quippe Ruſſia Turcarum Scytharúmque Regnis contermina, ideóque barbarorum furori obnoxia, juventuti Polonæ campum exercendæ virtutis bellicæ exhibet, cujus ut ingens præmium eſt gloria, partíque decoris æterna tropæa; ita eorum plerique illecti dulcedine, è patriis ſedibus in nobiliſſimam terrarum partem commigrant, animoſè fortitérque ibidem victuri: invitante etiam fertili felicíque glebâ, ut quod olim de Aſia Magnus Orator dixit, hoc jure merito elogium Ruſſiæ tribui poſſit: ſive ubertatem agrorum, varietatem fructuum, magnitudinem paſcuorum, & multitudinem rerum, quæ ex eâ exportantur, ſpectes. In hac igitur florentiſſimâ Provinciâ clariſſimis ortus natalibus Joannes Potocius, patrem habuit Nicolaüm Præfectum Camenecenſem & Chmielnicenſem, virum Sigiſmundi Auguſti temporibus militari laude inſignem: atq; ita in bellica domo natus educatúſq;, quantum à ſuis majoribus Martialis animi traheret, multa dedit ſpecimina. Et primùm quidem ſub Stephano Rege quem in Moſchovia bellantem ſecutus erat, non tantùm fortiſſimi militis munia explevit,

29 April. 1611.

Ejus Elogium.

Cicero pro lege Manilia.

vit, Martiámque ſuam probavit indolem, ſed & Ordinum ductor rebus præclariſſimè geſtis tantò Regi carior fuit, quantò ſæpius in oculis Principis virtutum militarium maximi æſtimatoris, fortis, animoſus, hoſtiúmque cruore purpuratus comparuit. Ac deinde Joannes Zamoyſcius vir togâ ſagóq; eminentiſſimus ejuſdem invictum animi robur admiratus, militiæque peritiam, omnium ſuarum expeditionum non commilitonem tantùm, ſed & conſiliorum participem habuit: quippe cùm in iis ineundis expediendíſque ſive in caſtris, ſive inter arma, præſtantior nullus Potocio eſſet, dignum Zamoyſcius judicaverat, cui univerſi exercitûs cura rectè tutóque committi poſſet. Et quanquam in bellis plurimis Viri egregia virtus inclaruiſſet magnorum ducum obſequens imperio, poſtmodùm ſuo quoq; ductu quid quantúmve valeret, oſtendit, cùm

Vala-chiam & Molda-viam.

cæſo à Zamoyſcio Michaële, qui utrámque Daciam ſexaginta millibus hominum armatis ſuis ereptam Palatinis invaſerat, reſtitutíſque veteribus Dominis Potocio eas Provincias

Hieremiâ & Simeone Mohilis.

vincias tuendas commiſerat, relictis quatuor millium equitum turmis quibus cum imperio præeſſet. Atque iis cum copiis poſt abitum Zamoyſcii Michaëlem reparatis viribus collectíſque exercitûs ſui reliquiis tumentem, Daciæque imminentem, & fortiſſimè repreſſit & ad ſatietatem cecidit, ut Michaël paucis comitatus ſervis vix ipſe ſuæ ſuperfuerit cladi. Certè uni Potocio veterem reſtitutum firmatúmque dominatum debuit Mohilarum familia, namque & ab abitu Hieremiæ iterum Daciam ſub ſignis ingreſſus, factionem adverſam Turcicis Tartaricíſque auxiliis prætumidam, fudit compeſcuítque, & Conſtantinum ipſius filium juvenem, paterni Imperii frendentibus etiam Turcis compotem fecit. Sed is mox à Tomſa Regni æmulo conſpirante Otthomanorum potentiâ appetitus, vitæ & Imperii terminum habuit: fruſtra ferente opem Stephano Potocio cum lectiſſima juventutis Polonæ manu, qui fraternis elatus victoriis parem ſperabat fortunam, quæ Joanni viro ut forti, ita cauto

to prudentíque propitia fuit, hunc deinde temerario pugnantem impetu deſeruit, quam temeritatem hoſtis contemtus acceleravit, cujus pœnas, profligatus à Tomſa & captivus Conſtantinopolim ductus, luit. Et hæc quidem Stephani Potocii cum Mohila affinitas, cujus filiam Mariam uxorem duxerat, ad augendas Potociorum opes potentiámque erat peropportuna: penè tamen Rempub. in diſcrimen adduxerat, connivente plurimùm Potociis Sigiſmundo Rege, cujus illi favorem notâ expertâque in bellis Civilibus fide promeruerant: adeò ut ſoli præ omnibus acerrimi dignitatis Regiæ violatæ vindices timerentur. Ac potiſſimùm Joannes in omnium oculis erat, qui cum fratribus Jacobo & Stephano lectiſſimas veteranorum equitum adduxerat turmas, robur exercitûs Regii primum potiſſimúmque. Et in prælio Guzovienſi pugnaturus Rex cum civium ſuorum rebellium copiis, collocaverat ad dextrum cornu Chodkievicium, ad ſiniſtrum Zolkievium, ſuis cum legionibus ſupremos

tunc

tunc armorum duces, illius verò curæ imperióque mediam aciem experto multíſque bellis exercitato milite prævalidam commiſerat, tantâ tunc cum laude reï bene geſtæ, *ut ſi verum fateri* licet (verba ſunt illuſtris motuum Civilium ſcriptoris) *ſuis copiis ſuâque virtute totam pugnæ molem ſuſtineret.* Eam poſtremam victoriam Rex Majeſtatis ſuæ ſtabilimentum Potocianæ virtuti acceptam retulit, exindéque eum munificus Princeps compluribus Præfecturis, deinde verò à deceſſu Januſſii Ducis Zbaraſcii Palatinum Braclavienſem dixit, qui honor tanquam ſublime domûs Potocianæ ornamentum, beneficio Regum diu apud illos manſit, ſex uſque ad hæc tempora ex eadem familia eundem gerentibus. Ad extremùm tandem Martiæ aſſuetus palæſtræ, Regi in Moſchoviam expeditionem paranti libens adfuit adhæſitque: ducentorum octuaginta equitum haſtatorum, & trecentorum peditum ductor, deinde verò in abſentia Zolkievii Moſchoviam felicibus peragrantis armis univerſi ad Smolenſcum exercitûs ſummo

Ille Lithvaniæ, hic Poloniæ.

Lubienius lib. 3. Motuum Civil.

Eee cum

cum imperio Præfectus. Quo in munere non tam ætate, quàm laboribus curísque bellicis fractus, ætatis suæ sexto & quinquagesimo in castris decessit.

A morte Palatini Braclaviensis suadentibus nonnullis Procerum, expeditus erat tabellarius Rege consentiente qui Zolkievium ex itinere revocaret, quem ille Orsæ assecutus, minimè reditum persuasit: excusante Zolkievio, se non expresso Regis arcessi mandato, sed id suæ tantummodò committi voluntati arbitrióque. Neque sibi Rex diutiùs laborandum existimabat quem Palatino substitueret, propensior in Jacobum Potocium Castellanum Camenecensem defuncti fratrem, virum præclaræ fideï & spectatæ virtutis, eúmque exercitui cum imperio præesse voluit: invito Christophoro Dorastayscio Supremo Lithvanæ Aulæ Præfecto, obtestantéque in absentia ducum in exercitu, Rege præsente soli Marschalco id muneris jurísque competere, & nullâ quidem se motum ambitione contestari, prospicere velle interim ne suæ dignitati

Joanni Potocio fratrem ejus Jacobum Rex substituit.

Frustra obnitente Dorastayscio Lithvaniæ Marschalco.

gnitati

gnitati officiíque auctoritati deinceps præjudicium aliquod inde creari posset. Diremit Rex litem Potocio æquior: nullam legem exstare penitus inquiens, cujus id beneficio Marschalcus arrogaret, sibi liberum esse cui vellet armorum tradere imperium. Atque ita æmulantium conticuêre dissidia, & interventu Leonis Sapiehæ Lithvaniæ Cancellarii, inter Potocium & Dorastayscium exortæ simultates contentionésque conquievêre.

At non Regis conquiescebat animus diuturnæ pertæsus obsidionis, continuísq; succrescentis indies conspirationis rumoribus everberatus: denique anxius, ne miles ob non persoluta tanto, quo ad Smolenscum considerat tempore, stipendia, fessus impatiénsque, in seditionem erumperet. Neque ulla promendi numerandíque æris occurrebat facilitas, quæ non nisi ab universo Poloniæ Ordinum unanimi penderet consensu: ejúsque reï causâ indixerat Rex Comitia proximo celebranda Autumno. Et quandoquidem præsentem iis interesse

Rex multis pressus angustiis

in Novembre.

 opor-

oporteret, tantò magis ſolicitus tenebatur, ſi relictâ integrâ obſeſſorum pervicaciâ abiret, potiundæ in poſterum arcis incertus, & militis ferocientis haud ſecurus ægre ducibus ſuis parituri, quem vix Majeſtatis ſuæ reverentia contineret: aſſumturóſque procul dubio conjuratos majores ſpiritûs, quos accenderent turbarum incentores ſiniſtre malitioſéque ſpargentes, Regem ſub Comitiorum ſpecie deſperanti ſimilem è Moſchoviâ exceſſiſſe. Ergo Rex fortunam tentare ſtatuit Smolenſci aggreſſionem ad Idûs Junias indicit, partitis diſtributíſque ad eum modum oppugnatorum copiis viribúſque: Orientalem arcis partem quam ſtatio Coſacorum cingebat, Jacobus Potocius Caſtellanus Camenecenſis ſupremus tunc armorum dux invadendam ſuſcipit. Auſtralem, quà Boriſthenes fluvius præterlabitur, Chriſtophorus Doraſtayſcius Magni Ducatûs Lithvaniæ Mareſchalcus, & Bartholomæus Novoduorſcius Eques Melitenſis Prætorianæ militiæ Præfectus. Ab Occidente, qua ex parte ſuggeſtus eminebat

Smolenſcum aggredi ſtatuit.
13 Junii.
Copias diſtribuit.

bat tormentarius, mœniáque arcis diruta fuêre, quorum ruinam vallum præaltum largiore foſſâ præcinctum, ab obſeſſis erectum, obtendebat, Stephanus Potocius Præfectus Felinenſis ſuis cum turmis conſtitit. Inter Meridiem & Occidentem peditatus Germanicus Joannis Weiheri Præfecti Pucenſis collocatus, cui in abſentia Tribuni, ejus legionis vicarius Neinkirchius præerat.

Et nec dum albeſcente die (quanquam illìc accedentibus Solſtitii diebus lucidæ plerumque noctes, ut finem, quod etiam de Britannia Tacitus ait, & initium lucis exiguo internoſcas diſcrimine) primus cum ſuis procurrit Caſtellanus Camenecenſis, militique in ferendis ſcalis mixtus incorrupto ducis honore, quam ipſe tulerat ſcalam pari ardore ope aliorum ſubnixus admovet & in murum evolat. Præeuntis ducis exemplum ſecuti cæteri alacres, certatímq; mœnia ſcandunt ſubeúntque. Moſchi inopinatâ aggreſſione perculſi, ad arma conclamant, æris campani ſono præſidiarios

Lib. de vita Agricolæ.
Potocius Caſtellanus Camenecenſis primus murum ſcandit.

 oppi-

oppidanósque periculi admonent. Jam & peditatus Veiheri ab altera parte scalarum beneficio in murum evaserat: ita clamore ab utrinque exorto accurrentibus hinc atque inde defensoribus, pugna in mœnibus duodecim desuper cubitorum latitudine patentibus committitur, qualis esse solet inter aggredientes audacésque atque inter inopinantes ac perculsos. Ac ne tanta vis ad propulsandos invasores è mœnibus incumberet, occupatus undique tenebatur hostis, hinc à sclopetariis continenti explosione grandium tuborum fatigabatur, inde miles certatim muros scandens, demum tormenta muralia, quorum alia in turres, alia in muri partem, alia ex suggestibus tormentariis in ipsam dirigebantur arcem, avertebant.

Deinde Veiheri peditatus.

Pugnatur.

Neque tamen occupato à Polonis muro captæ arcis integra spes affulgebat, cum intra ob præcipitem locum desilire tutum non esset, exitum verò descensúmque occurrentes Moschi conglobatis agminibus observarent defenderéntque, totum urbis excidium à Christophori Dorastayscii Marschalci,

à Dorastayscio & Novoduorscio subsidium exspectatur.

schalci, & Bartholomæi Novoduorscii Equitis Melitensis virtute ingenióque exspectabatur. Et ita quidem dum à pugnantibus desuper, & ad ipsos, quà patet ex arce in mœnia gradus, hostis undique distinetur, Novoduorscius opportunè subter observatum sibi perspectúmque non longè à porta Cryloviensi sub ipsis mœnibus canalem, seu colluviarium ferreis clatris muni, tumqui in vicinum Boristhenem ex arce ejectamenta sordésque deferebat, piloclastrum æneum applicat, contemtóque periculo suâ manu accendit: id verò tantâ violentiâ confestim ignem sparsim impulit, ut ad triginta cubitos in longum, latum verò duodecim, murum dejecerit. Patente stratóque jam per ruinas aditu Dorastayscius & Novoduorscius primi irrumpunt, sequente Prætoriano milite cæterísque legionibus, clangore tubarum, tympanorum sonitu penetratæ arcis dato signo. Tunc primùm magis à defensoribus trepidari cœptum est, stupentibus ad tam vastam mœniorum ruinam, eóque potissimùm loco, quem nullis fossionibus

Novoduorscius Piloclastro admoto muri magnam partem disjicit.

Prætorianus miles & cæteræ Legiones irrumpunt

ſionibus obnoxium, nullíſque cuniculis appetitum eſſe ſenſerant. Jámque, ubi rectâ ad aggerem tormentarium veteri ruinæ murorum vallo prætenſæ oppoſitum contendunt, hoſtes ibidem agglomerati deſertâ ſtatione, aggere, tormentis, diffugiunt: mox patefactâ viâ defenſore vacuâ, Stephanus Potocius ſuâ cum legione ſuperatâ prælargâ difficilíque foſſâ, vallum conſpicuæ altitudinis ſummâ cum moleſtiâ tranſcendit, & Doraſtayſcius iterum ad portam Ducalem accurrit, ibíque aggeſtam humum objicibus trabibúſque præſeptam disjici mandat, reſerátque, quâ patente, eques pedéſque irruit, fit undique atrox cædes, ſtragem inferente tantâ furiâ milite, quantâ plerumque in excidiis urbium evenire ſolet. Quippe & diuturnæ obſidionis mala, & contumaciam defenſorum, & exercitam ferociùs in commilitones rabiem, ultum ibant.

Bateria.

Stephanus Potocius vallum tranſcendit.

Tũ reliqui milites per portam ducalem à Doraſtayſcio apertam, irruunt, ſtragem inferunt.

Et multitudinem utriuſque ſexûs ac omnis ætatis, & præſidiariorum pleroſque defenſione deſperatâ, ad templum latere ſtructum cinctúmque fuga rapiebat: cùm inter

Incolæ & milites ad templum confugiunt.

inter promiſcuam cædem curſitantiúmque militum furorem, turris ſive ab hoſte, ſive è piloclaſtro disjiciente mœnia, injectâ flammâ ignem concipit, tantóque citiùs corripuit, quantò ab aſſervato ibidem pulvere bellico ſuccenſo, majorem vim habuit impetúmque, dejectis ſeptem propugnaculorum faſtigiis, depaſtíſque intus trabibus, & quidquid ligneum fuit. Sed magè atrocior pernicioſiórque ſubitò emicuit flamma in ædibus paulùm ſupra Ducalem portam ſitis, cujus cauſam tunc ignotam habuêre, quòd crederent ardentibus propugnaculis evolaſſe ignem delatúmq; facilem corripuiſſe materiam: verùm certò poſtmodùm compertum eſt, Moſchos auctores incendii exſtitiſſe, nempe ut perditis rebus idem victos victoréſq; prædámq; omnem involveret. Laboravit in exſtinguendo tectorum incendio permultùm Chriſtophorus Doraſtayſcius, propoſitóque præmio ad ſedandas flammas obvios ſtimulabat, qui perpenderet quantùm intereſſet prædas non corrumpi, ſed fruſtra, cùm cæteri milites manipulatim per vi-

Ingens excitatur incendium cujus Moſchi auctores.

vicos viáſque diſtributi, ad ſpolia quaquaverſùm diſcurrerent, & ignis à validiore aura ſumtis viribus, non in proxima tantùm graſſaretur ædificia, ſed velut commilitonem agens rapiditate incredibili omnia pervagaretur. Jámque illud templum lateritium Archi-Epiſcopi ſede nobile, confugientíſque utriuſque ſexûs populi multitudine refertum, convectóque auro, argento, ſupellectili, mercibúſque pretioſis, ac abditis in fornicibus Civium mercatorúmfortunis opulentiſſimum, protinus occupat, crepitantíque ac ubique ſequaci flammâ circumdat: inde in ſubterraneos in vicinia ſpecûs ſulfureïque pulveris receptacula penetrans, mille quingentas tonnas ſingulas duorum modiorum capaces corripuit, tantóque cum fragore erupit, ut tellus dehiſcere, ruere cœlum videretur, acſi mixta terræmotui tonitrua, fulgura, exitium jam orbi minitarentur: corruentibus paſſim ædibus tam ſacris ac profanis, nutantibúſque mœniorum propugnaculis, motíſque. Secuta hinc ingens populi clades; quippe templo disjecto, alios vis ignium illico exſtinxit, alios fumus ac peſtifer halitus exanimavit, alii in ſublime elati terræ iterum alliſi, alii inter lapides trabéſque comminuti diſcerptíque, ad extremùm omnis illa ſupellex prædives, Mercatorúmque ac Civium opes concrematæ, nuſquam comparuêre. Certè miſerabilis illa fuit clades, quam Moſchi extremè contumaces ultimâque accenſi deſperatione arceſſivêre, advocato velut in ſubſidium mortis igne, cui vitam fortunáſque ſuas ultrò devoverent. Viſi namque ſunt argentum, aurúmque, veſtes, & quæ pretioſiora haberent, in flammas conjicere, eodémque ſemetipſos præcipitare.

Ignis templum corripit,

pòſt ad ſubterraneos ſpecûs ubi pulvis bellicus aſſervabatur, pervadit.

Miſerabile pereuntium hominum ſpectaculum.

Atque ita intra quatuor circiter horas, arx florentiſſima hoſtiúmque contemtrix cædibus ruiníſque corruptam ſe vidit. Trahebatur inter captivos Sergius Archi-Epiſcopus Smolenſci ab ara avulſus, ad quam veluti ſacris operaturus ſplendido in ornatu conſtiterat, mox ſpoliatus acceptóq; vulnere cruentus. Adjunctus ejuſdem infortunii comes Petrus Joannis Horcacovus, Palatinus

Capitur Arhi-Epiſcopus Smolenſci.

tinus minoris ille tamen auctoritatis, & qui Imperanti Sehino ſubeſſet. Solus deſiderabatur Boriſſius Sehinus præcipuæ notæ Palatinus, Smolenſci Hector, ipſiúſque fatorum mora: proditus tandem ab imbelli mulierum fugientium turbâ, aſſerente vivere Sehinum incolumen, uniúſque propugnaculi ſepimento paucis cum comitibus incluſum latêre, unde fortaſſe adhuc ſperaret effugium. Et mox accedente ad propugnaculum milite reſtitit, veritúſq; ejuſdem ſævitiam, quam Tyrannide in captivos exercitâ, irritaverat, quempiam è Tribunis aut ducibus arceſſi poſtulat, quod ni fieret, mori ſe pugnantem malle, quàm furentium diſcerpi laniaríque manibus: accurrit Caſtellanus Camenecenſis, cujus ille è veſtigio ſe permiſit tradidítque poteſtati cum uxore filióque.

Tandem & Sehinus Palatinus.

Hic tandem exitus oppugnationis fuit fauſto Divi Antonii die, cujus ſacros Cineres Patavium veneratur, qui piè invocatus, arcem à centum annis deperditam ſuo apud Deum patrocinio legitimo Domino reſtituit,

Smolenſcum expugnatur die ſacro Divo Antonio Patavino.

tuit, & quidem cum exigua oppugnantium jacturâ, è quibus vix quindecim in conflictu cecidêre, totidémque penè quos prædam avidiùs ſectantes hoſtis confecit. Uno tamen viro forti ſtrenuóq; deſiderato Centurione Staniſlao Goreccio. Ex præſidiariis aliquot interiêre centena, è plebe plurimi conflagravêre, viſebantúrque corpora ambuſta paſſim jacentia, iis præcipuè locis quibus ignis maximè debacchatus eſt. At militum præda quam Rex in commune conferri juſſerat ex æquo diviſurus, ne inter prædatores rixæ occaſio foret, cujus jam aliqua initia comparebant, non magna viſa eſt, quia eam cum igne maximè in ſubterraneis fornicibus prædabundo partiri coacti eſſent, meliorem opulentiorémq; conſumente: exiguâ militi deſuper portione relictâ. Reperta in arce tormenta muralia quinquaginta, minora partim fracta, partim è mœnibus propugnaculíſq; dejecta ducenta, bellici pulveris non magna copia quia ab igne conſumta, globorum ferreorum, plumbi vis ingens, res cibaria in annum adhuc ſuffectura.

Cum exiguâ Polonorum jacturâ inter quos deſideratus Goreccius Centurio Equitum.

Præda non adeò magna quia ab igne abſumta.

Præsidiariorum numerus ad bis mille & septingentos ipsius Sehini calculo deductus. Cæterùm toto obsidionis tempore tam ex defensoribus quàm plebe, cæde, morbis horrendè grassantibus, transfugiis, ultra septuaginta hominum millia periêre.

Hostium cæsorum mortuorúmque numerus.

Postero die Castellanus Camenecensis suo exercitúsque totius nomine Regi victoriam gratulatus est, militum fortia facta extollendo, qui tantis laboribus, diuturnæque obsidionis tædio invicti eam peperissent, proinde liberalitatem munificentiámque Regiam meritos supplices exspectare. Et Christophorus Dorastayscius Marschalcus, Prætorianarum legionum virtutem deprædicavit: insuper promtam Aulici comitatûs operam, præcipuè verò eorum, qui nullis auctorati stipendiis inter honorarios bellatores comparuissent, quorum merita tantò magis conspicua essent, quantò singulari alacritate opes suas & vitam Principi impendissent. Ac super omnes laudabatur Novoduorscii virtus, qui non aliud à Rege exspectaret poscerétque præmium, quàm unicum Ordinis sui cui ille adscriptus esset, & singulare patrocinium.

Potocius Regi Victoriam suo militúmque nomine gratulatur.

Idem facit Dorastayscius aulicorum nomine.

Novoduorscius Eques Melitensis laudatur.

Melitensis.

Respondit Rex disertissimis Kriscii Pro-Cancellarii verbis: collaudando egregia facinora ducum militúmque, quorum ipse spectator fuisset, oblatâque Regiâ gratiâ, jucundam sibi fore memoriam omnium in conferendis dignitatibus Magistratibúsque ac ampliore censu, idque sibi certò pollicerentur à sua liberalitate & munificentia. Cujus mox ibidem fructum tulit Potocius, ab accessione earum, quas olim frater gesserat, dignitatum. Namque Regio ore Palatinus Braclaviensis, & Præfectus Camenecensis renuntiatus est. Et persolutis supremo Victoriæ Datori exercituúmque Domino submisse gratiis, militi in arce captâ epulum præbuit, faustis interim vocibus personantibus gratulantibúsque, viginti mensium laborem felici tandem terminatum exitu.

Rex militibus gratiam suam & munificentiam offert.

Potocium Palatinum Braclaviensem renuntiat.

Militi epulum præbet.

Præterire hîc non possum rem, quæ sub id tempus accidit, memorandam, à Zolkievio suis in Commentariis relictam observatámque.

que. Inter rudera à pulvere tormentario in ſublime ejecti effractíque templi, gregarii milites perſæpe rimabantur inquirebántque latentem prædam: cum ſubitò gemitum exaudiunt, ſtatímque rudera, lapides terrámque amovent. & ecce attoniti repeeriunt marem & fæminam ſpirantes viventéſque. Fæmina quidem hauſto puriori aëre confeſtim exanimis concidit: alter ad caſtra perductus, cùm vinum aduſtum & balneum popoſciſſet, hauſto vino non ſupervixit. Sedecim dies ruderibus coopertos cibi potúſque expertes vitam protrahere potuiſſe, omnibus certè admirationi fuit, dignúmque viſum quod accuratiùs obſervarent traderéntque poſteritati.

Mirum de duobus abſque cibo per ſedecim dies ſuperſtitibus.

Diuturnioris obſidionis pertinacíſque moræ cauſas brevi jam ediſſeram verborum compendio, ut perinde belligerantium errata lectori conſtent, atque triumphantium laureæ. Obſederat Smolenſcum Rex citò potiundæ arcis ſpe plenus, eam fecerant nonnulli qui in turbido Imperii Moſchovitici ſtatu, Præfectum ipſius nullius auxilii ſub-

Cauſæ diuturnioris obſidionis enarrantur.

ſidiíque certum ac ſecurum, ad Regis præſentiam denuntiationémque deditu-rum opinabantur. Jam verò ubi numeroſo milite juſtóque penè exercitu inſeſſam, oppidanorúmq; pari numero refertam inaudivêre, opinioni ſuæ & eò fortiùs inſiſtebant quòd annonam comportatam octuaginta aut ampliùs millibus alendis inſufficientem, brevíque conſumendam credebant. Sed ubi & literæ Regis deditionem ſuadentes imperantéſque ad arcem miſſæ, vix auditæ fuêre, evocatíque ad colloquium obſeſſi diſertè reſpondêre: ſe dicto Sacramento Suyſcio, duobus Dominis parêre nolle, nec poſſe ſalvâ fide, quam vitâ ſuâ potiorem haberent, tunc primùm apparuit rem cum pertinaci hoſte futuram. Et fortaſſe Rex loci capiendi fiduciâ (quæ bellantibus plerumque perniitioſa) fretus, imparatior ad oppugnandum acceſſerat: quippe pauca tormenta obſidionalia adduxerat, quæ antequam è Livonia cæteríſque arcibus comportarentur, plures effluxêre Menſes. Nec machinatores bellici aderant ejúſque ſcientiæ periti, unum

Incerta ſpes nimiáque fiducia.

Res ad oppugnationem inſtituendam haud proviſæ.

unum si demas Theophilum Szembergium, prout illa ferebant tempora, aliquantum peritiorem, neque in tempore arcessitum, quem Zolkievius in locum Vaxmani hominis rem tormentariam minùs intelligentis, substituerat. Ac super hæc in longum obsidionem extendit æmulatio ducum, malum quod in bellis ac Republica vitabitur semper, nunquam tamen excludetur, extrema militiæ Regnorúmque pernities cum ultimo Regnorum, Regúmque, ac Rerumpublicarum excidio desitura. Detulerat Rex in universo exercitu Imperium Zolkievio Palatino Kioviensi, cum quo nihil nisi in speciem communicaret, Potociorum verò audiret æquior sequeretúrque que consilia: illorum pleraque arbitrio definiret, quin exclusis cæteris visus est cum illis solis de modo ducendi belli, oppugnandæ arcis, totiusque expeditionis summâ disserere. Hinc indignatio Zolkievii veteris expertíque ducis qui nullius auctoritatem super suam esse vellet, & quidem rebus præclarè gestis, victoriis reportatis, exer-

Æmulatio ducum.

23 Augusti.

exercitu optimè administrato, emeritam Regísque Stephani bellicosissimi Principis & Joannis Zamoïscii præclarissimi ducis judicio auctam. Inde illi minor obsidionis cura, quam aliena interturbarent consilia, remissiúsque in oppugnando agebat, nec sine aliquorum querelis, præcipuè hominum adversæ factionis, qui ejus oscitantiam carpebant, odium falsò conciliantes, quasi in præsentia Regis negligentiâ peccaret, qui per ejus absentiam mallet suæ quàm illius gloriæ famæque invigilare. Atque ut hæc perperam dicta factáque sunt; ita certò compertum habeo, à sola æmulatione remissiorem minúsque diligentem officii sui fuisse. Legi in actis diurnis exquisitè conscriptis, Cancellarium Lithvaniæ suo Senatúsque nomine præsente Karlinio Veterano milite egisse cum Zolkievio: illius videlicet negligentiæ imputari Smolensci irritam hactenus oppugnationem, militis per cauponas irritamenta scelerum, luxum, desidiámque, dissolutam castrorum disciplinam, ageret proinde quod Imperatorem de-

Zolkievio minor obsidionis cura.

Sapieha. 25 April.

deceret, amoveret à ſe culpam omnem, famæque ſuæ & exiſtimationi aliter conſuleret. Sed Zolkievius paucos intra dies leviter
7 Junii. ſe apud Sapieham excuſans, fortefortuna campum ſuæ virtuti abſque æmulis exercendæ nactus, è caſtris libens exceſſit, triumphaturus ex devicta domitâque Moſchoviâ ducibúſque captis, prout jam memoravimus: cùm etiam per ejus abſentiam nihil ſingulare, ſummo cum imperio relictus Joannis Potocius Palatinus Braclavienſis, præſtitiſſet.

Crebra minùs opportunè cum hoſte colloquia.

Jam verò & crebris cum hoſte colloquiis fruſtra effluebat tempus, quod fatigando oppugnandóque extremâ vi impendi expediebat. Inſtituta quidem oppugnatio aliquoties fuit, nihilominus ſemper non abſque aliquo oppugnantium defectu ac errore, hoſte fortiſſimè ſeſe defendente ad omnéſque intento conatûs: cùm pro vallo mœnibúſq; acriùs certaret, & cuniculis ac foſſionibus eodem ſub terram loco tranſverſo tramite occurreret. Ad extremùm miles æris vacuus, haud promtè ducum imperata exaudie-

audiebat: quippe Rex unico ab Ordinibus & quidem tardiùs conceſſo tributo, bello ſe huic accinxerat, non expenſo deductóque probè calculo, ac proinde non procedentibus ſtipendiis, ſeditio indies timebatur. Atque eæ fuêre potiſſimùm rationes in viginti Menſium ſpatium prorogatæ obſidionis, cujus ampliorem narrationem iis relinquo, qui aliquando Sigiſmundi geſta poſteritati tradituri ſunt.

Et miles ob ſtipendia non perſoluta contumacior.

à 1 Octobris 1609 ad 13 Junii 1611.

Pietatem ipſius præterire non poſſum, cujus toto obſidionis tempore magnis Principibus imitandum reliquit exemplum: ac inter caſtrenſes curas non ab armatis legionibus numeroſóque exercitu præfidenter exſpectabat victorias, ſed ab ipſo exercituum Domino, à cujus favente dexterâ & militum penderet robur, bellorúmque eventus. Hunc itaque voto precéque placare non deſtitit, indictis ſupplicationibus pro felici obſidionis ſucceſſu: Cœnobium Itlebi & Boriſſi ſacris deſtinatum mâne & à meridie viſitare ſolitus, totóque tempore quo ad Smolenſcum hæſit, nihil de ſuâ re-

Pietas nihilominus Sigiſmundi Regis magna.

1 Novemb.

 mitte-

mittebat pietate, quam ubique ſuâ augebat præſentiâ & exemplo: feſtis præcipuè diebus cùm publico & incruento adeſſet ſacrificio, & ſacrum audiret Oratorem. Et recurrente luce quæ Corporis Domini memoriam referebat, intererat ſupplicationi, quæ in caſtris exquiſito apparatu militaríque pompâ peracta eſt. Cœlites quoque in ſubſidium peculiari advocabat cultu, ac
4 ſeptem. 1609. Principem militiæ cœleſtis Michaëlem Orſæ veneratus eſt, qua in Urbe ſub ipſius adventum Patres Societatis templo ipſius honori dicato fundamenta jecerant. Ac inter medios armorum ſtrepitûs, quo eſſet erga Divorum cultum animo, abundè declaravit, ſcriptâ ad Pontificem Maximum epiſtolâ, quâ petiit: Sanctum Ignatium primum Societatis ſub Nomine Jeſu congregatæ Parentem, publicæ Catholicorum venerationi exponi, tanquam ſuæ in Moſchoviam expeditionis tutelarem. Libet nonnulla epiſtolæ proferre verba: *Rem conſtanti Chriſtiani Principis pietate dignam eſſe judicabit, ut negotium Canonizationis B. Ignatii Societatis Jeſu ſæpe*

Paulum Quintum.

Data è caſtris 27 Novem. 1609.

ſæpe & diligenter aliàs per me S. V. commendatum, nunc vel maximè prece & obſecratione in memoriam S. V. revocarem, dum vota ejus in hac expeditione mea præſentiſſima expoſco. Quâ enim aliâ ratione magis patrocinium hujus Beati lucrifacerem in cœlis, niſi promovendo cauſam ſancti honoris ejus, eâ quâ par eſt contentione & pietate, in terris. Hos verò meos apud S. V. pro eo conatûs, magis ac magis movet auctior indies in eundem Beatum per univerſum Chriſtianum Orbem cunctorum eximia pietas & devotio: cujus uberes difficillimis & iniquiſſimis Regnorum meorum temporibus expertus ſum & ipſe non raró fructûs. Hanc benigni Regis pietatem obtinuiſſe exiſtimo cœlitus tardam licèt Smolenſci victoriam, ſed exercitui incruentam, & penè miraculo ſimilem, in tanta hoſtis callidi verſutíque vigilantiâ, tunc rebus ſuis fatali ſopore indormientis.

Sed tam faſtidioſi tædii recens victoria oblivíſci fecerat, & Rex poſt datos paucos lætitiæ dies gratulationibus militaríque plauſui ad indicta properabat Comitia. Ordinatis itaque Smolenſci rebus, cætera curæ imperióque Jacobi Potocii Palatini Bra-

Rex Potocio ad Exercitum relicto Vulnam ivit.

Braclavienſis commiſit, eundémque arci præfecit: pòſt ipſemet ſuâ cum aulâ ſplendidóque deducente comitatu Vilnam con-
7 Julii. ceſſit Lithvaniæ Ducatûs Metropolim; & in Urbe opulentâ populoſâque maximo cum triumphi apparatu exceptus, inter arcûs triumphales, Civium militariter inſtructorum ordines, ignium hilaria, Muſicos concentûs ad palatium proceſſit, & à Re-
25 Julii. gina Conſtantia Conjuge, & Principe Vladiſlao filio Victor Triumphánſque conſalutatus eſt.

Regis abitus victoriam perdidit, quibus ex cauſis. Magno Imperatori vitio id olim datum eſt, quod vincere ſciret, victoriâ autem uti neſciret: & multorum is vincentium error fuit, à quo nec Sigiſmundum immunem plerique voluêre. Cenſebant namque victoriam eſſe continuandam quæ ſe ultro offerret, pacandæque Moſchoviæ ipſa ultro porrigeret Regi lauream: Conſternatos videlicet Moſchos Smolenſci excidio, jam & ipſos conjuratos nutare, multos nec dum pro rebellione concordes eſſe, præcipuæ Nobilitatis auctoritatíſque viros Regias tueri

tueri ac fovere partes, ſi motis in interiora Moſchoviæ caſtris conjungeret triumphalem exercitum cum Struſſi & Sapiehæ legionibus, præſentem Regem & rebellium diſſipaturum conſilia, & faventium ſtabiliaturum confirmaturúmque animos. Tuta à tergo eſſe omnia, an & eos ipſos conjuratos urbem obſidione prementes ſubituros pugnæ aleam cum victore exercitu? veteranis legionibus? ipſóque Rege inſpectante? cùm ea obſidentium multitudo non tam exercitati militis robore, quàm turbidi populi conſtaret colluvie. Atque ita urbe liberatâ obſidione, advocatis compellatíſque Moſchoviæ Ordinibus, omnia in meliorem ſtatum reduci poſſe, certo certiùs eſſe. Jam verò abeunte Rege pacatíſque rebus imponendum eſſe validum urbi præſidium militéſque per ſtationes vicinas diſtribuendos, adventum aut Regis reducis, aut Principis Vladiſlaï exſpectaturos. Inſolentiam legionum ſeditionémque metuendam eſſe minimè, ſi interim proventûs cenſúſque Moſchoviæ inſpicerentur examinarentúrque,

que, unde illis æra procederent: aut certè depromeret Rex ex veteri Ducum Moschoviæ ærario gazâque, aurum argentúmque, deductóque stipendiorum calculo divideret inter milites, egestatémque illorum solaretur: residuam summam expeditiùs postmodùm à reduce Rege vel Principe Vladislao persolvendam. Nec esse quod Rex iter ad Comitia obtenderet, nullam iis moram futuram, si acceleraret, armáque ostentare ac inferre non cunctaretur, unius mensis spatio feliciter omnia terminari posse, majoríque gloriâ auctum non tantùm Smolensco, sed universâ detriumphatâ Moschoviâ ad Comitia rediturum, aliàs partem tantùm victoriæ non integram secum allaturum.

Non attento optimè consulentium voto sententiâque Rex, nihil nisi reditum meditabatur, sive bellicarum pertæsus curarum diuturnâque fessus obsidione, sive quòd fideret missis subsidiis, traditâque armorum & rebellionis opprimendæ curâ Carolo Chodkievicio experto prudentíque duci, qui

qui Tolocini Regiam manum osculatus erat, ibidémque mandata acceperat, absque sua præsentia res in feliciorem statum reponi posse. Nec diutiùs Vilnæ commoratus Varsoviam movit, & ad præfixum Comitiorum diem læto cum applausu comparuit. Et ubique, præcipuè tamen à Senatu & Equestri Ordine exquisitis gratulationibus Victor salutabatur. Auxit publicam omnium lætitiam Zolkievii triumphus, quem memorabilem duxit. Ibat, eques Imperii Moschovitici domitor, provectæ ætatis rerúmque gestarum famâ celebris dux, præcedebat splendidus numerosúsque equitatus è Tribunis, Centurionibus, lectissimóque milite veterano, festo insigni ornatu constans. Sequebatur Basilius Suyscius unà cum fratribus germanis in curru sublimis, peditatûs famulitiíque coronâ cinctus, mox ab ipso Zolkievio ductus in palatium ubi Rex cum Senatu Ordinibúsque consederat, omnibus videndus exhibetur, traditúrque Regi gravissimè sententiis exemplísque variis attemperatâ oratione, quâ

Oppidum Albæ Russiæ.

Rex Vilna Varsoviam ad Comitia properat.

Zolkievius iis in Comitiis triumphans captivos Suyscios publicè tradit.

Majeſtatem Regis, Reïpub., felicitatem gloriámque extulit, ex debellata Moſchovia vinctóque ipſius, & vaſti Septemtrionis diſſitarúmque ad Caſpios uſque montes Hyrcanúmque mare gentium Monarchâ: petitíſque ex antiquioribus & recentioribus Hiſtoriis, quarum ſummè peritus erat, exemplis raro viſis auditíſque, recentem comparavit victoriam. Atque hunc Regis Smolenſcum expugnantis & Zolkievii Suyſcium tradentis triumphum, ſpectare licet in palatio Varſovienſi inter auro cælata laquearia eleganter depictum peritiſſimi artificis Dolabellæ Itali manu, expreſſáſque ad vivum non infeliciter ſuperſtitum tunc Senatorum Aulicorúmque ac Procerum effigies ornatûſque: perjucundum profectò poſteritati ſpectaculum, quod & magnorum virorum in Repub., optiméque de Patria meritorum Civium exhiberet memoriam, & ad præclarè facta victricibus illorum tropæis ſeros nepotes excitaret.

HI-

HISTORIÆ VLADISLAI POLONIÆ ac SUECIÆ PRINCIPIS,

LIBER SEPTIMUS.

IN tam effuſâ omnium lætitiâ conſultantium mentes judiciáque confundi videbantur, certò ſibi parſuadentium, devictam Moſchoviam brevi futuram Poloni ſceptri additamentum: tantâque victoriæ fiduciâ geſtientes acceperat animos, ut jam de ea in Provinciam redigendâ ordinandâque multorum ſermo eſſet. Pauci fuêre qui reputarent & militis bellantis ſtipendia, & exortæ conjurationis initia progreſſúmque; illa æquiori exa-

Proſperè res geſta in Moſchovia immodicam lætitiam in animis Polonorum excitant.

minata calculo, proindéque magnis difficultatibus Rempub. implicatura, hanc verò indies crescentem auctísque viribus prævalidam, victoriarum serenitatem brevi obfuscaturam. Et quidem rebellionis minorem tunc Ordinibus fuisse curam à comtemtu hostis victi multoties, depressíque, faciléque inposterum subjugandi provenisse comperio; ad stipendia verò persolvenda exiguum interim concessum stipendium: quippe bello in hostico alendo tantisper suffectura rebantur, cùm uberiora ex Imperii domiti vectigalibus censúque exspectarent, sperarént que bellum citò profligatum iri. Atque interim dum in aula Regia publicóque Comitiorum concessu triumphatur, Moschovia depulso fræno victorem excutiebat Polonum, non tam à virtute roboréque suo, quàm ab æmulantium ducum & Tribunorum dissidiis animosa. Id verò, prout acciderit, jam mihi promtum est referre, exponeréque lectori, quomodo gens internis motibus concussa & aliunde accersito Domino, cui jam dixisset Sacramen-

Inde parùm provident de stipendiis militi.

Moschovia interim se in pristinum statum erigit.

mentum, obnoxia, armis domita pressáque, inops consilii, iterum sese in pristinum erexerit reposueritque statum. Neque id sine admirandâ fati potentiâ, quæ posteaquam ad satietatem in tam potenti Septemtrionis Imperio Orbi Cristiano exhibuisset ludos, Polonum victorem, velut ad certas horas theatralem sustinentem personam, è scena excedere jussit, Moschoviam verò suis moribus ac pristinis legibus restituit, imposito è Primoribus indigenis Principe, ejúsque firmato Imperio, quod ad suos, qui nunc regnant, extenderet posteros.

Accrescentem indies Lepuni conjurationem rebelliúmque armatorum copias morabatur non improspero eventu Alexandri Gosievii Præfecti Velisiensis singularis industria & Martialis spectati Ducis virtus, detinebántque ab extra tendentem hostem Nicolai Strussi turmæ auspicatò sæpius cum eo rem gerentes dimicantésque, prout superiùs memoravimus: instabat nihilominus pertinax Moschus, neque suorum etiam imminutus clade desperabat tolli opprimíque præsi-

Gosievius rebellioni Moschorum obviam it.

Lib. 6.

præsidium Polonum posse, ad quod oppugnandum obstinata populorum conflueret rabies, totáque concitata in ultionem sese accingeret propediem Moschovia. Jam Leponus medietate Alborum mœniorum potitus, sat gravem obsidionem minabatur, cùm Krimgrodi Kitaigrodíque arctioribus sepimentis præsidiarium conclusisset militem tantóque animosior ab abitu Regio in Poloniam evaserat, quantò consternatior excidio Smolensci, triumphantis victricia exspectaret metuerétque arma, quibus promotis, nutantibus præsertim seditiosorum animis trepidantibúsque, dissipata rebellio certo certiùs evanuisset. Atque integro sex mensium spatio à discessu Regis fortiter ab utrinque certatum est, pervicaciter nihilominus semper inhærente hoste, quem animaret fessi militis Poloni languor insolentiúsque agentis, & desertâ statione abitum in Patrium summâ contentione apparantis furor, tum frequentia nostratum dissidia, æmulationes non ignorabant Moschi, eáque illis passim à transfugis specula-

Sed ii ab abitu Regis animosiores, non persistunt.

Ab Julio ad Decembrem

Æmulatio dissidia Polonorum audentiores faciũt.

culatoribúsque innotescebant.

Interim Gosievius non destitit sæpius hostium frustrari consilia, retardare impetûs, nihílque omittere quod ad regiminis sui curam, vigilantiámque strenui ducis pertineret: ac præcipuum potissimúmque rebellium ducem Leponum, insigni stratagemate aggressus est: Donensium Cosacorum copiæ grande conjurati exercitûs conficiebant robur: accesserant namque partibus recens sui ducis Zarucii traducti operâ, cui Impostoris conjugi tenaciùs adhærenti, Leponus subdolè spem fecerat, ejus filium pulsis ejectísque Polonis ad Imperium evehendum. Ergo Gosievius ut & Leponi vires Cosacorum nudatas auxiliis debilitaret infringerétque, & Moschos apud exteram militiam in suspicionem adduceret, Leponi epistolam sigillúmque simulat, quasi mandatis popularibus suis subitam Cosacorum cædem ultionémque in quam omnes ad præstitutum diem animosi exsurgerent. Missa per secreti conscium epistola, & fortè seipsum ex condicto prodente tabellario, à

Gosievius Leponum tollit, quo stratagemate.

 Cosa-

Coſacis intercepta, lectáque ingentem excitavit tumultum: mox Leponus tanti doli fabricator quæſitus inventúſque, cùm nullius ſe ſcripti literarúmve conſcium eſſe per omnia ſacra conteſtaretur, juraretque hoſtium eam eſſe impoſturam fraudémque, fruſtra Superos teſtes ſuæ innocentiæ advocans, à furenti occiditur milite: incuſſo cæteris Moſchis metu, quorum abhinc fidem ſuſpectam Coſaci haberent. Ceſſerat Goſievio ſatis fortunatè dolus exſtincto Procopio Lepono, cui apud ſuos populares præter elegantem procerámque corporis formam, judicium acre, in rebus agendis induſtria, militiæque peritia famam comparaverat: ſed nihilo depreſſiores Moſchi tam atroci inopinatóque rebellium ducis exitu facti, mox Trubecium ſufficiunt cautum, occaſionum momentorúmque bellicorum captatorem ſedulum.

Lepono à conjuratis Trubecius ſubſtituitur.

Fames interim invaleſcit & præſidiarios affligit.

Verùm inter crebros præſidiariorum cum hoſte conflictûs, ut nullis ex præliis, ita per inopiam & labores miles fatiſcebat: invaleſcente præſertim fame, quæ ipſo

ipſo hoſte gravior, acerbiora minitaretur. Ibat ſerpenti malo obviàm provida mens Goſievii & communicato cum Joanne Sapieha Præfecto Uſviatenſi conſilio, mutuatóque ab illo ſubſidio quod vir magnanimus libens obtulit: jámque excurſuro ſuâ cum legione commeatûs reïque cibariæ conquirendæ cauſâ, è ſingulis præſidiariorum Centuriis delectos addidit equites, ipſiúſque immiſcuit turmis. Gnarum id hoſti lætóque quaſi depulſo Sapieha, qui unicus ex adverſa Metropolis parte ſuis cum copiis confidens decertánſque rebellium infringebat conatûs: tum compertis præſidiariorum extenuatis Centuriis, quæ dimidio ſuarum virium pabulaturas Sapiehæ ſuppleverant turmas, denique invitante tempore, quod in multos dies effluxurum antequam redirent copiæ, certò pollicebantur: quippe è longinquioribus Moſchoviæ terris pabulum petendum erat, quod in vicinia exercitûs ultro citróque continuò commeantes abſumſerant. His itaque momentis felicíque occaſione reï gerendæ excita-

Joannes Sapieha ſua cum legione pabulatum excurrit.

 cita-

Moſchi interea oppugnant Polonos & aditûs intercludunt.

citatus hoſtis, ſummo cum impetu præſidium Polonum invadit, oppugnat, tanto ardore mortiſque contemtu, ut & defenſores Alborum mœniorum, quæ hucuſque tuebantur, propugnacula deſerere coëgerit, omnémque aditum ad arcem intercluſerit, arctiori indies obſeſſos premens circumvallánſque coronâ.

Sapieha fert obſeſſis auxilium.

In eas præſidiarii redacti anguſtias, cùm inde cum hoſte, hinc verò cum invaleſcente acriùs pugnarent fame, arctiori indies preſſi diſcrimine, de ſubſidiis ut non deſperabant, ita eorum accelerationem ardentibus expetebant votis. Et aliquot ſeptimanis incluſi coarctatíque, accepêre reducem Sapieham: is namque de Commilitonum edoctus periculo, per ſpeculatores reditûs ſui nuntium ad Goſievium deferri imperat, monétque, ut ſibi deforis oppugnaturo hoſtem animoſâ ab intra erumpentium præſidiariorum virtute ſuccurreret. Nec cunctatus Sapieha, pluribus in locis in Moſchos ſummâ contentione impetum facit, ac potiſſimùm in eam incubuit partem locúm-

cúmque, unde obſeſſis auxiliorum acceſſum opportunum hoſtis ademerat occluſerátque. Nihil invium ardori oppugnantium militum fuit, quorum hi per cædes cladémq; hoſtium enitebantur perrumpebántque; illi nando fluvium ſuperantes aperiebant incluſos aditûs, tantâ cum hoſtium conſternatione, ut relictis Caſtellis fortiſſimè in omnem eventum munitis, illos terga vertere coëgerint, & feſtinantibus inter hæc curribus alimenta obſeſſis latè patefactâ viâ intulerint.

Hoſtes depellit & annonam infert.

Et erumpentes præſidiarii ad victoriam plurimùm contulêre.

At alia ex parte erumpentes præſidiarii minùs opinantes perturbatóſque exterruêre, reputantes videlicet non tantum roboris animíque habituros fuiſſe, niſi ab inductis novis, ut rebantur, in arcem auxiliis (quæ tamen nulla fuêre) audaciam reſumſiſſent. Ignari accenſam latrantis ſtomachi bilem famelico militi tunc pro ſubſidio fuiſſe. Itaque è proximis pulſi ſtationibus hoſtes pedem retulêre, urgentibúſque legionibus interceptis, Alborum mœniorum propugnaculis ejecti, quidquid tanto labore ac ſudore pepererant, fœdè cæſi palantéſque deſe-

ſeruêre. Nec arduum videbatur exſcindere penitus hoſtem, eóque die tam auſpicato integrâ potiri victoriâ, ſed id Tribunis parùm proviſum erat, dum à non nemine Chodkievicii adventantis gloriæ conſulitur, eïdémque ſubſidii laus minùs opportunè quæritur.

Quam integram æmulatio eripuit.

Et adventantem Chodkievicium ſupremum ducem cum Livonicis copiis averſo animo excepêre legiones: ſive quod Lithvani Ducis inaſſuetæ eſſent obſequio, ideóque ejus imperium detrectarent, ſive quòd inſolentiæ ſuæ conſciæ, rigidum diſciplinæ militaris exactorem metuerent. Comperio quoque exaſperatam militum erga Chodkievicium voluntatem à Jacobi Potocii Palatini Braclavienſis Præfecti Smolenſci immiſſariis: quippe fatali malo æmuli impatiens, offenſus credebatur, cùm, ſe poſthabito Chodkievicio ſummum in Moſchovia armorum regimen contuliſſet Sigiſmundus Rex, ægréque patiebatur, ſi quid eï à rebus egregiè geſtis decoris famæque proveniret, quâ abſque conſorte gaudêre,

Chodkievicius venit peringratus militi,

& Potocio, qui non fert æmulum.

dêre, veluti unicus armorum conſiliorúmque apud Regem ſibi faventem arbiter, peroptabat. Ab eventu certè patuit diſcordia ducum, & publicâ re privatis ſimultatibus poſthabitâ, omnia in præcipitium acta, eóque compendio hoſtem victorem evaſiſſe, Polonóque non ita pridem triumphanti inſultaſſe.

Sed à conflictu illo importatâque in arcem annonâ, ſegniùs jam agebant præſidiariæ legiones: nullo Chodkievicii reſpectu, nullóque obſequio: ſive illos crebra cum hoſte pugnandi neceſſitas, & hinc tædium belli occeperat, ſive quod magis crediderim ſueta inſolentia, cui olim in ſui Demetrii caſtris innutriti erant, & per abſentiam Regis magis magíſque aucta ſtimulabat accendebátque. Ergo ſolitâ contumaciâ à Rege per Legatos ad Comitia miſſos, libere palámque denuntiant: præſtolari ſe lubentes Principis Vladiſlaï Magni Moſchoviæ Ducis adventum, quem ſi Regis differret cunctatio, ituros ſe relictâ Metropoli repetituróſque à Repub. tot annorum eme-

Præſidiarii milites inſoleſcunt.

Regi per Legatos denuntiant, nolle ſe ampliùs ſtipendia exſpectare.

emerita ſtipendia : adhuc quidem patientiam ſuam ad ſextum Januarii diem extendi poſſe, abhinc non eſt quod Rex ampliùs ſuam exſpectaret operam. Interim cùm à Rege ex veteri Moſchoviæ Ducum ærario ſatis auri argentíque, ac pretioſiſſimæ ſupellectilis (prout inferiùs memorabimus) accepiſſent, quæ plus quàm in unius anni ſtipendium rectè expenſo calculo iis legionibus ſuffeciſſet, nihil tamen de ſuâ remittebant ferociâ, omnia per laſciviam libidinémque agentes, adhortationes monitáque Regia contemnebantur, nihílque proficiebant ducum Tribunorúmque rogantium preces. Ferrent videlicet tantillam moram quæ Vladiſlaüm Principem ſiſteret, neu ſe tam immani ſcelere invadendæ per ſeditionem Patriæ polluerent, induerent aliam dignam viris militaribus mentem, nec tot annorum gloriam bellicámque famam unâ tam impotenti offuſcarent inſolentiâ. Fruſtra hæc ſurdis licentiæque avidis ingerebantur: mox ad condictum Januarii diem turpi flagitio deſertâ ſtatione inter minas ſtre-

1612.

Tandem cùm mitigari non poſſent, abeunt.

pitúſque è Moſchovia exceſſêre, relictâ exiguâ copiarum parte, quæ reliquâ theſauri Ducum Moſchoviæ expilatione delinitâ, obſequium longiori addixerat tempori.

Imminutum ſecedentium turmarum viribus præſidium angebat Chodkievicium ducem militaris diſciplinæ tenacem, non exuerat tamen ſpem ſervandæ tuendæque arcis, ſi evacuatâ jam ſeditioſorum fece, reſidui veterani militis concordi promtâque parendi inſeſſâ virtute teneretur. Venerat quoque in ſubſidium accîtus Nicolaüs Struſſus Præfectus Chmielnicenſis, adductis equitum peditúmque numeroſioribus turmis, eas non ægre ſuppeditante Jacobo Potocio: namq; ſervatæ Metropolis palmam prærepturam ſe Chodkievicio exiſtimabat, ſi tranſmiſſum ſubſidium à ſuo dependeret nutu, & Nepotis ex ſorore ſuam non gravatè aucturi gloriam, imperio regeretur. Et Struſſus Potocii mandato ſuóque genio ferocior, non ante Metropolim ſuas induxerat copias, quàm tradito ſibi ſupremo in arcem præſidiariúmque militem regimine: Chod-

Chodkievicium ſeceſſio militaris angit.

Venit Struſſus cum novis copiis,

Regimen ſibi in Urbe dari poſtulat,

& obtinet invito Chodkievicio. kievicio quidem invito, qui & Gosievium inde detrahi, suámque sperni authoritatem querebatur, dissimulante tamen cedentéque necessitati, publicíque boni causæ. Nec abnuebat Gosievius, qui cautus sagaxque futurorúmque providus, liberari se eo munere clàm gaudebat, ne per tot annos emeritæ gloriæ ultrà periculum faceret, prospiciebatque, quantum militum insolentia, ducum æmulatio, nostris portenderet perniciem cladémque: senseratque alium tantopere regimen ambientem, luiturum pœnas præposteræ ambitionis. *Abscedit inde Gosievius non invitus.*

Strussi regimen studia militum excitat diversa. Atque ab adventu Strussi quotidianæ erumpebant simultates: missum pro Gosievio Strussum, oppositum Chodkievicio æmulum prout alterutri favebant milites, nunc factum laudantes, nunc vituperantes: scissísque in partes studiis tanquam in acie concertabant. Inde ab utrinque segniùs agere tam in ferendis quàm in recipiendis subsidiis, dum quisque suâ virtute, veluti mutuæ opis haud egens, ad gloriam aspirat, & ne hic vel ille alienæ sententiæ indigens

digens

digens videretur, in diversa deterioráque transibant. Expendebat nihilominus Chodkievicius singula belli momenta, distinuítque integrâ æstate hostem, pérque medias acies intrepidus sæpius alimenta commeatúmque obsessis invehebat. Ultimum militarium operum Chodkievicii fuit animosa in Septembre obsidentis hostis oppugnatio; primùm namque hostilem exercitum prodire in aciem ausum fortissimè summovit, deinde summo cum impetu intra mœnia aggressus, Castellis ejecit, aditum ad arcem aperuit, peditibus quingentis recenter à Nieviarovio adductis immissísq;: mox quadringentos currûs re cibariâ onustos invecturus; interim dum miles prælio fessus vires aliquantùm reficeret, Moschi recollecti densis agminibus irruunt, commeatum intercipiunt, currûs diripiunt. Strusso Præfecto præsidii frustra inspectante, nec suis cum turmis peditatúque consurgente, sive ne partem victoriæ cum Chodkievicio communicatam haberet, sive quod non multum sibi laborandum in acceleratione *Chodkievicius hostem desoris distinet.* *post aggreditur Castellisque ejicit, annonam invecturus.* *Hostes recollecti commeatum intercipiunt Strusso inspectante neciferente opem.*

 sub-

ſubſidii exiſtimaret,ex quo partæ laureæ decus penès ſolum expeditionis ducem futurum eſſet: gravi profectò rerum ſubſecutâ jacturâ, neque ullatenus inpoſterum compenſandâ. Atq; ex tunc fatali æmulationum vento adeò impulsâ fortunæ rotâ, ut quæ in ſublimi ſteterat jam converſa,totius Moſchovitici Imperii ſpem in præcipitium ferret.

Legio Sapiehana in ſeditionem prorumpit abitq.

Neque inpoſterum Chodkievicio tam promti expeditéque ferendi auxilii nulla ſuppetebat ratio, cùm legionem Sapiehanam turbidis Commilitonum incitatam conſiliis exempliſque ſeditio inceſſiſſet. Tangebat legionarios infectæ cum iiſdem conſpirationis mœror, meminerant ſe paribus auctoratos ſtipendiis parem exercuiſſe militiam, cur jam non pari motu conſociationéque armorum æra ſua flagitarent repoſcerentque. Accendebat inſolentiam furorémque æmulatio diſcordiáque ducum, quâ exacerbati ſpreto contemtóque imperio, eâdem cum licentiâ inſolentiâque, relictâ Metropoli, ſtipendia, donativa ferociùs inclamantes, abiêre, ſeditioſo fœderi nomen daturi.

daturi. Tantum audendi fidæ aliàs ſpectatæque legioni occaſionem præbuit mors Joannis Sapiehæ Præfecti Uſviatenſis, cum quo Tribuno ſumma quæque in bellis patraverat, raróque ſine ea victor Sapieha: jámque rectore vacua, veluti tam cari capitis ſoluta obſequio, ad eam proceſſerat inſolentiam.

Occaſionem ſeditionis præbuit mors Joannis Sapiehæ Tribuni.

Non abſque ſummo omnium dolore deceſſerat Sapieha claris ortus parentibus, qui non modò vetuſtiſſimæ ac triumphalis domûs ſuæ merita, ſed etiam ſtrenuè ſuam operam fuſúmque multoties pro Rege ac patria ſanguinem, haud vanus memorare poſſet. Bellis Livonicis clarus, in quibus Ordines duxit & ad Kircholmum memorandæ illius victoriæ à Chodkievicio è Suecis reportatæ, magnum momentum occaſióque fuit: quippe dextro cornui præpoſitus, in ſiniſtram Suecorum alam quâ Polonos circumveniri concludíque poſſe Carolus ſperaverat, fortiſſimè ſuo cum equitatu irruens diſſipavit, turbatiſque Ordinibus nutantem hactenus victoriam ſuis partibus ac-

Ejus Elogium.

1605.

cedere fecit. Inde cum victricibus signis tumultuantem Moschoviam ingressus, maxima spectatæ fortitudinis memorandáque reliquit tropæa. Vir hostium etiam confessione clarissimus, Severiam Magno Duci Moschoviæ Vladislao præsidiis servavit, Metropolim ruptis mœnibus, hostibus cæsis ejectísque, annonâ invectâ, immisso exercitu, tenuit, ac ibidem Krimgrodi in
24 Septemb. obiit. 1612. aureo Ducum Moschoviæ palatio, aureum militem ac Tribunum festina mors abstulit, accelerata partim bellicis laboribus indefessóque militiæ studio, partim insolentis militis continuis seditionibus lasciviâque victorias suas corrumpentis pessundantísque. Liberos sustulit ex Ernesti Veiheri patris militiâ clarissimi filiâ, & fratrum bellicis operibus eminentissimorum sorore, in quibus effulsit utriusque parentis hæreditaria imitatio: quorum unum Castellanum Vilnensem, alterum Palatinum Vi-
Paulum. tepcensem vidimus: & hunc quidem ad præscriptum paternarum virtutum in oculis Vladislai Regis ad Smolenscum, & sua & avita

avita feliciter promoventem decora, referent illorum temporum annales.

Atque ut intempestiva mors Sapiehæ anno superiore acciderat, ita sat incommodè ejus legionis insolentiâ exarserat: & post edita constantis animi fideique indubitatæ facinora, in qua permultum spei viriúmque Chodkievicius reponebat, à turbidis incensa, ferociora pacatioribus prætulit consilia. Cæterùm nihil æque obsessos ac fames affligebat, in recipiendis commeatibus hactenus incuriosos: & quia Strussus Chodkievicio discors bonum publicum privatis simultatibus impediebat. Neque tamen dux in re frumentariâ parandâ segnior, longinquis itineribus percursando, quæ propiùs obtineri nequibant, alimenta conquirebat. Id verò ut Moschis cognitum est, in penitiora Chodkievicium Imperii abiisse, prævisúmque à tam frequenti alimentorum subvectione bellum diutiùs trahi posse, nullo rebellis conjurantísque Moschoviæ fructu: eapropter primas intendunt curas, quò spem omnem auxilii

Obsessos fames affligit.

Chodkievicius in penitiora Moschoviæ alimentorum causâ abit.

auxilii à fluvio præciderent, feſtinatis acceſſibus, Caſtellis, propugnaculis aditûs omnes arcis occupant, inſident, muniúntque: & tantò arctiori indies obſidione imminent, ut nullum vel ex arce effugium, vel in arcem inferendi ſubſidii pateret locus, & non niſi à cœlo venturis hoſtibus daretur via. Concitatâ inſuper recenti claſſico univerſâ Moſchoviâ, ad commune properabat incendium, conſtátque ultra centum millia armatorum obſidentium Metropolim comparuiſſe.

Moſchi interea omnes aditûs ad urbem præcludunt.

Reducem Chodkievicium commeatu onuſtum novæ excepêre curæ, namque aliam, quàm reliquerat, obſidionis faciem repererat: arcem Caſtellis impoſitis circumvallatam, deinde ſparſo trans flumen peditatu eam ab hoſtibus inſeſſam partem, unde obſeſſi ſperabant externam opem, ſimul cis flumen elatos aggeres tormentis comportatis munitos, hoſtium numerum ultra modum auctum, denique viréſque ſuas imbecillas & ſeceſſione militari attenuatas reputans, ſine quibus temerarios potiùs conatûs

Chodkievicius ſubſidium non poteſt ferre obſeſſis, & abit.

natûs

natûs quàm fortes judicaret, ad fatalem æmulationem diſcordiámque ingemuit, retractíſque copiis obviàm Regi advenienti Viaſmam perrexit. Premebat jam obſeſſos graviſſimè ciborum inopia, quâ adacti duobus penè ſupremis Menſibus ad devorandos canes, feles, mures, loráque madefacta tenuitérque conciſa & elixa adacti fuerant. Horret animus refoſſa cadavera recens humata, raróque & miſerabili exemplo occiſos ultrò alios pecudum adinſtar, ut eſuriem latrantis ſtomachi ſedarent: ad extremùm quidquid Saguntus calamitatis, quidquid nuper Harlemum ab Hiſpano obſeſſum ſenſit inediæ, id totum ſenſêre obſeſſi, certi potiùs in confertos ruere hoſtes, niſi interpoſito juramento, vitâ, armis, ſuppellectili donatos emiſſuro ſe polliciti fuiſſent. Eâ conditione dedita arx, quam mox ſolita Moſchorum eluſit perfidia. Struſſium namque fidem ſibi juratam datam exprobrantem, cæteróſque Tribunos ac Centuriones tetro includunt carceri, in milites ſæviunt acriùs, undis, laqueo, ferro, exilio,

Obſeſſi famem cibis fœdiſſimis imò & corporibus humanis ſedant.

Per Septemb. & Octobr.

Dedunt ſe tandem & contra fidem datam in illos Moſchi variè ſæviunt.

exilio,

exilio, & quidquid rapida barbaries cladium excogitare poterat.

De sistendo quantocius Vladislao in Moschovia Consilium Zolkievii.

Obtestatus Regem à principio fuerat Stanislaüs Zolkievius supremus copiarum Præfectus, docuerátque succrescenti Moschorum rebellioni malísque quibus universa conflictabatur Moschovia, conflictandámque validiùs in posterum præsentiebat, remedium adferri nullum posse, nisi à Vladislaï Principis Electi Magni Ducis maturatâ præsentiâ: & Moschos habituros beneficii loco adventum Principis. Idem suadebant Procerum multi, quin & legiones id unicum exposcebant flagitabántque, ut Filium populis sibíque ostenderet, omnes motûs & occulta nonnullorum consilia disturbaturum: Rege ad hæc semper immoto, consiliíque, quod contrarium suggesserant ii qui ejus gratiam favorémque in bellis super omnes emeruerant, perquam tenace. Jam verò posteaquam adultam Moschorum rebellionem exercitibus insultare, obsessos in Urbe primariâ ab extrà propugnaculis, intus fame premi coarctaríque legio-

legiones seditione concitatas, stationes deserere, omniáque in pejus ruere, partúmque Imperium Principi Vladislao nutare elabíque è manibus sceptrum intellexit, serò tandem, quod damnaverat, reducendi sistendíque Moschis Principis Filii consilium cepit: Ordinum quoque Poloniæ exstimulatus querelis, prævidentium, tantas è Moschovia calamitates in Rempub. aliquando redundaturas.

Quod Rex damnaverat tardè jam approbat.

Et res quidem in ruinam inclinatas solâ adhuc celeritate erigi restituíque posse prudentiores judicabant. Sed dum Rex cunctabundus moras nectit, Reginam totámque aulam tardigrado itinere Vilnam usque secum ducit, inde primùm contra hostes moturus, adulta jam appetebat æstas, potissimúmque bellandi effluebat tempus.

Sed nimis lentè & cunctanter.

Festinationem Regis impedivit miles non adeò promtus paratúsque, quippe ab ejus cunctatione occasione sumtâ plerique jam veterani copiæque numerosiores obsequium exuerant, ac in stativis degentes, quarum in summa affluentia gementibus colo-

Nec miles Regem sequi vult.

colonis deguſtatâ dulcedine, damnabant gelidi Septemtrionis militiam, exciderátque ex animis toties expetitus Vladiſlaüs Princeps, cui in Imperio adipiſcendo vitam ſuam viréſque devoverant. Præcipuum exercitûs robur duæ Germanorum peditum legiones erant, ductoribus Theodoro Denhoffio & Urſenbergio, non deſperante Rege relictas Smolenſci equitum copias haud gravatè ſe ſecuturas. At ubi cum Principe Vladiſlao Smolenſcum venit, qui jam in contubernio patris erat, contumaciores expertus eſt equites, adverſiſque rem geri fatis indoluit. Neque feroces militum animi flecti mitigaríque poterant Regis eos pro concione proprio alloquentis ore, támque demiſſâ benignitate: cùm tandem ſuo cum comitatu ſolitóque præſidio abeuntem, ſive verecundiâ tacti, deſerti in tam arctâ neceſſitate Principis, ſéque in medios hoſtes attenuatis viribus præcipitantis, ſive à ſuis Tribunis Centurionibúſque gravi expoſito inculcatóque flagitio excitati, mille ducenti equites Viaſmæ

Cùi duæ peditum Legiones tantùm adhærent.

Equites obſequium denegant.

mæ ſunt aſſecuti. Ac inter eas difficultates militúmque contumaciam annotata ſunt quoque triſtia omina infauſtum iter portendentia. Diſcedenti namque Regi Smolenſco per eam portam eundum erat, cui à Ducibus Moſchoviæ nomen inditum, vulgóque Ducalem vocant: jámque tranſitum paranti advenientíque caſu cancelli penſiles ruptis deſuper retinaculis decidêre, aditúmque ita præſtruxêre, ut nec loco moveri, nec in ſublime expeditè iterum attoli poſſent: Rege coacto ad vicinam deflectere portam, per quam exiret. Infauſtum profectò augurium ab occluſa ad Imperium Moſchoviticum portâ, calamitoſus docuit comprobavítque exitus.

Vix tamen ſequuntur.

Smolenſco malo omine egreditur.

Subſtiterat Rex Viaſmæ mediâ inter Smolenſcum & Metropolim Urbe, anxius de præſidiarii militis obſeſſorúmque diſcrimine, exſpectabátque indies Chodkievicii ſuis cum copiis adventum. Et ille quidem præſto adfuit, cujus explorato Rex conſilio quò arma inferenda exercitúſque promovendus eſſet, ſuaſit, ut Metropolim verſùs

Viaſmæ ſubſiſtit.

ſùs contenderet, & obſeſſis ſubſidio futurus, & rebellibus metum incuſſurus: non deeſſe adhuc è Primoribus fidos conſtantéſque Principi Moſchos, ad cujus aſpectum læti advolarent, ac proinde & Vladiſlaï præſentiâ & armis conjuratorum diſſipandos conatûs. Mota ſigna jubente Rege, & vicinior Metropoli caſtris ad Fiedorouſcum poſitis conſtitit, cùm triſti perculſus nuntio audit, obſeſſos ab atroci expugnatos fame, victóſque Metropolim dedidiſſe, & contra juratam pactorum fidem Struſſium primæque notæ Tribunos carceri mancipatos, reliquos miſere excruciatos enecatóſque. Super hæc redierant mille equites præmiſſi Metropolim, qui hoſtiliter ſub ipſis excepti mœnibus, & Moſchis colloquium cum ipſis dedignantibus renuentibúſque, infecto negotio deſperatíſque rebus retroceſſerant. Et quod ſperabatur maximè præſertim, ſparſâ ubique de adventu Vladiſlaï famâ, Moſchorum nullus in caſtris Regiis Electum Ducem ſalutaturus compellaturúſve comparuit: omniáq; viſebantur hoſtilia, op-

Promovet ſigna Metropolim verſus.

quam deditam audit, obſeſſóſque miſere excruciatos.

oppida ab armatis inſeſſa occluſáque, pabulatores Regii ex inſidiis appetiti: ad extremùm inſtanti acri hieme gelúque, & bellandi opportunitate ſublatâ, Rex converſis ſignis aduerſis cedens fatis, primò Smolenſcum, inde in Poloniam non abſque gravi jacturâ & gloriæ & Imperii Moſchovitici, mœſtus rediit. Atque hic exitus fuit famoſæ expeditionis Moſchoviticæ, cujus initia ut læta auſpicatáque, ita exitus triſtis ac calamitoſus erat, abrupti ſucceſſûs, eluſæ ſpes, votáque ad vanum redactæ magnæ Victoriæ: Earum verò viciſſitudinum fruſtra humanus intellectus in æternitatis Sacrario inveſtigabit cauſas, quas ſolus novit cœli terræque arbiter, & cui in ipſos Reges imperium eſt.

Hoſtilia omnia experitur tandem hieme ingruente.

In Poloniam mœſtus redit,

Converſum repentinâ fatalíque viciſſitudine rerum Moſchoviticarum ſtatum, promtè aut reparandi, aut priſtinæ reſtituendi felicitati conſpirans in favorem hoſtium fortuna, omnem penitus ademerat modum & rationem. Namque non ſat erat unico mulctari infortunio, iíſque pulſos excedere

cedere terris, quæ ut anteà in amorem Principis Electi, ita nunc mordicus conjuratis animis in odium coaluêre, nisi velut tralatitiis à Moschovia turbarum ventis, Polonia sævâ tempestate à seditioso milite concitatâ prope immergeretur. Et quoniam omnium quæ in Polonia unquam acciderat gravissima hæc fuit, secessio militum turpi sese invicem obstringentium fœdere, pessimúmque exemplum militiæ nostræ dedit, cujus memor finitis plerumque bellis nihil feroci ore quàm fœdus seditionémque crepare solet, paucis occasionem, progressum finémque, iis quoque carptim quæ à nobis superiùs relata sunt recensitis, perstringam.

Quem graviter militaris seditio affligit.

Ejus origo, causa fusiùs enarrata.

Excitaverat ficti Demetrii Imperium recuperantis classicum, plerosque viros militares, veteres Tribunos, ac Centuriones, confluxerántque permulti ac nomen suum militiæ dederant, partim spe prædæ inescati partim popularium suorum immaniter trucidatorum ultionem spirantes, prout memoravimus alibi. Sed in eo exercitu plurimi in-

ingenio turbidi, quíque aut patria bona laceraverant, aut convicti judiciis, aut pro factis judicium timentes, rapinis, lasciviæ assueti versabantur. Ab iis frequentes tumultûs, seditiones, erga duces contumacia orta, disciplinam militarem corruperat; eóque promtiùs ab indulgentia Demetrii, qui ingentes opes, maxima stipendia, ampla donativa pollicebatur. Adveniente tandem in Moschoviam Rege, pessimo consilio à partibus traducti, novis auctorati stipendiis, spe donativorum præmiorúmque illecti delinitíque sunt, ut superiùs retulimus, reclamante Zolkievio improbantéq;: quippe nihil commodi, plus molestiæ malorúmque ab avocato sperandum milite, eruptu rúmque haud dubio malum in publicam irrevocabilémque perniciem prævidebat notæ experientiæ dux, monebátque Regem, frustra illum ad Smolenscum summâ cum jacturâ temporis desidere: stringendam potiùs Castellis arcem, quæ plures defensioni milites, quàm excursionibus prælíisque ab extrà committendis idoneos ser-

varet

varet tenerétque, interim cum exercitu reliquo petendum Imperii caput, ſummámque rerum, & Moſchorum ſtudiis Regem ultrò, & ipſâ rei gerendæ opportunitate invitante: acceſſuras ſuâ ſponte Polonorum copias, Regi inter duos de Imperio decertantes litem dirimenti. Contrarium inſuſurrante ſuadentéque Joanne Potocio Palatino Braclavienſi, qui brevi capiendæ arcis ſpem fecerat, tantóque ejusdem contemtu, ut inter familiariùs ſecum colloquentes, non alio illam quàm gallinarii appellaret nomine. Sed ab hoc Gallinario in abſentia Zolkievii fœdè & cum clade rejectus, expertus eſt gallis ſuas ineſſe criſtas, quas ferociores erexerant, & cortem propugnaculis validam, vanum aggreſſoris riſiſſe contemtum. Et avocati quidem à Demetrio militis nullum operæ pretium ſenſit Sigiſmundus Rex: namque ſemper inſolens, contumax, ſtipendia continuò ferociter flagitans poſcénſque, ducum imperia excutiens, continuis Regem legationibus fatigabat: deinde Zolkievii regimen aſpernatus, vix

Potocius Smolenſcum Gallinarii nomine appellat

vix Alexandri Zborovii ſtudio ad Cluſinum Imperatori ſuppetias tulit, inde ad Metropolim ſervandam ductus, ſemper inter continuos motûs turbáſque degebat.

Tumultuantem & crebriùs æra poſcentem veritus Rex, ne ſerpens in horas malum univerſos fortè comprehenſurum, ſero anteverteret remedio, dedit per Legatos facultatem diripiendi ærarii Moſchovitici, unde auro argentóque petito, ſubductis rationibus ſtipendiorum ſuorum, partem inter ſe ex æquo partirentur. Aperitur tandem felicis olim Moſchoviæ theſaurus, patuêre ſubitò opes paratûſque tot Principum, & quidquid per tantum ævi gaza continuit. Viſa tum primùm direptæ Livoniæ ſpolia, Novogardiæ Majoris aurum & argentum trecentis curribus à victore Baſilio avectum, erutus Moſchovitici cenſûs populi, quódque dites Provinciæ olim miſêre tributum. Non eſt mihi animus ſigillatim recenſêre auro ſolidas ſtatuas, menſas ex eodem fabricatas metallo, unionum quibus Moſchorum luxus pretium mirificè

Rex militi theſaurum Moſchoviticum concedit ad perſolvenda ſtipendia.

qualis ille.

facit, copiam ingentem, crateres, scyphos, cruces aureas, gemmis distinctas, monocerotum cornua, cæteráque potentissimi Imperii divitias, quarum reliquiæ in potentiorum adhuc latitant gazophylaciis, plures temporum iniquitas hæredúmque nepotantium distraxit insania. Et cùm tanta rerum suppeteret copia, quæ exsoluendis stipendiis æquâ lance expensis satìs esset, eam militaris intemperantia ad unius semestris seu paulò suprà redegit calculum. Conticuerant illi aliquantisper accepto inescati auro, videbatúrque obsequii amor redire, paulóque animosiores facti hostium impetum excipiebant inferebántque: mox rediit solita lascivia, militiæque laboriosæ tædium, iterúmque erupit acris stipendiorum efflagitatio, prætexentium venientis Vladislaï ad Imperium moram, à quo illa se recepturos sperarent. Inde raptis signis tumultuariè in Poloniam abivêre, secutæ legiones, ut diximus, Sapiehanæ pari afflatæ contagione; ultimò Smolensci præsidiarii ad nefarios progressi ausûs, secessione

facta

factâ conspirantibus inter se turmis stationem deseruêre.

Tres seditiosorum Exercitûs Poloniam invadunt.

Tres conjurati exercitûs infestis signis invasêre patriam: ac illi quidem Demetriani milites, qui à Metropoli cognomen Metropolitanorum accepêre, Leopoli in Russia sedem figunt, novum ducem (Electum Hispani vulgò, nostri Marschalcum vocant) seditiosorum more creant Josephum Lieklinium novámque ordinant Rempub. addunt Tribunos Centurionésq; à consiliis, conditiones fœderis conscribunt, omnésq; jurejurando sese obstringunt Marschalco obtemperaturos, commune periculum communibus propulsaturos viribus, nec quieturos priùs, quàm stipendia ad assem usque numerarentur: partitísque sibi ex militari designatione Regiis Præfecturis, in Minori Polonia bonísq; Ecclesiasticorum, in singula jugera, miserum in modum divexatis colonis, ingentia imposuêre tributa, exigenda tam diu, quàm diu debita non solverentur stipendia. Sapiehanæ legiones pari conspiratione unitæ Brestiam vicinósque Palatinatûs suo cum

Duces illorum Leopolim, Brestiam, Bydgostiam invadunt.

duce

Ecclesiæ & Regia bona divexant seditiosi,

duce Joanne Kalinio insedêre, paribúsque rapinis in Regia & Ecclesiæ bona debacchati sunt. Smolenscenses copiæ fixâ Bidgostiæ sede, electóque Marschalco Zbigneo Silnicio in simile coalescentes fœdus, Majorem Poloniam & Prussiam gravi afflixêre conjuratione.

summo cum gemitu Colonorum & Nobilium.

Audiebantur passim pauperum, agrestium, Civitatúmque gemitûs, à quibus ultra rem cibariam gravis miles pecuniam supra necessitatem extorquebat: cùm hinc & inde per agros prædabundus furorem transferret, sæviens etiam in corpora, ubi rapinæ non esset materia: affligebantur Cives cùm occupatis eorum domibus lautè sese sustentarent, ac in fortunas prælicenter invaderent. Ac ipsa Nobilitas parùm tuta erat, cùm feroces ac minitabundi ubiq; discurrerent, suspensis omnium animis in quam partem tam licentiosa tempestas incumberet. Quæ

Rex Comitia indicit.

In Feb. 1613.

postmodùm causa fuit, ut Rex universorum permotus querelis Comitia indiceret: in quibus fremebant Provinciarum Delegati, damnabántque inconsultè susceptam expeditionem, nimísque propere, nullo æris quod satìs esset provisu: unde militis tumultuantis flagitantísque stipendia multoties exardesceret ferocia, promissis largè factis, magis auctâ quàm mitigatâ eorundem spe ampliori illectos Demetrianos milites avocatósque temere, oneratámque exinde Regis Reïque publicæ fidem querebantur. Incusabant ejus auctores consilii acriúsque compellabant, ut eam quam in avocandis à Demetrio copiis obligassent fidem, suarum dispendio fortunarum exsolverent eliberaréntque, quæ iniquè Rempub. à duorum triúmve inconsulto errore afficeret.

Ordines inconsultè susceptam Expeditionem damnant, & tumultuantur.

Objiciebant denique Nuntii Terrarum necessitatem populorum, exhaustas ingenti exactione Provincias, palámque intercedebant, ærarii difficultatem obtendentes: eóqe cum impetu, qui abrupto Comitiorum cursu tumultuantes importuno abitu domum impelleret. Sed plerique & consilii & animi moderatioris retinuêre præcipites, asserentes: intempestiviùs jam inquiri in tantæ calamitatis causas, cùm seditiosus

ſus miles omnes inſideret Provincias expilarétque, unde plus lucri rapinarúmque, quàm ex eorum bonis qui olim ipſius à Demetrio avocandi auctores fuerant, derivaret: liberandos primùm metu populos, pòſt inſpicienda malorum origo caſtigandáque pertinacis conſilii temeritas. Enimuerò poſt multas controverſias difficultatéſque pecuniam ad ſolvenda fœderatis militibus ſtipendia decernunt.

Tandem pecuniam decernunt,

Jam eò proceſſerat militis inſolentia, ut exutâ omni erga Regem reverentiâ, ſpretâ Senatûs auctoritate, Ordinibus contemtim habitis, ampliora ſibi æra deberi acris minaxque & implacabilis exigeret. Námque ultra ſtipendia, infinita expoſcebant donativa, mercedis pactiones: quæ omnia in unam redacta ſummam decem milliones vulgarium florenorum efficiebant. Cùm verò rationes tributorum à proximis collectorum Comitiis non ſuppeterent, convocatis iterum Rex Varſoviam Ordinibus conquirendæ pecuniæ iniit modum, quæ partim ex publico promta ærario, partim à nonnullorum

qua non ſufficit, iterum convocatiis Comitiis, alia decer-

rum oppignoratâ ſuppellectili, partim ab amplioribus imperatis tributis, denique à liberalitate Sacri Ordinis hominum, Præfectorúmque bonorum Regiorum conquiſitâ, vix tam immanem complevit charybdim, placatóſque reddidit, cùm eam inſolentiam licentiámque ultra biennium impune exercuiſſent. Pudet pigétque paucorum libidini Poloniam veluti ſervili addictam obſequio tributariam fuiſſe, nec ſine rubore leget poſteritas, vix à millibus quindecim tam potens Regnum velut fræno injecto pro libitu circumactum fuiſſe. Libertatis id noſtræ vitium eſt ſeu potiùs licentiæ, publicæ patrocinari inſolentiæ, pœnáſque retardare ſcelerum: cùm factionibus ambitioni noſtræ inſervimus, illarum auctores fovemus, ſubitæ occaſioni admovendos, non abſque exitio Rerum publicarum. Et rogati quidem in ſecretiori conſilio à Rege ſententiam Primores, quâ ratione cenſerent compeſcendam fœderati militis ſeditionem: Zolkievius ſupremus Copiarum dux animoſè diſſeruit: fruſtra à benignitate

nitur contributio, & ſeditioſi conquieſcunt.

in Decembr. 1613.

Zolkievius ſuadet compeſcendam ſeveritate ſeditionem.

tate remedium peti, quod à ſeveritate arceſſendum foret, præcidenda eſſe nefariorum fœderum militi exempla: quippe ſi nunc leniùs habeatur, prædarum rapinarúmque dulcedo deguſtata, everſura caſtrorum diſciplinam, erumpet ſæpius in publicam damnoſámque perniciem, nullâ poſthac revocanda continendáve lege. Nondum ita vires fractas attenuatáſque videri, quas paucorum libidini opponere promtum non eſſet: committeret ſibi Rex ac Reſpub. eam Provinciam, non defuturos modos comprimendæ caſtigandæque ſeditionis minori compendio, nec Rempub. ſervili exemplo, ad nutum ferocientium ac fallaces calculos, tot æris profuſuram myriades.

Negant alii. Non acceptata tunc fuit ſententia Zolkievii, ſuadentibus pluribus haud irritandos ſeditioſos, quorum paucitatem fruſtra obtendi, quæ licentioſorum manipulis ſigno dato facilè ad turbas tumultûſque confluentibus, ſuppleri poſſet. Eſſe illis inſuper cognatos, affines, amicóſque præpotentes,

tes, neque paſſuros hanc ſuo ſanguini inferri contumeliam, quorum caritatem amori patriæ præhaberent. Numerandam itaque ociùs pecuniam, eâque mitigandos, iiſque curis Rempub. liberandam: inpoſterum Conjurationes ejuſmodi ſeveris coërcendas legibus, capitalíque autorum & complicium vindicandas ſupplicio. Prævaluit lenitiora ſuadentium ſententia, ne tamen crimen impunitum maneret, contracta ad nonnullos pœna, qui tantum ſcelus expiarent. *& prævalent, paucis tantummodò punitis.* Cieklinius & Jaikovius incentores anteſignaníque ejus ſeditionis, & Valerianus Stawski cùm ad dicendam non comparuiſſent cauſam, infames pronuntiati proſcriptíque ſunt. Cæteri quamvis noxii appellati, in ipſo Senatu patronos habuêre. Sed neque ea lenitas, (cùm majori ſeveritati tum locus eſſet) neque leges poſtmodùm valuêre: *Lubienius de ſtatu Rerum Polonicarum.* paucis namque interjectis annis Moſchoviticâ ſeditione infamem Alexandrum Kovenicium conjurantis impune militis à Chotimenſi bello coryphæum, veteres exercentem rapinas, ſuo damno vidit hor- *cum Turcis geſti.*

horruítque Respub. Unicum illa tempora posteris dedêre documentum, quid possit valeátque in sua causa concors Polonia, cùm à fœderato lacerata milite exhaustáque, attritis colonorum facultatibus, interceptis insessísque Regiis Ecclesiæque bonis, tantam pecuniæ contulit summam intra unius anni decursum, ad quam contribuendam ditissimæ gemerent Provinciæ: ultra viginti milliones, si censum in singula jugera impositum adjicias, accepêre pauci seditiosi, enorme & crudele profectò ab ingratis Civibus à patria extortum spolium.

Quantum tunc Polonia contribuerit.

Sed me longiùs occasione atrocis seditionis provectum, rerum narrandarum ordo iterum in Moschoviam redire jubet, ubi Regiarum partium potentia ac fama indies decrescebat, urbiúmque & populorum quotidie deficientium auxiliis imminuebatur. Liberi itaque Moschi omni metu ac solicitudine, incidendum aliquando vinculum quod illis cum Vladislao Magno Duce Electo intercederet, decernunt, qui obedientiam exigeret à populis ut suis, eos tamen adven-

Interea Moschi à Vladislao deficiunt.

adventûs sui desiderio, contra datam à Zolkievio fidem tamdiu exspectatus arcessitúsque fraudasset, à cujus & præsentiâ Moschoviam animandam, & potentiâ defendendam sperassent. Ejurato igitur obsequio Vladislao, eò fidentiùs, quò promtiùs lubrica gentis fides tanti criminis noxios absolveret, novum sibi Principem Michaëlem Fiedorovicium Rostoviensis Metropolitæ captivi apud Regem filium unanimes delegêre, & sacramentum Electo Duci volentes lubentésque dixêre. Vix ille pueritiam egressus erat, sed quia Familiæ Veterum Moschoviæ Ducum sanguine junctus, ideo prælatus cæteris. Moverat ille affectandi aliquando Regni Zolkievio suspicionem; verùm ætatem tantis imparem ausis videns, præsertim paterno destitutam consilio ac ope, quem cum Gallicino homine impotenter ambitioso specie legationis amoverat, difficulter puerum in ejus absentiâ tumultuantis Moschoviæ throno imponi posse existimabat, præsertim multorum factiosorum scissis votis desideriísque,

Michaëlem Fiedorovicium in Magnum Ducem eligunt, jurántque.

que, & fortasse id culmen ambientium.

Primum facinus novi Principatûs fuit Marinæ Impostoris Demetrii conjugis cædes, quæ perpetuo fidóque assecla Zarucio comitante suas adhuc partes ope Donensium Cosacorum fovebat: quibus partim pretio corruptis, partim cæsis dissipatísque Calugâ filium secum trahens parvulum, Astracanum profugerat. Ac ea quidem Provincia maxima vastissimáque Persidem versùs procurrens, Marinam ejúsque filium constanti adhuc sequebatur fide, reverentiámque Principi debitam exhibebat, cùm missus est ab urbe propere Joannes Odoievius, qui fugitivam retraheret, Astracani populos novi Ducis mancipar et obsequio, sacramentóque adigeret. Et is quidem summâ celeritate confecit negotium: quippe & populos Michaëlis Fiederovicii ultro sese dedentes Imperio adjecit, & Marinam navi à Zarucio impositam, vicinámque per mare Persiam fugâ petentem, intercepit. Retrahitur itaque ab Odoievio adducitúrque, tum Magni Ducis jussu

Marinam Impostoris conjugem cum Zarucio Astracanum fugientem retrahi jubet.

Eam assequitur Odoievius adducítque, quæ strangulatur.

jussu

jussu Marinæ fauces elisæ fractæque, filius suspendio necatus. Zarucius palo infixus: infamem omnes miserandúmque vitæ exitum habuêre. Scio à nonnemine mortem Marinæ quasi subter glaciem aquis immersæ enarratam; ego verò gravem auctorem & rerum Moschoviticarum peritissimum, fidentiùs veriúsque ejus Commentariis inspectis secutus sum. Primarias olim Moschoviticæ tragœdiæ personas non decet absque brevi, quod in aliis fecimus, præterirè Elogio, ídque jam paucis includo verbis.

Zarucius palo infigitur.

Et Marinæ genus à Domo non tam in Poloniâ, quàm in Bohemia pervetustâ clarum illustréque fuit. Avus Ferdinandi Primi Imperatoris iram veritus cujus offensam excitaverat, è Bohemia, relicto antiquo Mnisciæ familiæ Magna Konczyce dominio, in Poloniam regnante Sigismundo Primo migravit: maximísque à Rege auctus honoribus, uxorem duxit Nicolaï Kamieniecii Podoliæ Palatini supremíque exercituum ducis filiam, è qua præter aliam numerosam prolem suscepit Georgium Palati-

Elogium Marinæ.

1508.

lati-

latinum Sendomirienſem, is verò primo connubio Tarlonum domui per matrimonium inſertus, Marinæ pater fuit belli Moſchovitici fax incentórque. Certè Zolkievius in exordio Commentarii à ſe militanter conſcripti relictíque, petito è Philippo Cominæo nobili Hiſtorico exemplo, Mniſcium Briſſoneto comparat: útque hic vir cætera umbraticus levíſque Carolo octavo Galliæ Regi belli Neapolitani auctor fuit, initio quidem fauſti fortunatique, ſed exitu triſtis ac calamitoſi: ita ille temeritate ſuâ bellum Moſchoviticum arceſſivit, cujus principiis extrema non reſpondêre, tantis Poloniæ arceſſitis cladibus, quantæ ad nobiliſſimum Regnum peſſundandum ſatìs eſſent. Cæterùm Marina uni juncta Demetrio, ut inauſpicatò, ita pari fortunâ alteri homini fœdiſſimo ignoto, prout diximus, nullâ pudoris, præcipuè dominandi curâ tenaciſſimè adhæſit, bonis juxtà malíſque artibus imperandi cupidiſſima. Namque veſtitu, dum opus eſſet, ſexum mentiri, equum conſcendere, contubernia militum adire, prehen-

henſare, immiſſis emiſſariis turbas ciêre, pollicitatione, & ſi tantum ſuppeteret æris largitione corrumpere, hortari, blandè in animos influere, ſpem victoriæ, prædas oſtentare militaris fæmina perbellè noverat. Ad extremùm ut regnaret, patriæ etiam immemor, delatas ſibi, ne regios impediret conatûs maritóque (ſi is tantùm erat) Præfecturas Samborienſem ac Grodnenſem cenſûs prædivitis ſprevit, procaci ore hæc Regi referenda imperans: Cederet Rex Cracoviâ Demetrio, haud gravatè Regem à ſuo Duce Varſoviam dono habiturum. Ita tandem impotens animi, nimiâque libidine dominandi flagrans fæmina immoderatæ cupidinis luit pœnas.

Quoniam verò & Zarucii in bellis Moſchoviticis clarum nomen fuit, hæc de fido Marinæ comite ſtrictim addo. Tarnopoli natum Tartari excurſione in Ruſſiam factâ captivum in Tauricam duxerant, inde adultior ad Coſacos Tanaïs ripam inſidentes vulgò Donenſes profugit, feliciqueque armorum tractatione in virum militarem evaſit, *Et Zarucii.*

mox & copiarum ducem: quas Demetrio ſubſidiarias adduxit. Gratus Impoſtori, at Rozynio exercitûs Demetriani Præfecto gratior: quippe, inquies, per ancipitia libenter fortunam provocabat, mirè pugnax feróxque, ad depoſcenda pericula projectus, mandata ociùs exſequi, ad nutum Rozinii turbidos mactare, undis immergere, capite truncare promtus expeditúſque. Laborum patientiâ admirationi erat, ubi aut neceſſitas cogeret, aut ſpes alliceret. In caſtris ad Tuſinum ipſius vigilantiæ permultùm debuit Rozynius: namque hic crapulæ deditus, Zarucii curæ expertæque virtuti caſtrorum diſciplinam vigiliáſque committebat, quas inſomnis diligénſque obibat, conatûs hoſtium explorabat antevertebátque, ad extremùm illius indefeſſo ſtudio ordo diſciplináque caſtrorum innitebatur. A Demetrii partibus ad Regias acceſſerat, verſatúſque tantiſper in caſtris ad Smolenſcum, pòſt Zolkievium ſecutus, prælio ad Cluſinum interfuit, ibidémque fortiter & egregiè ſe geſſit: offenſus deinde Joannem Solticum virum apud Moſchos celebrem clarúmque majore in pretio à Zolkievio haberi, colíque impenſiùs, ſibi verò minùs venerationis exhiberi, quaſi plura ſuis deberi meritis exiſtimaret, híncque indignatione conceptâ iterum ad Demetrium infami ſe polluit transfugio, à morte illius rebellibus mixtus cum Regiis conflixit: ad extremùm Marinæ redditus addictúſque homo volaticus enorme ſibi arceſſivit fatum.

Moſchi omni metu liberi ſuo duci electo parent.

Nihil jam in Moſchovia comparebat quod ampliùs timeri poſſet, præciſâ omni turbarum factionúmque ab intùs materiâ, univerſis Michaëlem pronis populorum ſtudiis prævalidum adorantibus, priſtináque Ducum Majeſtas ac veneratio poſtliminio reſtituta, afflictum recreabat Imperium: reſpirantibus Provinciis à clade vaſtitatéque, quas ſtabilis Unius dominatûs in priſtinum reponebat ſtatum. Jam verò turbis ac ſeditionibus implicata Polonia, veluti Moſchoviæ rapinas domeſticâ expiaret clade, exhauſta enervatáque ægre animos viréſque

que tam citò reſumtura videbatur, nulla ampliùs vindictæ curâ bellíque continuandi, ad quod reſumendum (ne Ordines conſentirent) Comitia irrita fuerant. Hinc Moſchis majora audendi initium occaſióque fuit; ſcribunt exercitûs, fines Lithvaniæ infeſtis populantur ſignis, & qui antè miti depreſſíque, nunc elati ferocioréſque Smolenſco recuperando magnis incumbunt viribus.

Poloni bellum continuare nolunt. In Februario. 1615.

Moſchi animos reſumunt, Smolenſcum obſident. 1614.

Miſerant illi quidem paulò antè ſplendidam Legationem ad Matthiam Cæſarem Lincii tunc agentem, ejus auctoritatem implorantes ad controverſiam cum Polono componendam. Turcarum Imperatore idem per Legatum ſuum apud Matthiam pro Moſchis contendente. Nec diſtulit Cæſar, è cujus mandato properaverat ad Comitia Polona Jacobus Heidelius, ejúſque curæ ac prudentiæ arbitrium commiſerat. Et is pertæſos belli Ordines invenit, adjunctíſque ſibi viris primariis tam Senatorii quàm Equeſtris Ordinis quibus ſive perpetuâ ſive ſequeſtrâ pace negotium componendi

Matthias Imperator mittit Legatum ad Moſchos, cui Delegati è Polonis adjunguntur.

nendi facultas conceſſa erat, in Moſchoviam ivit; ſed jam à pacis ſtudio abhorrentem. Namque reperêre Legati circumvallatum obſidione Smolenſcum, ad quod recuperandum omnes vires conatûſque intenderant, tantò ſecuriores obtinendæ per vim arcis, quantò nihil auxiliorum è Polonia æris militíſque vacuâ ſperarent. Ne tamen humanitate poſtpoſitâ barbariem omnino ſuis moribus innatam proderent, mittunt ſuos quoque Delegatos, (veluti id honori Cæſaris darent) locum, tempus aſſignant, audituri quid Cæſareüs Legatus noſtríque adferrent. Et moniti primùm ad optatæ concordiæ rationem ineundam, potiſſimum medium eſſe, ſi legitimo Principi Vladiſlao, quem liberi liberis elegiſſent ſuffragiis, juratámque ſpopondiſſent fidem, debitum reſtituerent obſequium: fremitu exortò indignabundi reſpondêre, fruſtra jus ſuum prætendere Vladiſlaüm, qui contra Sacramentum à Zolkievio præſtitum adventûs ſui morâ, patríſque ambitione ipſorum eluſiſſet vota: id ſibi ille imputet, jam

Inſtituitur ab utrinque colloquium.

jam ſe Electo inauguratóque Magno Moſchoviæ Duci Michaëli Fiederovicio non tantùm obſequium, ſed vitam & ſanguinem debere. Interpellati de induciis aut pace perpetuâ feriò tractandâ: eam habituros inquiunt facilè Polonos, ſi iis, quas proponerent, acquieſcerent conditionibus. Et propoſuêre nonnulla capita adeò ſuperbè contemtímque compoſita, quæ non media, ſed extrema viſa ſunt: facili conjecturâ quem finem iſtud habiturum eſſet colloquium. Nam ut aliqua ſummatim referam, inituros ſe cum Polono concordiam ſpondebant, modò Smolenſcum & arces ablatæ in ipſorum manum reſtituerentur: modò undecies centena millia pro expilato ærario, exuſtâ direptâque Metropoli, vaſtato deſolatóque Imperio à Rege Ordinibúſque perſolverentur. interim Principis Vladiſlaï jus ad Imperium Moſchoviticum nec nominandum. Et hæc quidem condita fuerunt eo tempore, quo depreſſi jacentéſque Polonorum animi ad belli mentionem horrebant: ideóque poſſe illis imponi quæ-

Moſchi duriſſimas proponunt Conditiones.

quæcunque onera certò ſibi perſuaſerant. Tandem quæſita hæc conditionum extrema, irritos fecere tractatûs, colloquiúmque. Interim in ſummo diſcrimine verſabatur Smolenſcum ab hoſte & fame atrociſſimè impetitum. Et famem quidem Caroli Chodkievicii ſupremi Lithvaniæ Ducis vigilantiâ, Alexandri Sapiehæ Præfecti Orſanenſis operâ, per medios hoſtes ſummâ induſtriâ fortitudineq; in volumine legum ad memoriam poſteritatis laudatâ, irrumpentis, bis re cibariâ invectâ depulit, tertióque immiſſo Januſſio Kiska Præfecto Parnavienſi, præſidiarios exhauſtos ſolâque fide in patriam & amore gloriæ alacres, annonâ recreavit. Hoſtis verò ab Alexandro Goſievio non ſine fortis bellicoſique viri elogio à nobis ſæpius dicti dicendíque, poſt crebras velitationes pugnáſque propitio collatas Marte, è caſtellis ejectum extruſúmque, obſidionem deſerere coëgit. Dignus ſpectatæ fortitudinis dux, qui liberatæ Urbis arcíſque titulum indueret, quem à benignitate Sigiſmundi Regis Palatini

Tandem irriti fuêre tractatûs.

Chodkievicius Smolenſco fert opem primò per Sapieham.

Vide Conſtitutiones 1616. Lithvanicas.

Deinde immiſſo Januſſio Kiska.

Alexander Goſievius ultimò ab obſidione liberat.

latini Smolenſcenſis dignitate auctus accepit, retinuítque quoad vixit.

Bellum tandem Moſchis indicitur.

Expergefactis tandem à gravi ſomno Ordinibus, partim admotis ad Lithvaniæ confinia ab excurrente hoſte facibus,fumantibúſque pagorum ac Civitatum incendiis, partim recurrente avitâ imò & nuperâ gloriâ inſultantíſque hoſtis multoties ſub jugum miſſi ſtimulati ferociâ, bellum publicâ auctoritate Comitiorum decernunt: cujus ſumma omnium conſenſu facilè annuente Rege ad Vladiſlaüm Principem defertur, eíque jus ſuum armis perſequi permittitur. Diſplicebat Ordinibus præteritæ expeditionis modus, qui in eas anguſtias diſcriménque Rempub. adduxiſſet, atque recenti edocti malo, adjunxêre Principi Vladiſlao viros & natalium ſplendore & armorum tractandorum peritiâ inſignes, qui militaribus adeſſent conſiliis, belli gerendi ſimul cum ducibus expenderent rationem moderarentúrq; geſtorum ſeriem in publico aliquando Comitiorum conſeſſu redditari. Eorum verò nomina cognomináque

1616. Ejus gerendi ſumma Vladiſlao Principi defertur.

hæc

Adduntur Delegati ſeu Commiſſarii.

hæc fuêre: Andreas Lipſcius Epiſcopus Luceoriæ, Staniſlaüs Zoravinius, Conſtantinus Plichta, ille Belzenſis, hic Sochaceviæ Caſtellanus. Leo Sapieha Magni Ducatûs Lithvaniæ Cancellarius, Petrus Opalinius Præfectus Sremenſis, Balthaſar Stravinius Præfectus Mozyrenſis, Jacobus Sobieſcius Marci Palatini Lublinenſis filius, Andreas Mecinius. Et paſſim quidem per univerſam Poloniam ſummo cum fervore claſſicum intonuerat, cæterùm ſecretiori mandato circumſcripta Delegatorum poteſtas erat, tempúſque bello ducendo definitum. Quoniam verò arcanum mandatorum libellum qui clàm cæteris fuit, manu Laurentii Gembicii Archi-Epiſcopi Gneſnenſis Primatis Principis, tum & Felicis Kriſcii Regni, Leonis Sapiehæ Lithvaniæ Cancellarii, Jacobi Sczavinii Nuntiorum Provincialium Præſidis ſeu Marſchalci ſubſcriptum, in authographo inſpexi, ejus hîc ſummam paucis referam.

Datus Varſoviæ 4 Junii 1616.

Inſtructionis illorum ſumma.

Principiò Ordines ſuam aperiunt ſententiam,ſe Majeſtatis Regiæ accedente conſen-

ſu

ſu voluntatéque publicè Moſchis bellum denuntiare, privatim optare unicè tranquillandi negotii celeritatem: flagitantibus id impenſe Reïpub. incommodis damníſque, quæ nuperæ expeditionis haud proſperi eventûs invexiſſent. Deinde addita eſt juramenti forma, quam ſinguli Delegati officium ſuum auſpicaturi dicerent: videlicèt ſe omnibus mandatis ſcripto comprehenſis ex fide conſcientiâque obtemperaturos, atque ſive in bellicis conſiliis, ſive in tractatibus cum hoſte de pace ineundis, ſincerè, candidè, & è bono ac commodo Reïpub. acturos. Adhæc pecunia ab Ordinibus ad hanc ſolam expeditionem nec in alium uſum expendenda, collata conferendáque Delegatorum committitur curæ, illorum cum ſcitu arbitrióque à Quæſtoribus Regni Magníque Ducatûs Lithvaniæ diſpenſanda diſtribuendáque. Providerent verò ii, ut æri in Comitiis imperato, & impenſæ bellicæ, & numerus copiarum reſponderet: ultrà nullatenus augendus, & miles ne majora ſolito nec ultra Comitiorum præſcriptum poſce-

poſceret ſtipendia. Tribuni verò & Centuriones juxta patentes literas pro delectibus habendis obtentas, plenis nec imminutis comparerent ſignis: id verò ex recenſito luſtratóque ad amuſſim exercitu conſtaret. Quodſi verò impenſas aut iniquior Martis alea, aut longior ducendi belli neceſſitas exhauriret, arriperent non inviti, ſi ſe offerret, decoram paciſcendi cum hoſte occaſionem, & juſtis æquíſque tranſigerent conditionibus. Vladiſlaï verò Principis eò flecterent animum, ne ſe alienum à conſiliis glorioſæ pacis præberet, Reïque publicæ potiùs morem gereret, quàm dubiæ fortunæ incertíſque bellorum eventibus cauſam ſuam concrederet. Quodſi proſperam ad capeſſendum Imperium viam Principi aperirent fata, tum voti compotem obteſtarentur Vladiſlaüm, ut Regis Patriæque ſuæ memor, eas firmaret juramento conditiones, quas in diplomate manu ſuâ ſubſcripto ſervaturum ſe ſanctè pollicitus eſſet.

Imbutis in hunc modum arcanis mandatis à Rege Ordinibúſque, habebantur paſſim *Delectûs militum imperantur.*

ſim per Provincias delectûs, confluente ad arma promto milite nobilitatéque, quæ Principem Vladiſlaüm jam ſuo ductu auſpiciiſque bellum rebelli inferentem Moſchoviæ comitaretur. Sed tanti apparatûs ſtrepitûsque armorum reliquum anni conſumſère dilatâ in ſequentem expeditionem.

1617. Quem verò Rex univerſo exercitui cum imperio præficeret, deducendíque Principis curam committeret, ambigebatur: plerique Staniſlaüm Zolkievium ſpectabant, virum domitâ Moſchoviâ clarum celebrémque, & qui pro Vladiſlao Electo Magno Duce ſiſtendo juratam interpoſuerat fidem, conditionibúſque in rem ejuſdem tranſegerat, ſummæ apud illos venerationis auctoritatíſque: ſed ille ſpreti ſui conſilii memor, quod inverſo jam rerum ſtatu tardiùs Rex ſuſciperet, & quam olim obtinuerat venerationem auctoritatémque, eviluiſſe ratus, verebatur, ne objecto etiam ſibi perjurio contemtui deſpicatuíque haberetur, ac proinde id muneris conſtantiſſimè recuſavit, ſumto prætextu ab ingruentibus

Quis univerſo Exercitui præfici deberet quæſitum.

Zolkievius id muneris detrectat.

bus à Turca periculis, qui miſſo Skinder Baſſa valido cum exercitu confiniis Ruſſiæ imminebat, Coſacorum irruptiones ulturus. Arceſſito tandem Carolo Chodkievicio ſupremo Militiæ Lithvaniæ Præfecto, & Principis deducendi dignitas, & armorum regimen ipſius curæ commiſſum eſt.

Suſcipit Carolus Chodkievicius.

Appetente itaque Vere Anni Milleſimi Sexcenteſimi Decimi Septimi Vladiſlaüm itineri accinctum, Laurentius Gembicius Archi-Epiſcopus Gneſnenſis eleganti gravique in præſentia Regis compellavit ſermone. Et Regi quidem primùm gratulatus eſt, quòd tam excelſæ indolis filium, maximam Domûs ſuæ auguſtæ ſpem, Electum Magnum Moſchorum Ducem ad capeſſendum mitteret Imperium: hunc verò pro ſua Primatis Primíque Principis auctoritate monuit: coleret pietatem, juſtitiam, in milite coërcendo opportunam adhiberet ſeveritatem, fortitudinem à temeritate diſcerneret, viros graves prudentiâque conſpicuos familiares haberet, animum in adverſa fortuna moderatum gereret,

Laurentius Gembicius Archi-Epiſcopus Vladiſlaüm itineri accinctum eleganti ſermone compellat.

5 April.

ret, iisque excitaretur majorum suorum exemplis, quæ Casimirus, Joannes Albertus Poloniæ Reges, & Pater Sigismundus cum penè id ætatis esset, cùm ad Regnum liberis arcesseretur suffragiis, abunde præberent. Meminisset verò ante omnia Patris, cui venerationem observantiámque Filius in altissimo positus Imperii culmine jure Divino humanóque deberet: ad extremùm faustam itineris apprecationem iis conclusit verbis: I decus I nostrum felicibus utere fatis. Gravis temperatúsq; & verborum sententiarum exemplorúmque pondere Archi-Episcopi sermo elicuit Regi & Principi lachrymas: cùm hic rupto, quo omnes defixi steterant, silentio, succinctè facundéque respondit: Virtutes quas tantopere cum fausta itineris apprecatione Archi-Episcopus commendaret, ut natalibus suis dignas amplecti se velle, in quibus præcipuum Regnorum columen basímque esse sciret, Reipub. Polonæ ita se memorem victurum, ut à sua promta propensáque voluntate optima sibi quæque polliceri exspectaréque possit. Serenissimo

Respondet Vladislaüs.

mo verò Patri quid obsequens deberet filius, perbellè se nosse: duraturam ubicunque esset terrarum suam erga optimum Parentem, quoad viveret, observantiam, nec dissolvendum unquam nisi ab extrema lethi horâ dulcissimi affectûs vinculum. Finito ab utrinque sermone Archi-Episcopus obtulit diploma Vladislao subscribendum: id verò quandoquidem nullibi inspexi, nec hactenus compertum habeo, frustra ejus contenta lector à me exspectabit divinandi ignaro, nec nisi certa exploratáque literis mandare solito.

subscribitque oblatum sibi diploma.

Postero die imploratâ in templo Varsoviæ principe S. Spiritûs ope, Sacris operante Archi-Episcopo, Vladislaüs ante maximam consistens aram, ab ejus manibus sacratum solenni precationum ritu gladium vexillúmque accepit, peractâque bene precandi Cæremoniâ, rectâ in summa populorum fausta lætáque apprecantium frequentiâ, partim occursantium, partim vias, specularia tectáque insidentium spectantiúmque, ad navem se contulit, Vistulam transmissurus:

6 April. *Templum adit, Gladium & Vexillum sacratum accipit.*

rus: Rege, Reginâ, Infante Suecia universâ aulâ deducente comitantéque, itérque extendente ad duodecim leucarum spatium (tantum enim Wilizyska à Varsovia distant) ubi à loci Domino Joanne Gostomscio Palatino Inovladislaviensi splendidè lautéque habitæ sunt Majestates. Accessit grata hospitis in Principem liberalitas, oblata videlicet Centuria peditum, ut lecta ita & deinceps ipsius sustentanda sumtibus. Jam post unius diëi spatium inter læta hilariáque, mutuis augustæ Domûs solatiis datum, Rex Varsoviam, Princeps Lublinum versùs abiit. Et ab utrinque non absque maximo doloris censu digressi sunt, cùm Filius procidens, Patris pedes arctè complexus valediceret, Pater verò manantibus ubertim lachrymis filii exosculatetur caput. Certatum deinde à Proceribus obsequio promtísque erga Principem studiis, abeuntem ultrò comitantibus Joanne Gostomscio Inovladislaviensi, Joanne Danielovicio Russiæ Palatinis, Raphaële Lescinio Castellano Visliciensi, Nicolao Wolscio

Abit Varsoviâ, deducente eum Rege ad domum Gostumscii Palatini Inovladislaviensis.

Ultimò Patri valedicit.

Deducitur Lublinum à viris primariis.

scio supremo Regni Marschalco, Nicolao Danielovicio Quæstore Regni, Christophoro Zbarascio Præfecto stabuli Regii, Paulo Dzialynio Bratianensi Præfecto, Jacobo Sobiescio, cæteráque nobilissimorum juvenum coronâ cinctus Lublinum progressus est. Atque urbi propinquum excepit loci Præfectus Jirlejus Castellanus Biecensis cum insigni nobilium globo, Magistratu Civiúmque militariter comparentibus signis, deduxêre etiam in Urbem obviàm progressi Kasimirscius Episcopus Camenecensis, Hieronymus Chodkievicius Castellanus Vilnensis, Constantinus Dux Ostrogiæ, & plerique alii numeroso cum equitum peditúmque splendido comitatu. Lublini salutantium officiis dies aliquot dedit, ubi Parlamenti Præses, qui tunc erat Martinus Tulibovius Judex Terrestris Brestensis, Collegii totius nomine Principi longâ oratione venerationem exhibuit, & Joannes Dux Ostrogiæ Castellanus Cracoviensis adventum felicémque ulterioris expeditionis susceptæ successum, gratulatus est.

Ubique honorificè excipitur.

Luceoriam movet.

eſt. Inde Luceoriam movit ac in tranſitu Volodimiriæ die Chriſto in cœlum aſcendenti feſto ſubſiſtens, templum ritûs Græci Romanæ devotum obedientiæ viſitavit, adfuítque Liturgiam peragenti Moracovio Epiſcopo, moréque illius Orientalis Eccleſiæ poſt verbis conceptis apprecationem ſolennem, Vexillum Moſchovitico ſtemmate inſigne conſuetâ ſacratum Cæremoniâ, Eudakino nobili Moſcho tenendum portandúmque tradidit. Secuta hinc magna Ruſſorum lætitia applauſúſque, at major Vladiſlaï fama, quaſi eorum populorum ſeſe accommodantis ſacris pietatíque, à quibus Religionis ſuæ apprime tenacibus Imperium ſibi delatum prætenderet.

Volodimiriæ Græci ritûs Liturgiam audit.

Angebat vehementer Vladiſlaüm expeditionis ſuæ remora, quam Turcarum ad bellum Poloniæ inferendum ingentes tunc feciſſent apparatûs: ita ut & ipſe in Ruſſiam divertere diutiúſque Luceoriæ degere cogeretur, & inſuper exercitu ſuo minui, cujus potiorem partem ad Zolkievium mittere neceſſe habebat. Et jam Skinder Baſſa, Tur-

Moleſtè fert ſe diutiùs Luceoriæ detineri.

Turcicis, Moldavicis, Valachicis, Tranſylvanicis, quas Betlehem Gabor ducebat, copiis auctus, potentem exercitum finibus Poloniæ admovebat, cùm Vladiſlaüs acceptis à Rege literis Luceoriâ movit Cremeneciam verſùs, ac in itinere Dubnæ reverſum Andream Szoldrſcium Præpoſitum Gneſnenſem, ſuum verò Cancellarium à Zolkievio, quò ablegatus erat, reperit, qui retulit temerarium videri Zolkievio, Vladiſlaüm ſeſe in occurſum tanti periculi objicere, improbaréque tam feſtinatum Luceoriâ abitum, ubi ſubſtitiſſet tutiùs: interim ſuadere, contineret ſe Cremeneciæ cum una legione peditum, reliquis verò copiis ductore Martino Kazanovio ſuos augeret exercitûs. Non arriſit conſilium Zolkievii Vladiſlao, qui quandoquidem jam caſtris duobus à Cremenecia milliaribus conſediſſet, ne quid famæ ſuæ detraheret, eadem ad Zbarazium oppidum promovere locaréque conſtituerat: inde verò & copias ad Zolkievium mittere, & ipſe loci munitione opportunitatéque fretus, cum ſuo peditatu

Cremeneciam verſùs abit, ubi ut ſe contineret Zolkievius ſuadet.

tu ſe continere decreverat. Commodè advenêre literæ à Proceribus Lithvaniæ ſcriptæ, præcipuè verò à Leone Sapieha Cancellario, ſuadente, tranſmitteret Polono duci copiarum partem, ipſe verò cum reliquis ſignis Moſchoviam verſùs iter acceleraret: idem monebat Chodkievicius ſupremus exercitûs dux, miſſis ad hæc aliquot Moſchorum Nobilium primariis, qui in Vladiſlaï partes tranſiverant. Zolkievius nihilominùs inculcabat crebrioribus literis, ne quidpiam inconſulto Patre ageret, ab ejúſque nutu expeditionis Moſchoviticæ progreſſum libenter dependêre pateretur. Vladiſlaüs quid ſibi è Lithvania nuntiaretur Regi expoſuit per literas, promtum ſe fore, inquiens, quidquid ejus Majeſtas cenſeret juberétve. & dum Regiam exſpectat voluntatem, tertiis caſtris ad fluvium ſtagnúmque Orinia promotis conſedit: ibíque tertio ab adventu die juſſus eſt à Rege in Moſchoviam contendere. Gratiſſimo exhilaratus nuntio illico copias ad Zolkievii exercitum ducendas Martino Kazanovio tradit: quatuor

Literas à Proceribus Lithvaniæ accipit, ut quamprimùm iter acceleret.

Id quoque Rex jubet.

tuor erant haſtatorum Equitum Centuriæ, Kazanovii, Vroviecii, Gnievoſii, Koſacovii: duæ velitum; Zardecii, & Vitoſlavii, præmiſerat enim paulò antè duas itidem haſtatorum Karſnicii & Lachadovii: tres velitum Rudcii, Rozniatovii, Koſicæ Centurias, & quadringentos pedites, delecto qui eas duceret Karſnicio viro militari expertóque Tribuno. At qui ſequebatur Vladiſlaüm exercitus, iis conſtabat turmis: Quatuor haſtatorum equitum, videlicet prætoria quam Conſtantinus Plichta Caſtellanus Sochaczovienſis aulæ Vladiſlaï Præfectus ducebat, Staniſlaï Zoravinii Belzenſis Caſtellani, Petri Opalinii Sremenſis Præfecti, & Jacobi Sobieſcii: velitum itidem quatuor, totidem Raitrum vexilla ductoribus Denhoffio & Medone: pedites bis mille ducenti ſuis cum Tribunis Kochanovio, Nieviarovio, Novomieyſcio, Appelmano. Atque eas omnes copias intra ſex & paulò ampliùs ſeptimanas Mohiloviam Urbem ad Boriſthenem celebrem convenire juſſit, ipſe expeditiore ſe illuc itinere contulit: tardiúſque

Mittit ad Zolkievium copias,

reliquas Mohiloviam convenire jubet.

diúſque ultra præſcriptum accedentes aliquantiſper exſpectavit.

Joannes Rydzicius mittitur in Moſchoviam cum literis.

Primùm à Subdelegatis Mohiloviæ conſilium habitum eſt, decretúmque mitioribus remediis tentandos Moſchorum animos: eapropter allegare viſum Joannem Rydzicium Regi à ſecretis, qui literas Metropolim ad Proceres univerſóſque deferret Ordines, nuntiantes: Venire Magnum Ducem Vladiſlaüm ad Imperium ultrò ſibi ab illis delatum dictóque ſacramento ſtabilitum, viderent ne ſe turpiſſimo polluerent perjurio, exſpectaréntque à Deo horrendi abominandíque ſceleris ultore vindictam: proinde reciperent Ducem Dominúmque ad ſubditos tranquillè pacatéque adventantem, aſſignaréntque locum ac tempus certis quæ ſupereſſent tractandis negotiis decidendíſque. Et quoniam Chodkievicius ſupremus armorum Dux jam ſuo cum exercitu Lithvano Drohobuſium obſidione cinxerat premebátque, monitus idcirco per literas à Subdelegatis, abſtineret interim ab arce oppugnandâ, quam ſatìs eſſet cin-

Chodkievicius, ut interea abſtineret ab oppugnatione Drohobuſii, monetur.

ctam tenere, aliàs Rydzicium nullam habiturum fidem, qui pacata omnia Moſchis deferret, ille verò vi armíſque excidium præſidiariorum attentaret. Verùm irrita Rydzicii legatio fuit, qui Viaſmæ detentus néve ultrà tenderet, prohibitus, rebus infectis rediit: & Moſchorum pervicacia jam non à mollioribus conſiliis ſed à ferro poſcebat remedium.

Rydzicii Legatio irrita.

Jámque Vladiſlaüs edoctus à Chodkievicio aliquot millia hoſtium obſeſſis ad ferendum, properare auxilium, accelerandum quoque ratus, Smolenſcum verſùs ſigna copiáſque quantocius promovere imperat. Et mox Smolenſci ſubſiſtentem poſitis ex adverſa Boriſthenis ripâ caſtris, Chodkievicius Drohobuſium adveniens ſalutavit: propoſitâq; quæſtione in Concilio militari quam in partem principiò Vladiſlaüs arma deſtinaret, Drohobuſium an Viaſmam peteret, graviter prudentérque diſſeruit: Drohobuſium ab armato Principe petendum eſſe, videlicet arcem illam primam Vladiſlaï fortunæ experimentum futuram, indéque

Vladiſlaüs Smolenſcum properat, & venit.

Chodkievicius ſuadet Drohobuſium ab armato Principe petendum.

que æstimandum ab hostibus, reliquum militiæ cursum locum esse summè opportunum, Moschis verò munitionem cordi curæque, & Michaëlis matrem quæ imbecillæ ætatis filio vicario assisteret regimine, quanti eam faceret, abunde declarasse, transmissis illuc ab ipsa Metropoli ducentis Nobilibus, certa ipsorum fidei, quàm uxores militantium in obsides acceptæ securiorem redderent, tum & inductis pluribus Sclopetariis, ostentato illis promissóque fidelis strenuæque navatæ operæ præmio, videlicet Nobilitatis prærogativa. Cœptam itaque deserere obsidionem ut inglorium, ita viso tanto exercitu Principis, auctáque ipsius advenientis famâ minimè desperandum, præsidiarios aut protinus ad partes accessuros, aut si vim experiri velint, subigendos: indéque & clementiæ, & terroris cæteras Moschoviæ arces exemplum habituras.

Approbata ab omnibus Chodkievicii sententia, (unum si demas Andream Lipscium Episcopum Luceoriensem) tantò plus æstimationis habuit, quantò postmodùm feli-

feliciore successu inclaruit. Motis namque castris Drohobusium versùs quò Vladislaus sexto pervenerat die, hostis adventantis Principis famâ præsentiâque exterritus, subitò deditionem fecit. Duo pro more gentis in præsidio erant Palatini, Joannes Ododurus, & Theodorus Sumovus, iis ex arce cum Chodkievicio cui, jam se suáque omnia permiserant, eúmque gratiæ Principis conciliatorem demissâ elegerant prece, egressi sunt mille circiter nobilium, sclopetariorum, cæterorúmque militum comitatu cincti: deinde Ordo Sacer cum Crucibus Divorúmque imaginibus processit: ad extremùm plebs effusa panem salémque & salutationis & servitii sui deditionísque indicium deferens. Vladislaüs ad tentorii aditum eminentiori in sella considens conspicuúsque ab utrinque aulicis, Tribunis, Centurionibus, turmis cohortibúsque ad ejus custodiam excubantibus circumdatus, supplicem excipiebat turbam, & Sanctorum effigies Crucésque à Russis Sacerdotibus oblatas osculo veneratus est.

Drohobusium se dedit.

11 Octobris.

Palatini veniam petunt, cæterique pro strati idem orant.

Palatinos poſt vexilla ad pedes ipſius abjecta humì proſtratos, veniam deprecantes audivit, implorantéſque Magni Ducis clementiam, in cujus poteſtate eſſet utì in perduellionis reos jus promeritæ necis: inſuper pollicentes in poſterum fide integrâ tanti delicti ignominiam dedecúſque à ſe eluendum. Reſpondit Vladiſlai nomine Leo Sapieha Cancellarius Lithvaniæ: Indulgere illis vitam, condonaréque enorme crimen Ducem Clementiſſimum: illorum jam muneris officiíque eſſe, promto obſequio, conſtanti fide, Magni Ducis in poſterum demereri gratiam, ſi quos verò Nobilium militúmque uxores liberíque & domeſticæ avocarent curæ, abitum ſe facilem permittere, eâ ſpe inductum, tantæ videlicet benignitatis clementiæque compotes popularibus ſuis perſuaſuros conſulturóſque, ut memores dicti ſacramenti facili acceſſione, devoto obſequio Magni Ducis præoccuparent gratiam, reciperéntque Electum à ſe Principem, ni extrema experiri patíque mallent. Suæ autem militiæ ſi qui adſcribi vellent, annuere

Indulget veniam Vladiſlaüs.

nuere ſe ſtipendia habituros non abſque gratiæ benignitatíſque ſingulari indicio. Tam amplâ præteritorum oblatâ veniâ conceſſâque abeundi, quò quiſque vellet, facultate, Theodorus Sumonus cum ducentis Nobilibus Metropolim ivit, & quò latiùs famam & clementiæ ſuæ & munificentiæ Vladiſlaüs ſpargeret, ſingulos Nobilium duobus aureis Hungaricis donatos dimiſit, Cæteri cum Palatino Ododurovo in obſequio ſui Ducis remanſêre. Interea Chodkievicius componendis Drohobuſii rebus animum intendebat. Civitas hæc Boriſthenis fluvio aſſidet, à Smolenſco octodecim circiter milliaribus diſſita, populo frequentiori olim habitata. Civitati imminet collis cui Caſtellum egregiè munitum impoſitum fuit, aliud in valle ad defenſionem civium percommodum ſtructum. Illi itaq; Chodkievicius Nieviarovium cum ſuo peditatu impoſuit, huic Appelmanum: recepta annotatáque tormenta, pulvis bellicus, globi, cæteráque munitioni arcium perneceſſaria, quibus hoſtis optimè inſtructus erat.

In nonnullos etiam liberalis.

Chodkievicius res Drohobuſii ordinat.

 Jam

Jam felix auſpicatúſque capti Drohobuſii progreſſus invitabat Vladiſlaüm ut ſuæ inſiſteret felicitati victoriiſque, quas fama ipſius prænuntia ultrò accelerare, expugnarétque rebellium animos: ac proinde Viaſmam è veſtigio movenda eſſe arma ſuaſere Lipſcius Epiſcopus & Sapieha Cancellarius Lithvaniæ rationibus profectò firmis validiſque: Occurrendum eſſe quantocius copiis à Metropoli ad ſolvendam Drohobuſii obſidionem miſſis, quæ ad Viaſmam ſubſiſterent, præoccupandáſque celeritate minimè tanti exercitûs robur laturas: inſuper ab ipſius Principis præſentiâ conſternatas: profligatum verò hoſtem numero exiguum, magnum ubique per Moſchoviam terrorem trepidationémque illaturum, quippe in iis ſignis, quæ millium quatuor numerum haud excederent, ſpem fiduciámque collocantem. Jam verò nec levioris incommodi eſſe, ſi exercitus ſuis gravior colonis hyberna ad Drohobuſium caperet, in hoſtico expeditiùs alendus: præſertim cùm legionibus quæ Vladiſlaüm ſecutæ

Capto Drohobuſio Viaſmam petendam ſuadent Subdelegati.

cutæ ſunt, ne quicquam de re cibaria unde eam petituri eſſent, proviſum ſit: ſuis è contrario copiis Chodkievicius vicos pagóſque Smolenſcum circumſtantes, totúmq; illum tractum diſtribuerit. Deinde ſequendam fortunam, inſtandum celeritate, oſtentandum Populis Principem, à cujus præſentiâ clementiam implorarent: ſat dediſſe exempli Drohobuſium cæteris arcibus, eandem ſpem & Viaſmâ potiundi affulgere: Ad extremùm habendam Reipub. rationem, nec diuturno implicandam bello, nec militem uno conſiſtentem loco otioſum deſidémque habendum. Chodkievicius è contrario incommoda inſtantis hiemis cauſatus, legiones verò ſuas æris vacuas egenáſque difficilè à ſtativis avocari poſſe, quas reï frumentariæ copia aliquantùm quietiores faceret; aliàs militem loco motum, exhauſtum, bellicis oneribus imparem, refractarium futurum. Spei Viaſmæ obtinendæ exemplóque Drohobuſii inniti, vetare belli momenta, tempúſque minimè aptum apertæ obſidioni arcium memorabat: atque ob in-

Chodkievicius è contrario.

intempeſtivitatem fructum nullum, ibíque diutiùs hærere Principi indecorum: integriore famâ ad Drohobuſium hibernaturum, unde miles pabulatum latè exire, excurſionibus caſtellíſque pro opportunitate excitatis hoſtem fatigare poſſet: cadente donec hieme validior exercitus auctúſque ſtipendiis emitteretur. Hæc referebat Chodkievicius, non tam ſuo quàm Centurionum militúmque conſilio, quibus ſtativa ædificiis aucta, re cibariâ opulenta, contra hiemis rigorem optimè munita, deſerere grave videbatur.

Et jam fixum erat ad Drohobuſium hiberna ſumere, cùm interea Delecti qui Magiſtratûs Civium incolarúmq; Viaſmenſium nomine Vladiſlaüm adirent, venêre, in ejúſque adducti conſpectum edocuêre, Moſchorum copias adventu Magni Ducis perterritas, fugam Metropolim verſùs arripuiſſe, Viaſmenſes verò juramenti memores, deferre Magno Duci Moſchoviæ Vladiſlao debitum ſubditorum obſequium, fateri crimen quod commiſiſſent, implorare nihi-

Interim Viaſmenſes ſupplices veniunt, deditionem offerunt.

nihilominùs ſupplices benigni Principis miſericordiam, ejúſque ſe ſuáque omnia gratiæ permittere. Vladiſlaüs ſpe clementiæ Legatis factâ molliore recreatos reſponſo dimiſit, ac præire juſſis Sehino, Eudaclino, Eugulzieio Palatino Viaſmæ, qui arcem Urbémque & ab incolis fidelitatis juramentum reciperent, ipſemet quinto, poſtquam moverat die, Viaſmam acceſſit, inſtructâ acie ad augendam ſui adventûs famam, quam plerique Moſchorum ſpeculatores illuc immiſſi attentiùs obſervabant. Occupatâ deditâque Viaſmâ, nuntiatur fugitivas illas copias Moſchorum Moſaïſcum prætergreſſas, Metropolim petiiſſe, cæteros deſertis ſignis hinc & inde dilapſos, Moſaïſcum nullo teneri præſidio, arcem apertam invalidámque, incolas verò Vladiſlao Magno Duci deditionem facere velle. Pandebat fortuna viam Vladiſlao, unicámque comitem expoſcebat celeritatem, quæ torrentis adinſtar arces urbéſque hoſti exterrito abriperet, ſuóque reſtitueret Domino. Suaſere Subdelegati mittendam quantociùs copia-

recipiuntur clementer, eóque ſe Vladiſlaüs confert.

29 Octob.

Suadent Subdele-

Mosaiscum quantocius præsidio forti insidendum. copiarum partem, quæ Mosaïscum inſideret, priuſquam ſe hoſtis ex fugâ & terrore reciperet: contumace ad hæc milite aſpernantéque ducum imperia, egeſtatem, commeatûs defficultatem, equorum, pecuniæ, famulitii inopiam prætendente: niſi fortaſſe duces omnem in militem culpam rejeciſſent, à qua ſe immunes fore ſperabant, ſi illorum conſilia militaris contumacia obtexiſſet. *Miles renuit, & fortaſſe ipſi duces.* Et hîc primum felicitatis curſum propitia Moſchis, adverſa Vladiſlao ſtitere fata: quanti enim intererat Moſaïſco potiri loco maximè opportuno, Metropoli vicino, ad excurſiones faciendas explicandáſque copias percommodo, brevi ac non niſi cum ingenti damno rerúmque bellicarum remora apparuit. *ſummo cum detrimento rerum poſtea gerendarum, hicque primus error fuit.* Poſteaquam etenim Moſchis innotuit noſtros lentiùs agere, neq; ſuæ inſiſtere fortunæ, tantò majori iterum accurrunt Moſaïſcum celeritate, validum inducunt præſidium, adverſùm externam vim novis propugnaculis muniunt, caſtellis circumcirca excitatis firmant, ſecuriores audentioréſque obtento recuperatóque loco, qui

qui Polonorum ſiſteret impetum victoriáſque moraretur.

At Chodkievicius inſtante hiemis ſævitiâ opportunè legiones in hibernis collocat, aſſignatis militi per vicos pagóſque in Viaſmenſi tractu agróque contuberniis, relictis Viaſmæ ad Vladiſlaï corporis cuſtodiam ſelectioribus equitum cataphractorum peditúmque ſignis. *Chodkievicius militem in hiberna distribuit.* Interim ut hoſtem undique diſtractum diſtentúmque teneret, certa aſſignat loca, quæ miſſæ ſparſim ſuis cum ducibus copiæ excitatis Caſtellis communirent, impediréntque hoſtium eruptiones, ſuis verò excurſionibus fatigarent, liberámque pabulandi præſtarent copiam. Et quoniam primus à Moſaïſci præſidiariis metus periculúmve erat, properare jubet. Chodkievicius Rezicium ac Oporovium ſuis cum velitum turmis ad Carovum oppidum ſex Viaſmâ, Moſaïſco decem milliaribus procul, excitaréque Caſtellum, quo probè communito ibidem excubias agerent, Moſaïſcenſium explorarent conſilia, obſervarent conatûs, illúmque tractum per- *Rezicium & Oporovium Centuriones versùs Mosaiscum expedit.* cur-

currerent. Sed Centuriones dum lentiùs agunt præsertim Rezicius, namque Oporovius recens advenerat in locum Rucii suffectus, miles verò per pagos distributus nullâ munitionis curâ liberiùs dissolutâque castrensi disciplinâ, nullis antepositis vigiliis delitescit, hostis à rustico colono, quo inconsultè Rezicius exploratore usus erat, monitus, eóque duce noctu stationem invadit, Rezicium suis cum turmalibus compotantem aggreditur capítque, frustra in subsidium advolante Oporovio, quem arrepto Rezicii vexillo ex equo pugnantem strenuè, sauciúmque vivum abducit, editáque multorum strage à qua paucos Viasmam fuga subduxerat, pluribus captivis ante se actis, victor abscedit. Reparasse cladem videbatur Koniuchus Moschorum primarius Vladislaï partibus addictior bellóque strenuus, excitato ad reprimendos Mosaïscenses castello, in illúdque ducentis equitibus peditibúsque inductis, sed penè tantum intulit infami Mosaïscum transfugio, relictâ arce milite vacuâ, eóque magis ad

Rezicius negligenter agit capitúrque ab hoste.

Koniuchus fugit ad suos.

ad ejus rei nuntium Viasmæ trepidatum est, quo ille plus indubitatæ apud Principem fidei habuisset. Hinc auctæ excubiæ, urbis propugnacula crebro defensore insessa, universæq; peditum Hungarorum ac Germanorum legiones in patenti instructæ dispositæque campo, turmæ equitum ad custodiam Vladislaï admotæ: ad extremùm acsi jam hostis præ foribus esset expeditus tenebatur miles. Namque non desistebant Moschi partim ab ipsa Metropoli, partim à Mosaïsco immissis speculatoribus popularium suorum tentare fidem, avocaréque dedentium sese à Vladislao animos: quam in rem spargebant literas cleri Rutheni chirographis signatas, præstiti juramenti validitatem impugnantes, nullóque ampliùs populos teneri præterquam eo, quod Michaëli Fiedorovicio nuper præstitissent, edocentes. Verùm hi proseminatores literarum conquisiti punitíque, brevi conticuêre, divulgato ad hæc responso Archi-Episcopi Smolenscensis satìs minaci rigidóque, & futiles adversariorum diluente rationes.

Metus inde Viasmæ.

 Atque

Calugam Pozarſcius cum Zarucianis velitibus intrat.

Atque dum hæc inter Moſaïſcum & Viaſmam geruntur, Calugam urbem arcémq; & ſuis cladibus, & Demetrii Impoſtoris ſede cædéq;, unde Caluſienſis dictus erat, celebrem, ſeptem millia lectiſſimorum militum duce Pozarſcio intravêre. Ac inter eos erant quinque millia equitum, Zarucii ſtrenui olim expertíque Tribuni reliquiæ, & quia in bellis Moſchoviticis ſpectati exercitatíque, verebatur Pozarſcius ne ad Vladiſlaï, ad quem inclinabant, accederent partes: idcirco eos è campo dextrè cautéque perſolutis ſtipendiis in arcem transſtulit, unde difficiliùs haberent transfugium tutiúſque eorum inter munimenta conſilia circumſpiceret obſervarétque. Et huic Zarucii militiæ oppoſuerat Vladiſlaüs ab initio ſtatim copias Liſovianas, à duce olim Alexandro Liſovio denominatas, viro noti in exercitu roboris audaciæque, & qui laceratis ſæpius intimis Moſchoviæ viſceribus, univerſam quàquà patet pervagatus, ad Ryphæos uſque montes gentéſque incognitas victricia ſigna protulerat: &

Zarucianis opponit Vladiſlaüs Liſovienſes cum ſuo duce Czaplinio.

& quemadmodum ipſe mirè ad depoſcenda pericula projectus, tales quoque ſuos volebat milites: eóſque propterea tanquam morti à ſe devotos militari vocabulo, ſed uſitato à Claudio Barlota in Belgarum bellis ſibi per omnia conſimili, perditos appellare ſolebat. Et has quidem copias à morte Liſovii regebat Czaplinius in ejus militari eruditus ſcholâ, vir ſtrenuus & qui tanto magiſtro par eſſet diſcipulus. Accepto namque mandato Vladiſlaï, dux inquies percurrebat ſummâ celeritate longè latéque Moſchoviam, terrorem vaſtitatémque inferens, Zarucianas inquirens ac profligans turmas; & ad Meſcerſcum feliciſſimè ubi illi ad arcem confugerant. Urbem namque primò animoſè aggreditur & expugnat, deletis penè ad internecionem incolis, eò quòd deditionem recuſaſſent: Zarucianos ad arcem ſeſe recipientes obſidet, aquam adimit, mox & premit: illi adacti neceſſitate paciſcuntur, tradituros ſe Czaplinio arcem cum omni bellico inſtrumento modò liberos dimitteret, ídque jurejurando ſponderet.

Strada decad: 2. lib 8.

Is ad Meſcerſcum feliciter rem gerit.

Urbem & arcem capto Palatino expugnat.

ret. Czaplinius, qui videret quanti interesset eo potiri loco, assentitur, mox victoriæ reportatæ, arcis receptæ nuntium Vladislao Viasmam, ejúsque additamentum Præfectum urbis arcísque, quem Moschi Palatinum vocant, captivum misit.

Petrus Opalinius mittitur contra Pozarscium.

Ex hac occasione destinatur illuc Petrus Opalinius Sremensis Præfectus cum valida equitum manu, jubetúrque arma circumferre, hostem crebris discursionibus sollicitum habere, collatóque cum Czaplinio Lisovianísque consilio, munitiones excitare, obsideréque hostem. Quodsi Pozarscius aut Metropolim, aut Mosaiscum se suis cum copiis reciperet, pugnæ illico copiam faceret lacesserétque abeuntem. Nec segniter Opalinius rem gessit: excitato namque ad Tovarkoviam Castello quatuor à Caluga milliaribus, maxima inde hosti damna intulit, evocatúmque stratagemate extra urbem arcémque Pozarscium fortissimè repressit, cæsis compluribus, captis quinquaginta, hostium, ac inter eos Pozarscii nepote: majori subsecuturâ clade, nisi Li-

Hosti damna infert non absque cæde illius.

Lisovianarum cohortium alacritas tempestiviùs quàm par erat ex insidiis consurgens, plenum victoriæ fructum abstulisset. Inciderat Opalinius in Pozarscium ducem cautum bellíque occasiones summè observantem, qui à prima rebellione cujus inter cæteros primarius auctor antesignanúsque fuit, continuò in armis versatus, non leve experimentum acquisiverat. Hinc audentior contra Opalinii conatûs ibat, & ut incerta plerumque est belli alea, quandoque etiam superior evadebat. Miserat Pozarscius octingentos equites & quadringentos pedites qui inter Borowskum & Calugam quatuor à Tovarcovia milliaribus munitionem nostris imponerent, attentos operi Moschos celeriúsque insistententes, fortè illuc delatæ turmæ equitum Denhoffii & Ramulti, quæ jussu Opalinii exploratum abierant, reperiunt, tum invadunt, sed iniquiore Marte, namque occisus Novovieiscius, & è Denhoffii turmâ undecim cecidêre, Chelmscius Kasmierscius graviter saucii nec absque equorum

Pozarscius Dux belli cautus.

Varia inter illum & Opalinium certamina.

rum ſtrage ſeſe recepêre, Moſchis nequicquam ab opere deſiſtentibus: in caſſum ferente Opalinio ſubſidium, qui ad primum nuntium ſtatim advenerat. Compenſaſſe videbatur illatam cædem cæſis paulò pòſt à Ramulto viro militari propè ducentis Moſchorum, quos Pozarſcius duce Piechonkâ celebri famoſóque prædone ſpeculatum emiſerat; ſed Ramulti equitum egregii ductoris in ipſo victoriæ curſu mors à ſclopetario illata, non leviter & militem & Opalinium affecit. Nec deſiſtebant crebris inter ſe certare velitationibus Opalinius ac Pozarſcius, ille Calugam cum Liſovianorum turmis ſuíſque copiis derepente aggreſſus, hoſtem non auſum egredi injecto in urbem igne exterruit: hic munitionem quinto à Tovarcoviâ milliari reï frumentariæ conſervandæ deponendæque gratiâ ſtructam, & à militum Opaliniíque famulitio inſeſſam, immiſſis Moſchorum manipulis triduo oppugnantibus, expugnatam incendit, ſecutâ defendentium ſtrage, nec minori oppugnantium clade, ac ſuppellectilis ca-

Ramultus equitum Centurio cadit.

ſtrenſis reïque cibariæ damno. Atque ita toto illo tempore quo Opalinius ad Tovarcoviam armatus conſtiterat, inter frequentes conflictûs excurſionéſque anxios tenebat hoſtes: iniquiore illorum fortunâ, cùm nec ultrà progredi poſſent, & pugnæ aleam ſubire detrectarent, agrorum ſuorum vaſtitatem impune ſpectantes.

Opalinius ubique hoſtes coërcet.

Per idem tempus medio à Biala lapide, Meſcerinus Nobilis ſpectatæque erga Principem fideï Moſchus caſtellum erexerat, contra Chodkievicii votum, cujus mandatum erat paulò remotiùs id exſequi ad hoſtium exploranda conſilia libertatémque pabulandi aperiendam. Sed vir militaris nihil omiſit quidquid ab ipſius erga Vladiſlaüm conſtanti animo fidéque proficiſci poſſet. Cæſis namque multoties hoſtibus victor rediit, captivis majoris notæ Viaſmam miſſis fortitudinis ſuæ ſpecimen probavit, arcem inſuper ſtrinxit ademto qui vehebatur commeatu, multis ad extremùm clarus tropæis, bellis hiſce inclaruit, maximè verò inſigni fidelitate, quaſi ſuæ gen-

Meſcerinus Moſchus Nobilis ſpectatæ fidei rem ubique ſtrenuè gerit.

Fidus Vladiſlao ſemper.

gentis mores geniúmque penitus exuisset. Hæc erat Biala Alexandri Gosievii, prout superiùs diximus, ductu fortíque operâ ad deditionem compulsa, quæ interim à Moschis erepta illorum præsidiis tenebatur, animosè pro ea conservanda decertantibus: si is animus paulò pòst non deseruisset Chelcovum arcis urbísque Præfectum loco turpiter excedentem, incolis verò in Vladislaï concedentibus potestatem.

Poloni excursionibus totâ hieme hostem fatigant.

Collocaverat pigra hiems at non impigrum militem in stativis: namque præter excitata pluribus in locis castella munitionésque hosti negotium facessentes, erumpebant selectiores equitum turmæ mandato ducum in omnes Moschoviæ partes, tum ad aliquos excipiendos ex quibus hostium consilia cognosceret, tum pabulandi inferendæque annonæ causâ: nonnulli verò ad depopulandas regiones missi, excisis urbibus, dissipatis hostium, si uspiam comparerent, manipulis, raro cedente infeliciter ludo qui in Martia arena non absque mutuo sanguine victorem facit, onusti prædâ capti-

ptivísque ad Vladislaüm redibant. Et primam iis in excursionibus laudem deberi Lisovianis duce Czaplinio turmis invenio in actis diurnis: nec postremam viris militaribus Sokolovio & Jakuszevio velitum ductoribus, qui frequentes ex hostibus victis laureas in gremium Vladislaï deposuêre. Quanquam nec cæteras legiones quandoque è suis emissas stativis debito privare velim encomio, quæ strenuam præstitêre operam hoste suorum cladem & terrarum vastitatem multoties deplorante, qui apertum subterfugiens campum nonnunquam furtivis irruptionibus famulitii sparsim per vicos degentis negligentiam inertiámque castigabat.

Laudem in iis tulit Czaplinius, Sokolovius, & Jakuszevius.

Novum quoque per id tempus Chodkievicius stratagema moliebatur Mosaisci intercipiendi, quod licèt successu caruerit, referre nihilominus libet, quandoquidem egregius ille conatus à præsentia Vladislaï famam receperit. Ultrò ejus loci, ut retulimus, fortuna deditionem obtulerat benigno aspirans favore, refractarius obstitit mi-

stratagema Chodkievicii ad intercipiendum Mosaiscum,

miles, ſeróque ſuum damnavit conſilium: cùm inde erumpentis validíque hoſtis ſentiret incommoda, & indies maximum diſcrimen periculáque impendére præviderent duces, vehementer anxii, quandoquidem cautior hoſtis ita ſe contineret, ut difficulter raróque exploratoribus ejus conſilia paterent.

Qualiter instructum.

Summo itaque ſilentio raptis legionibus Chodkievicius ex inopinato aggreſſurus arcem, properandum ſtatuit, in eum modum exſequendi negotii uſurus opportunitate. Agentem videlicet in campo extra urbis arcíſque ambitum equitatum peditatúmque hoſtilem noctu invadere deſtinabat, eo diſſipato fugienti inſiſtere tergíſque inhærere & unà cum iis ad urbem ſeſe recipientibus irrumpere, tectíſque ignem injicere decreverat. In hoc tumultu conſternatíque hoſtis terrore armorúmque ſtrepitu cuipiam qui ad portam arcis pyloclaſtrum admoveret negotium dederat, aſſignatis peditum ſignis irruendi occaſionem captaturis. Quodſi verò hoſtis pugnam non detrectaret, habebat quas opponeret copias ideóque ſelectiores & numeroſiores eduxerat. Ibant equitum haſtatorum centuriæ quinque, Chodkievicii, Goſievii, Kiſcii, Nicolaï Zienievicii Præfecti Minſcenſis, Gembulti. Raitrum tres, Medonii, Klebeci, Gadeni. Velitum totidem; pedites ducebat Lermuntus ac Buthlerus quingentos, pari numero Nieviarovius, & Bartholomæi Novoduorſcii Equitis Melitenſis quinque ſignis conſtabat legio, adjunctis campeſtribus tormentis aliquot. Ardebat Vladiſlaï animus ad ſubitariam expeditionem, promtúſque & alacer ad eam ſe obtulerat, nec à variantibus Subdelegatorum ſententiis nequicquam retineri poterat. Illi namq; inito inter ſe conſilio, an è dignitate Principis foret erumpentium militum præeſſe miſceréque ſeſe copiis: obſtitêre Chodkievicius ſummus armorum Dux, Conſtantinus Plichta Caſtellanus Sochacevienſis, & Jacobus Sobieſcius, differentes: Securitatem quidem bene animatas legiones præbere poſſe, at maximam honoris ducendam ra-

Princeps Vladiſlaüs an in Perſona adeſſe deberet, Subdelegati dubitant.

rationem, abſque cujus jactura difficulter Princeps ad ſubitaneam eruptionem procederet. Si namque authoritas exiſtimatióque ſupremis ducibus id vetaret, ideóque per notæ potiùs virtutis Tribunos ejuſmodi res exſequerentur, quantò magis cavendum eſſe Regio juveni prima tunc militiæ rudimenta deponenti, verendúmque, ne Rex & Reſpub. à conſentientibus Subdelegatis tantæ levitatis rationem expoſceret. Adhæc: eruptiones haſce clandeſtinas eſſe veluti quædam militaria furta ſub ignoti perſonâ attentanda: jam verò quæ larva totum Principem tegeret, quâ ratione ejus celari poſſet Viaſmæ abſentia. Quodſi votis non arrideret ſucceſſus, rebúſque infectis abſcedendum foret, Principis famæ non levem notam, hoſtibus verò animos audaciámque acceſſuram. Sed Vladiſlaï præclaram mentem egregiorum operum avidam, quæque mallet ſucceſſum ſibi quàm animum defuiſſe, faventi ſententiâ ſtabilivit Andreas Lipſcius Epiſcopus Luceoriæ, aſſeruítque expeditioni huic meritò Vladiſlaüm inter

E contrario differit Andreas Lipſcius Epiſcopus Luceorienſis.

intereſſe debere, exemplo ſuo militum ardorem ſimul & amorem excitaturo: qui id ætatis, inſuper Regii ſanguinis prærogativâ venerandus, ultrò ſeſe commilitonibus miſceret, nec laborum militarium conſortium detrectaret, incorrupto Principis honore. Pertinere quoque id ad ipſius famam, bellicoſi juvenis hoſtibus metum reverentiámque incuſſuram. Ad hæc juventam iis exercere laboribus, formari aſſueſceréque non inglorium, magníſque Regibus ac Principibus olim haud indecorum. A rebus verò optato ſucceſſu carentibus nullum æſtimationi acceſſurum detrimentum, ſiquidem clandeſtinas haſce eruptiones ſubitaneáſque in omnem eventum ſuſcipi ſæpéque leviſſimis intercedentibus momentis evaneſcere docuit bellorum experientia, nullo ducum honoris ac famæ diſpendio. Abituro verò ſelectis cum legionibus Chodkievicio, quænam manenti Viaſmæ Principi relicta ſecuritas foret abſente Duce militiáque?

Nec tantopere certantium inter ſe Delega-

Et Vladiſlaüs contra omnium vota animatus erat, ſeque dat itineri.

gatorum ſententiis afficiebatur Vladiſlaüs, qui jam ſponte ſuâ animatus, eundíque vel invitis etiam Subdelegatis certus, itineri ſeſe accinxerat: connivente poſtmodùm Chodkievicio, cujus interim ad ſtationem diverterat quoad ſigna moveret: iiſque noctu juſſu Chodkievicii motis, ipſe quoque ſecutus eſt relicto Charlinio Viaſmæ, qui reſiduis, pro cuſtodiâ loci, equitum peditúmque præeſſet turmis. Ac totâ illâ nocte ad ſequentis dieï meridiem miles proceſſerat, venerátque tardiùs ad Carovum oppidum: injecta namque erat à tormentis peditatúque remora, qui expeditum equitem lento ſequebatur fatigatúſque gradu, obſtante viarum difficultate, idcirco & deſtinatum aggrediendi Moſaïſci tempus differri debebatur. Et ecce poſt continuatum iter, tertiò à Moſaïſco milliari fit obviàm à Metropoli redux Bacinius, illuc paulò ante ad Proceres cum literis miſſus, quinquaginta equitum Moſchorum comitante globo, redeuntíque ſecuritatem præbente. Is verò à præcedentibus exercitum excubiis diſjectus fuſúſque

fúſque

fúſque, cùm ſubitò captivis patuit Bacinium adventare, cujus is comitatus ſecuritatis cauſâ eſſet. Atque ille adveniens retulit in caſſum eam parari aggreſſionem, quæ à ſex diebus hoſti per ſpeculatores pateret: adeſſe Likovum cum ſelectis octo equitum peditúmque millibus: locum ipſum largiore foſſâ vallóque eminenti munitum firmúmque eſſe & à bene animatis inſideri præſidiariis: inſuper objectam undique ſepem ab arrectariis palis tranſverſariiſque trabibus ſubitâ aggreſſione reſcindi, & vallum foſſámque ſuperari vix poſſibile videri, præſertim gnaros ejus conſilii intentóſque in omnem, ſi qua ingrueret, vim, à ſolâque fame Moſaïſcum expugnari poſſe cenſebatur.

Bacinius à Metropoli redux obviàm factus aggreſſionem Moſaiſci diſſuadet.

Edoctus à Bacinio Chodkievicius attentatíque Moſaïſci ſpe penitus evolutus, ut progredi hoſtíque innoxia ſigna oſtentare inglorium indecorúmque reputabat, ita obſidionem acris hiems & reï cibariæ inopia penitus vetabatur. Noctem itaque ibidem cum exercitu ſubſiſtens egit, cui propter vicinum hoſtem validiores circumde-

Redit re infectâ Chodkievicius cum Vladiſlao & exercitu.

Vvv derat

derat excubias, pugnæ avidus si ejus copiam haberet. At hoste non comparente & quietissimè Mosaïsci se continente, altero die receptui cani jubet, promotísque retro ad quartum milliare castris, per captivos tres libertate donatos dimissósq; Likovo scribit: *Bacinii ultra jus gentium diutiùs detenti publicam injuriam, tum excursiones vestras durantibus induciis, damnáque à vobis illata ulcisci se in animo habuisse, progressúmque hucusque pugnandi factorum necessitatem. Obvium interim sibi factum Bacinium literas injectâ spe pacis ad se deferentem, proinde cohibere se signa, revertique ad vestrum Magnum Ducem Vladislaüm, eámque ad pacem stabiliendam animorum vestrorum propensionem ipsius Celsitudini Viasmæ relaturum, unde mox duos iterum quos haberet captivos, cum responso dimitteret.* Hæc eo animo à Chodkievicio scripta sunt, ut & eruptionis subitaneæ consilia ejúsque irritum conatum specioso obtegeret prætextu, & Vladislaï celaret præsentiam: quæ tamen ab exploratoribus hosti patebat. Atque ita rebus infectis rediêre Viasmam copiæ, frigore intenso, fame attenuatæ, magno

Ad Likovum dat literas.

magno cum equitum & equorum detrimento, majore peditum, quorum permultos rigor hiemis absumsit.

Sed dum rebelli Moschoviæ per hiemem arma ostentantur inferuntúrque, Delegati Regii & Reipub. quod sui muneris erat, consilio Moschorum animos experiebantur, num ad mitiora flecti possent tractatuum injectâ mentione, quibus absque tanto cruoris diluvio negotium componeretur. Et bis quidem in cassum missus Rydzicius, primùm à Viasmâ, deinde à Mosaïsco, non exceptus tantùm sed ne auditus quidem, rejectus erat: feliciùs ad ipsam Metropolim penetrante Bacinio levis armaturæ commilitone cum literis Delegatorum, quibus Moschos ad jusjurandi religionem revocabant, & Vladislaï clementiam pollicebantur. Attulerat ille responsum verbis ad barbariem gentis accommodatis inclementiùs, non absque aliquâ in Vladislaüm contumeliâ, cujus Electi Ducis mentionem gravissimè ferebant: injectâ tamen aliquâ tractatuum spe. Quapropter ex-

Delegati Regii Moschis tractatuum mentionem injiciunt per Rydzicium parùm feliciter.

expeditus tertiò Rydzicius, qui dextre ad colloquium cum Delegatis Moſchorum Proceres evocaret, loco ad Viaſmam, tempore, diéque à vigeſimâ Januarii ad vigeſimam Aprilis definito, ceſſantibus interim ab utrinque armis. Rydzicius prope Moſaïſcum exceptus à Moſchis, urbem tamen adire prohibitus flexo ad latus itinere Metropolim deductus eſt, occurrentibus in itinere diſpoſitiſque è compoſito militaribus turmis, quæ virium famam augerent oſtentaréntque. Injectus quoque à Likovo tranſeunti metus nimis faſtuoſe percunctante, quidnam Moſchoviæ Proceribus ferret? adjicientéque minas verbis arrogantiæ contumeliæque plenis, ſi Vladiſlaüm Magni Ducis inſignire titulo pergeret, ſciret ſe à conſpirante populo fruſtatim conſcindendum diſcerpendúmque. Verùm Rydzicius gnarus morum faſtuoſæ gentis ac ſubdolæ, conſtanti præfidentíque animo bene munitus taliúmque contemtor, Metropolim pervenit, inductúſque in frequentem & ultra ſolitum numeroſiorem Procerum

28. Decemb. Expeditus ille tertiò. 1618. Excipitur à Moſchis prope Moſaiſcum. à Likovo terretur. Metropolim venit auditúrque in frequenti conſeſſu.

rum populíque concionem, legationis ſuæ capita expoſuit, auditúſque ſummo cum omnium ſilentio: ſolâ factione Michaëlis frendente ad Vladiſlaï Electi Magni Ducis juramentíque præſtiti mentionem à Rydzicio factam, pluribus verò immotis blandéque auſcultantibus. Expoſitis legationis mandatis Rydzicium perhumaniter dimiſère, quo paucos intra dies iterum advocato, propoſuère; colloquium cum Delegatis Polonis non poſſe inſtitui, niſi exhibito inſpectóque ſufficienti ac legitimo mandato Regis ac Reïpub. ſi quod haberent ad omnes controverſias definiendas. Moſchorum Legatos abſque liberi commeatûs teſſerâ à Delegatis dandâ nolle ad colloquium deſcendere. Temporis definiti brevitate non poſſe ſe coarctari, quod prorogandum cenſerent. Ceſſationem armorum trimeſtrem fruſtra peti, niſi legiones Poloniæ è Moſchoviæ terris excederent, aliàs tractationem pacificationis haud ſeriò proceſſuram. Et hoc quidem reſponſum Rydzicius in ſcripto accepit, cui inſuper adjecère miſ-

Reſponſum quale accipit.

 ſuros

ſuros ſe propediem Legatum modò illi non derogaretur liberi commeatûs teſſera, qui de loco, tempore, colloquentium numero cum Delegatis ageret, ſtatuerétque: commutationem, captivorum inſignium non eſſe urgendam tantopere, niſi ipſi quoque Philaretum & Gallicinum reſtituerent, aut certè id permitterent felici tractandi negotii ſucceſſui. Atque ad eum modum Rydzicium ſatis cautè benignéque habitum intra perbreve tempus, contra gentis ſuæ genium, expedivere.

Moſchi viciſſim ſuum Legatum mittunt.

Adfuit deinde ſub initium Menſis Aprilis, quem polliciti erant, Legatus Joannes Laurentii Condiovus comite ſuæ Legationis & Notario Theodoro Stephani: deductúſque à ducentis equitibus honoris causâ obviàm miſſis ad ſtationem extra Urbem, adjunctis qui munere paraſtatorum fungerentur Malinio & Nieborovio. Poſtero die inter ab utrinque viarum explicata peditum Germanorum ac Hungarorum vexilla

Excipitur honorificè & Legationem exponit.

proceſſit ad Leonis Sapiehæ tunc abſentis domum ſplendidè adornatam: ubi à Delegatis

gatis exſpectatur: poſt mutua ſalutationum officia, legationem, cujus hæc erat ſumma, propoſuit. Miſſum ſe eſſe à Proceribus Moſchorum ut cum Delegatis Polonis de loco, tempore inſtituendorum tractatuum, & comitatu ab utrinque colloquentium conferret ſtatuerétque, flagitare tamen Proceres ut ſuis è terris Polonus excederet miles, quo amoto trimeſtres inducias libenter indulgerent. Nominavit deinde Legatos à partibus Moſchorum adfuturos: Petrum Seremetum, Danielem Mezecium, Arthemium Iſmaëlem, Trzeciakovum à Secretis. Atque dum hæc referret fuſiùs, titulus Magni Ducis Michaëlis cum prolixa terrarum Regionúmque ſerie à Legato recenſitus, offendit Delegatos, exortúſque adſtantium ingens ſtrepitus, ſibili, acclamationes, immoto conſtantíque ad hæc Legato: facerent, inquit, quod liberet, ſibi quoque eandem obſtrependi alienis titulis ſalvam eſſe libertatem. Compellati tandem ambo blandiùs à Delegatis, déque ſalute ac itinerum commoditate officioſiùs requiſiti, perhumaniter

ter dimissi sunt, iis quæ ad disceptandum proposuissent negotiis ad mutuos congressûs tantisper dilatis.

6. & 9. Aprilis. *Post mutuum colloquium Legatis Moschoviticis respondent Delegati Regii.*

Et bis congressi habito colloquio cùm nec de loco ab utrinque conveniret, neque literas fideï nomine Reipub. Delegatorúmque recipere vellet Legatus, quibus titulus Vladislaï Electi Magni Ducis aut præfigeretur aut insereretur, interim nullæ à Polonia, quæ indies exspectabantur cum Regiis mandatis super negotio pacis comparerent literæ, abruptâ, quæ ejus reï causâ consultò trahebatur, morâ, accitus Candiovus tale responsum oretenus datum habuit, in scripto namque oblatum respuit, propter injectam juris quod Vladislaüs ad Magnum Moschoviæ Ducatum haberet, mentionem: Exercitum Polonum è terris Moschoviæ abduci non est quod tantopere optarent, scirent potiùs mansurum suo cum Magno Duce Vladislao, præsertim cùm id tutum non sit pace nondum stabilitâ rebúsque in ordinem redactis. At verò quæ securitas induciarum speranda amotis in confinia armis, quid esset aliud nisi spatium modúmque dare ad pervicaciam iterum communiendam, & Vladislaüm ad nova impendia pro instaurando damnare bello. Diem decimum sextum Junii incipiendo conventui perquam commodum sibi videri: Juramentum ratione præstandæ colloquentium securitatis differri posse ad mutuum utriusque partis congressum. Quod verò ad locum attineret, comitum numerum, ac literas fideï publicæ iis de rebus per Inter-Nuntios duabus ante inchoandum colloquium septimanis acturos.

Dimissi Legati non absque gravioris belli metu abiêre: namque per hos dies in illorum præsentiâ advolarat è Polonia tabellarius Comitiorum exitum prosperum & ad prosequendum bellum Moschoviticum decretam nuntians pecuniam, cujus summam sparsus per exercitum consultò rumor, qui & militi alacritatem excitaret, & hostibus terrorem inferret, auxit: passim ad tam felicem nuntium reboantibus tormentis, ca- 18. Aprilis. *Abeunt Moschi belli quàm pacis certiores.*

 strif-

Terrorem auget Nuntius à Polonia adveniens.

ſtríſque præ gaudio geſtientibus. Sed clam cæteris fuêre parciſſimè ab Ordinibus promiſſa ſubminiſtratáque æra, eò quòd bellum trahi nollent, & ad arcana illa mandata, manu Jacobi Zadzik Regni à Secretis recentiùs ſcriptum adjecerant: Viderent ageréntve Delegati, ne diuturniori bello Rempub. implicarent, ſed inirent omnes rationes præſenti anno ejuſdem finiendi, & controverſiæ ſopiendæ. Atque eam Ordinum voluntatem ſuis firmavêre chirographis, Gembicius Archi-Epiſcopus Gneſnenſis, Zolkievius Regni Cancellarius, & ſupremus copiarum dux Leo Sapieha Magni Ducatûs Lithvaniæ Cancellarius, Chriſtophorus Wieſiolovius Nuntiorum iis in Comitiis Præſes.

Interim clàm Delegati literis Regiis jubentur pacem conficere.

Indixerat Comitia Rex Ordinibus ad initium Menſis Februarii, ad quæ celerrimis itineribus feſtinaverat Leo Sapieha Cancellarius Lithvaniæ, qui præſentem rerum Moſchoviticarum totiúſque exercitûs ſtatum Regi ac Ordinibus ob oculos poneret, urgeret ſtipendia, ac de ulteriori progreſſu belli

Leo Sapieha ad Comitia properat Statum rerum Moſchoviticarum edocturus.

belli iniret conſilia. Jam etenim miles laborum ærumnarúmque ſub horrido immitíque cœlo impatiens, contumaciùs agere incipiebat, & paucos intra dies ab abitu Sapiehæ, nonnullæ è Lithvanicis legionibus equitum centuriæ, à prima Decembris obſequium denegabant: elapſo videlicet trimeſtri, ultra quod non niſi perſoluto ære, militiam palàm detrectabant. Atq; cum eas Delegati ſtipendiorum perſolvendorum certiores facerent, nihil moti, reſpuebant etiam in ſcripto oblatam ſibi exſolvendæ quantociùs pecuniæ ſecuritatem. Quos arceſſitos ad ſe Vladiſlaüs, tali compellavit ſermone: *Egregiam verò laudem refertis à contumacia veſtra milites, ſi eo adhuc nomine compellandi eſtis. Hæc-ne ego ſperaverim à Nobilibus Polonis, quorum ſpectata indubitatáque erga Reges ac Principes fides, veſtrâ polluitur inſolentiâ, cùm Regis veſtri filium, commilitonem veſtrum laborum ærumnarúmque ſocium procul à patria in hoſtium terris agentem, inter mille diſcrimina poſitum deſeritis prodititiſque. Ergo-ne plus meruêre infames illi Demetrii vana perſonatáque Principum nomina, quibus & æris inanes, & militiæ laboribus,*

Legiones Lithvanæ motum concitant.

Alloquitur eas Vladiſlaüs.

 feſſi

fessi attenuatique pertinaciter adhæsistis, devotis pro illorum salute incrementóque corporibus, mihi verò Regum vestrorum sanguini in Polono nato educatóque solo, legitimè Electo Magno Duci Moschoviæ, tam felicem esse non licebit. Quæ ista intemperies dum à Quæstoribus Magni Ducatûs Lithvaniæ pecunia ordinatur brevi transmittenda, mandatúmque operimur Regium, nullo consilio præcipites ruere, atque tanto deserti vestri Principis se contaminare scelere? Scripsissem utinam lætiora magisque honorifica Regi Parenti meo de vobis, & qui calamum promtum expeditúmque ad commendanda munificentiæ Regiæ spectata militum facinora habueram, jam cogor invitus aliò detorquere, & pro præmiis pœnas contumaciæ debitas exposcere. Interim aderit mihi insolentiæ vestræ ultor Deus; aderit propitia fortuna Regis; aderunt cæteræ fidæ legiones gratiam munificentiámque Regiam constantiâ suâ emerituræ: quibus meam incolumitatem dignitatémque tantò tutiùs credo, quantò non bellicis tantùm operibus, sed fide, amore erga Regem ejúsque filium præstant. Agite itaque aut seriò resipiscite obsequio reddito, aut si ita destinatum est, per hujusmodi turbamenta belli cursum non retardetis.

Ad ea qui vocati erant Centuriones eorúmque

rúmque Vicarii cùm in commilitones culpam rejicerent, cujus ipsi obnoxii non essent minúsque sibi ea probari respondissent; spopondere nullam se operam omissuros, quatenus ad contumacium conatûs sistendos. Et brevi miles ad obsequium rediit, promissorum stipendiorum verbo Principis quod dedisset, certus. *Pacantur.*

Sed major in Comitiis manebat labor Leonem Sapieham, parùm ad res Moschoviticas attendentibus Provinciarum Nuntiis, ambitione duorum triúmve ultra modum publica permiscente turbantéque consilia. Namque à morte Felicis Kriscii Regni Cancellarii contulerat Rex eam dignitatem Stanislao Zolkievio supremo copiarum duci, Georgio & Christophoro Zbarasciis ægerrimè eam honoris repulsam ferentibus, motúsque cientibus: ii namque prætenso vindictæ privatæ publici boni velo, damnabant recens initos cum Skinder Bassâ Turcarum Duce ad Bussam tractatûs, repetebántque à Zolkievio veteri æmulo gestorum rationem: ille verò scitè *Comitia ambitione privatâ turbantur.*

 pru-

prudentérque de tota ſua expeditione diſſerens, publicum tunc meruit encomium, nequicquam obnitentibus Zbaraſciis, quorum contemtor vetus militiæ dux priſcâ virtute ac ſeveritate ringentem depreſſit invidiam. Jam verò & pro Henrico Firleio à diſſentientibus inter ſe Nuntiis movebantur altercationes: cùm illi retinere conantem Pro-Cancellarii munus ad futura Comitia votis adjuvarent, hi è contrario ſentirent urgeréntq; exſecutionem legis per quam id ad Epiſcopatum Plocenſem, utpote altiorem in Senatu gradum evecto, non liceret. Et poſt plurium dierum contentiones, Firleius ne ſuâ pertinaciâ conſilia publica morari videretur, Magiſtratu ſe abdicavit, ceſſitque Andreæ Lipſcio Epiſcopo Luceorienſi à Rege propere è Moſchovia evocato, advolantíque ſub Comitiorum finem. Ita mutuis diſſenſionibus à privatorum ambitione excitatis, neglectíſque interim publicis negotiis, difficulter Sapieha apud Nuntios Provinciarum Vladiſlaï partes bellíque continuandi modum promovere poterat:

Hinc Sapieha difficulter negotium Vladiſlaï promovet.

terat, & quanquam plerique æſtatem præteritam elapſam nullo operæ pretio diſſerent, ob evocatas à Vladiſlaï exercitu cum Martino Kazanovio validiores copias in Ruſſiam, ídque rebus gerendis permultum obſtitiſſe, compenſari verò poſſe ſi nunc bellantis Principis vires & pecunia & novi delectûs ſupplerent, præſertim ipſa ſeſe offerre fortuna, hoſte ſuis arcibus incluſo latente liberúmq; excurſionibus militum campum relinquente, indéque ſperari pertinaciam animorum brevi flectendam. Vix tandem eò Ordines adduci potuêre, ut in eam incumberint curam, at qualis illa! ſeu vincendis, ſeu induciis aut pace tranquillandis hoſtibus annus præſcriptus: ideóque parciùs imperata pecunia intra unius agrariæ contributionis terminos ſtetit. Laſſi videlicet continuis tributis ad pacis voluptatem aſpirabant, recurrebat in mentem formidabile Civibus bellum, & ab armatis extorta ſtipendia, & coëuntes in fœdera gladiis plenæ ſeditioſorum dexteræ: hinc illud deſiderium, ut armorum tantùm oſtentatione vincendi compendium quæreretur.

Efficit tamen aliquid ſuâ induſtriâ.

HI-

HISTORIÆ VLADISLAI POLONIÆ ac SUECIÆ PRINCIPIS,

LIBER OCTAVUS.

Vladiſlaüs ex hibernis ſigna movet.

VLadiſlaüs actis apud Viaſmam hibernis, cùm & de Comitiorum ſtatu abunde cognoviſſet, & interim adventantium copiarum certior foret, earum præſertim quas ductore Martino Kazanovio æſtate præteritâ ad Zolkievium miſerat, edoceretúrque de Kozacis Zaporovienſibus in ſubſidium feſtinantibus, ſigna tandem movere ſtatuit, & ut legiones ad initium Junii præſto eſſent in hoſtem ituræ, edicit. Ac in ipſo penè procinctu Joannem

nem Leſievium è Societate Jeſu conſcientiæ ſuæ moderatorem, virum priſcæ virtutis ac ſanctimoniæ, eruditúmque, quod præter cæteras lucubrationes Annales Sarmatici lucem aliquando viſuri teſtantur, in Poloniam mittit ſecretis inſtructum mandatis, quæ Regi ac Reginæ deferret. Commeabant quoque per hos dies frequentiores à Moſchis Nuntii colloquii tractandæque pacis ſpem facientes, at more gentis ſubdolè: quippe eo prætextu & Vladiſlaï remorari conatûs, & tempus bello opportunum extrahere nitebantur, indignantibus Subdelegatis, & nonnunquam perfunctoriè ad illorum poſtulata reſpondentibus. Et jam jam moventi ſigna Vladiſlao Nuntius à Metropoli advenit, ſuetis diffugiis de colloquio diſſerens: confeſtímque contra hactenus uſitatum morem, intra aliquot horas expeditus dimiſſúſque eſt. Spectavit interea inſtructâ acie procedentem exercitum, ejus numerum meticuloſo animo oculíſque grandiorem viſum, ſuis poſtmodùm relaturus.

A Moſchis frequenter Nuntii tractandæ Pacis ſpem facientes veniunt.

Promotis tandem castris ad Castellum, quod ultra Viasmam, cui securitatem præberet, excitatum munitúmque à strenuo fortique Centurione Gadeno tenebatur, Vladislaüs ibidem per triduum substitit, affluentes hinc & inde exspectans copias: inde verò Chodkievicius nactus Timotheum Miculinum olim Mosaïsci Palatinum locorum peritum fidúmque, mediam inter Calugam ac Mosaïscum viam commonstrantem præeuntémque, cum exercitu secutus est: injectâ hostibus solicitudine, qui distracti anxiíque tenebantur, quam in partem armorum procella derepente immitteretur. Ita ambiguo itineris tractu ad Jurkieioviam progressus, per biduum ibidem positis castris consedit. Quoniam verò inde veluti divortio inter se facto viæ scinderentur, quarum una Calugam, altera Mosaïscum tenderet: deliberatum à Subdelegatis & Chodkievicio in bellico Senatu, cuinam insistendum & quò arma transferenda essent. Chodkievicius eundum Calugam versùs suasit: Esse ibi amœnas fertiléisque ad

Miculinus mediam inter Calugam & Mosaïscum viam commonstrat.

Jurkieioviæ Exercitus positis castris consedet.

Deliberant Subdelegati quò ulterius promovendus Exercitus.

ad Occam celebrem fluvium terras, quæ facilem commeatum rémque cibariam exhausto præberent militi: ad hæc morari ibidem Pozarscium non contemnendis copiis cum imperio præfectum, quem Vladislao multis ex conjecturis addictiorem constaret, perindéque in hac & Principis & exercitûs viciniâ, commodiùs ejus animùm tentari flectíque posse, nec leve momentum partibus accessurum: quippe eo exemplo motis compluribus, rediturum Magno Duci Electo, quod jam denegarent, obsequium. Ad hæc morari eo in tractu Opalinii Kazanoviíque legiones, citiùs exercitui conjungendas, quæ tam avidè præstolarentur. Verùm cæteris (quæ sententia etiam prævaluit) visum est longinqua nimis Moschoviæ peti, summâ cum temporis jacturâ in bellis haud facilè compensanda: præberi hosti occasionem ad intercludendâ Viasmam itinera, occupandáque loca mittendis copiis ultrò citróque opportuna, eò animosiori futuro, quò remotior à ferendis subsidiis ageret exercitus: proindéque ipsam Imperii

Chodkievicius Calugam versùs suadet.

cæteri Metropolim petendam censent.

perii ſedem capútq; petendum quantocius, feſtinandúmque cenſerent. Viſo namque ad ipſas Urbis portas tanto exercitu, auctâque famâ, eo proniùs Moſchos aut ad partes attrahendos, aut oſtentatis illatíſque armis ad obſequium cogendos. Nec pertimeſcendam annonæ inopiam, namq; è circumjacentibus Moſaïſcum regionibus exercitum tutò ali poſſe: agendum tantummodò cum hoſte ſeriò, nec per tot ambages locorum viarúmq; longinquos anfractûs arma circumducenda.

Chodkievicius à tergo Moſaïſcum relinquere non vult.

Sed quò minùs rectà Metropolim contenderet exercitus, unica ingénſque Vladiſlaüm ac Chodkievicium premebat cura: Moſaïſcum nempe ab hoſte valido firmatum præſidio egregiéque communitum, quod aut obſidione cingere, aut forti aggreſſione expugnare perarduum videbatur, à tormentis obſidionalibus imparato Chodkievicio: ínque apparatûs penuriâ, qui invadendis expugnandíſque urbibus uſui eſſe ſolet. Irrito verò conatu tentare & ab animis, & à munitionibus præfidentes præſidiarios, famæ Principis intererat, attentis ad eam po-

populis in hac Urbis primariæ viciniâ, eòque inclinaturis quò & ipſius fortuna. Relinquere à tergo tantum rerum gerendarum obicem, unde & hoſtiles copiæ explicari carpendóque agmini infeſtiores provolarent, minimè tutum conſultúmque videbatur. Flexo itaque pauliſper itinere, Chodkievicius ad Boriſſoviam arcem ſeſquimilliari à Moſaïſco dextrorſum diſtantem procedere militem juſſit, illam ut hoſti eriperet, vel certè ad tam opportuni loci ſubſidium accurrentes Moſchos ad certamen, cujus maximè percupidus erat, extraheret.

Deflectit ad latus & Boriſſoviam Arcem eripere hoſti tentat.

Et jam opportunè advenerant copiæ Petri Opalinii & Martini Kazanovii: hic quidem poſt præſtitam contra Skinder Baſſam viri militaris operam, tardiùs ad Vladiſlaüm redierat, compenſatâ nihilominùs tarditate, expugnato videlicet Starodubo veteri Ducatûs Severiæ arce potentíque, ac pluribus Moſchorum cæſis. Adfuit quoque Czaplinius ſuis cum velitum Liſovianarum turmis, & Kochanovius à Kozielsko redux, cui tuendo ſervandóq; loco,

Conveniunt Legiones luſtratæ diſtributæque ſunt.

 cùm

cùm à numero militum præsidiariorum impar esset, maluit tempestivè subductis aliquot peditum signis augere exercitum. Atque hoc ad Kremienscum lustrato distribu-
2 Julii. tóque in legiones, quarum singulæ & equitatum & peditatum continerent, totidémque iis ductores viri primarii bellicâque laude insignes præessent, secundis castris ad Borissoviam accessêre.

Borissoviam accedunt & arx describitur. Arx erat è muro saxísque fabricata, raro in Moschovia talium usu: quippe munitiones ex trabibus roboribúsque invicem junctis compactísque, & aggestâ humo solidatis excitare solent. Penès arcem eminebat templum eâdem ex materiâ excitatum, munitúmque vallo, fossâ largiore pallationéque eidem annexum, factâ ad mutuum sibi ferendum auxilium per subterraneos specûs commeandi opportunitate, exportandíque bellici apparatûs, recedendíque undecunque major vis ingrueret facultate: ita ut expugnatâ arce templum novo invadentium labori integrum restaret, vicissímque templo capto, arci eripiendæ iterum desudandum foret. Locum tam probè communitum obtinuêre præsidiarii mille ducenti: Mosaïsco namque supervenerant milites exercitati trecenti, ex agris ad defensionem perquam idonei octingenti confluxerant, numerabantur quoque è Koniuchi proditoris transfugis quinquaginta promti defendendæ arci immori, iique obobstitêre vel maximè: turpis olim namque sceleris sibi conscii deditionem morabantur pœnæ metu, ne ad conspectum universi exercitûs subitò Arx dederetur. Cujus aggrediendæ Chodkievicius diem ad Nonas Julii 7 Julii.
indicit, destinaverátque ex improviso hostem invadere; ad quem ex ultimis castris nocte integrâ duxerat exercitum, primúmque albescente die pervenerat. Verùm ille consilii gnarus, paratus pro vallo mœnibúsque pugnaturus constiterat: & Chodkievicius à transfugis in errorem adductus delusúsque, videlicet nullâ fossâ cinctam munitionem esse, tum & patentes portas nec humo aggestâ obstructas falsò referentibus, irrito conatu oppugnationi institit, *Invaditur irrito conatu.*

bísque

bíſque rejectus, cùm & tormenta muralia deeſſent, & piloclaſtra, in quibus omnis ſpes erat, nullo effectu admoverentur, conſumtis ibidem aliquot ſeptimanis, poſteaquam inde variis cum hoſte Moſaïſcum uſque erumpens velitationibus, qui nuſquam ſtatariæ pugnæ copiam facere volebat, variâ fortunâ decertaſſet, ad eam Urbem arcémque Vladiſlao & Senatu bellico connivente exercitum promovit, explicatis non ad uſum tantùm (nam res in oculis Moſaïſci agebatur) ſed ad ſpeciem Ordinibus. Ac confeſtim ab adventu Liſovianæ turmæ ultrà Moſcuam amnem quâ Metropolim ducebat viâ, ſtationem cepêre. Vladiſlaüs cum univerſo equitatu non procul à Cœnobio Luzecenſi, quà Hruſam verſùs iter patebat, conſtitit. Campi medium peditum legiones cum tormentis tenuêre. Ad Moſaïſcum eo conſilio itum eſt, primùm ne potens validúſque hoſtis, ſi ulteriùs progrediendum foret, à tergo relinqueretur: alterum ad opem à Metropoli importationéſque commeatûs in arcem, indéque excurſiones

Tandem ad Moſaïſcum Exercitus ductus,

per ſtationes diſtribuitur.

ſiones inhibendas, deinde captandæ occaſionis cauſâ, ſi ad pugnam hoſtes elici poſſent à qua ſumma rerum dependebat: ad extremùm ſi locus ille aut ſtratagemate, aut ſubitâ aggreſſione intercipi poſſet, momentis bellorum, quibus ea conſtarent, fortunæque invigilaret. Fuêre qui dicerent Caſtello ad Boriſſoviam communito, inductíſque qui arcem ſtringerent præſidiariis, hoſti dedendæ brevi neceſſitatem imponi poſſe, aliter Chodkievicio viſum, qui ut paucorum præſidium fruſtraneum, ita plurium incommodum exercitui cenſebat, quem extenuare diſtrahíque non adeò numeroſum, ſummè periculoſum prævidebat, adventante præſertim ad Boroſcum novis cum trium millium turmis Pozarſcio cauto bellandíque gnaro duce.

Proſpexerant, ut diximus, abunde Moſaïſco validâ urbis arcíſque munitione & defendentium numero Moſchi: at longè fortiorem ſuíque ſecuram reddiderat adventus ab urbe cum exercitu Likovi ducis bellandi haud ignari, qui ponè arcem Caſtello

Likovus & Maſtrucus Caſtellis excitatis Moſaïſcum tuentur.

ſtello excitato, diſpoſitíſque copiis intra ſepes è pallatione trabibúſque tranſverſis ſibíque mutuò cohærentibus conſtructas, conſederat: & nec modò eam tueri, verùm & prælio decernere ſat habebat virium. Aderat & Maſtrucus militari laude inſignis, qui opoſitam arcis portam cum numeroſis equitum peditúmque quibus præerat turmis, ſimili circumvallatam munitione tenebat. Et flos ille erat Moſchici exercitûs, quem ad pugnam elicere multis modis ſtudebat Chodkievicius, impoſiturus procul dubio ſummæ reï exoptatam coronidem, præciſo tam præpotenti & cui maximè fideret Moſchovia robore: apertâ namque vi munitiones aggredi oppugnaréque haud promtum videbatur obſidionalibus machinis omníque expugnandarum arcium apparatu deſtituto: nullus tamen præteribat dies, quin aliquibus velitationibus laceſſente plerumque Chodkievicio non certaretur, extrahi tamen ad periculum univerſæ pugnæ hoſtis nullâ arte nullàque vi poterat, quanquam variis militaribus com-

Ad pugnam elici nullo modo poſſunt.

Velitationes tamen frequenter intercedunt.

commentis in apertum pelliceretur campum: procedebant nonnunquam feliciter ſtructi doli, detecti etiam quandoque, dum aut Centuriones ex inſidiis ardentiùs inconſultiúſque provehuntur, aut aliis ſigna inferentibus tardiùs ſubſidia advolant: atque illis præludiis virtutem animúmque Polonorum experti Moſchi, univerſæ pugnæ aleam declinabant, haud ignari commeatum citiùs quàm audaciam Polonis defuturam: interim verò cunctatione vires frangere, temporíſque in caſſum elabentis jacturâ bellantium ſiſtere impetûs tutiſſimum habebant. Quas porrò velitationes; quibus utrinque viribus; quo ſucceſſu agitarentur; poſſem hîc diurna tanquam acta denarrare, ni me legentium deterreret faſtidium: deductâ nihilominùs ad calculum ſummâ, periiſſe hoſtium paulò ſupra mille ex Commentariis illorum temporum conjicio, exiguâ cum invadentium noxâ, quam tamen auxiſſe videbatur Bartholomæi Novoduorſcii Equitis Melitenſis ſtrenui egregiique Tribuni vulnus, trajectâ videlicet à ſclo-

Hoſtibus parùm proſperè.

Bartholomæus Novoduorſcius ſaucius.

ſclopetariis dextra manus, ejúſque uſus ademtus. Atque hinc fortaſſe metus Likovum & Maſtrucum hoſtium duces invaſerat, ne minutis hiſce præliis raró victores, aut vires ſuas extenuarent, aut certè Polonorum animos ad extremos provocarent auſûs: proinde recenti numeroſóque in arcem urbémque Moſaïſcenſem inducto præſidio, tormentis, pulvere bellico, réque cibariâ in longiùs ſuffecturâ tempus illatâ, vallo propugnaculíſque firmatis, ſecuri & à defendentium pertinaci fortitudine, & à loco perbellè communito validóque, ipſemet ſuis cum turmis nocte intempeſtâ tenebroſâque, ventis ac pluviâ horridâ, tuguriis inter caſtella accenſis, inobſervabili celeritate fugientibus quàm recedentibus ſimiles exceſſêre. Et Maſtrucus quidem præcedente nocte Likovi fugam anteverterat, & ii qui Boriſſoviam arcem contra Chodkievicium pertinaciùs defenderant, per id tempus quo abſceſſerat Licovus concrematâ annonâ, cujus tamen non mediocris pars igni ſubtracta eſt, velut è condicto

Likovus & Maſtrucus Moſaïſco bene munito fugiunt noctu.

15 & 14 Auguſti.

cto deſertâ arce vacuâque, ſummo cum ſilentio trepidi aufugêre. Relictum à Licovo caſtellum mox invaſêre pedites, repertâque farinâ ac omnis generis frugum copiâ quæ vel flammæ furorem evaſit, vel certè commodè Moſaïſcum tranſportari non poterat, ſerpentem depulêre famem.

Boriſſoviam arcem Moſchi deſerunt.

Interea dum per integrum menſem Auguſtum ad Moſaïſcum univerſis cum copiis hæret Vladiſlaüs, advenêre è Polonia Sub delegati: Leo Sapieha Cancellarius Lithvaniæ, quem ad Comitia profectum fuiſſe diximus, & Adamus Novoduorſcius Epiſcopus Camenecenſis in locum Andreæ Lipſcii Regni Pro-Cancellarii ſuffectus miſſúſque. Sed ſuccedentium caſtris oculos auréſque illico everberavit ſumma totius exercitûs egeſtas à non perſoluto tam diu militari ære excitata, equites equis, famulitio, armis, apparatúque bellico vacui: illos fame enectos concidiſſe interiiſſéque, hunc ob pecuniæ inopiam nec comparari, nec refici poſſe paſſim querebantur: exprobrantes vociferantéſque, quòd plerique eorum

Sapieha & Epiſcopus Camenecenſis è Polonia redeunt.

1. Septemb.

Militem fame egeſtatéque preſſum reperiunt.

rum cogerentur emori, pane non guſtato viginti dierum ſpatio. Pedites præſertim Germani magnis indies coarctati anguſtiis, aut dilabebantur, aut fame confecti paſſim cadebant. Adventantium Subdelegatorum rumor ſpéſque inſimul advenientis pecuniæ inopes miſeróſque patientiùs continuerat; at ubi vulgatum nullo inſtructos ære ſolatióque adeſſe, tum demum palàm fremere, exſecrari militiam gravem & infructuoſam cœpere: incuſavere Subdelegatorum incuriam in conquirendâ deferendâque militi debitâ pecuniâ, & quidem exhauſto, cujus ærumnarum oculati teſtes fuiſſent. Ad extremùm turmatim ſtationem Subdelegatorum adeunt circumſtántque, & per Klodzinium virum militarem è legione Kazanovii longo ſermone lachrymantéſque inopiam, egeſtatem, famem exponunt, miſſionem emeritáque ſtipendia flagitant, quæ ampliùs ſe facere nec velle nec teneri conteſtantur, voluntatem inhibente tantâ egeſtate penuriâque, alterum verò vetare legem publicam, videlicet

Adventus Subdelegatorum abſque pecunia militibus ingratus.

Conqueruntur apud illos per Klodzinium & ulteriorem detrectant militiam.

cet abſque ære ulteriorem profiteri militiam.

Studebant exaſperatos Subdelegati mitigare emolliréque animos, partim ſpe jamjam adventantis pecuniæ, partim precibus perſuaſionibúſque, quas ipſa ſuggerebat neceſſitas: immoto ad ea ſurdóque milite cui egeſtas aures occluſerat, ulterior verò ſpes haud curæ erat, cujus aurâ in tantis anguſtiis reï cibariæ vita protrahi non poterat: per multas tandem altercationes leviter aliquot millium pecuniæ ſummâ aſperſi, conquievêre: reliqua certis conditionibus ad vigeſimum octavum diem Octobris promiſſa eſt. Et quamvis illos ſacramento militiæ elapſum trimeſtre, intra quod operam ſuam addixerant, ſolveret, juréque miſſionem flagitarent, in futurum nihilominùs promtè ſe facturos ſtipendia pollicentur, fide à Subdelegatis acceptâ, Regem Ordinéſque id pro rato gratóque accepturos. Stringebantur namque ſeverè ſecretioribus mandatis legéque publicâ Subdelegati, ne abſque Regis Ordinúmque voluntate, ac non niſi præ-

Conquieſcunt acceptâ aliquâ pecuniæ ſummâ.

præſenti paratóque ære militem auctorarent: ſciebántque novorum debitorum rationem ſtrictiùs à ſe exigendam. Sed vicit neceſſitas quæ mandatum tranſgredi juſſit, rebus præſertim in Moſchovia lentiùs & nullo cum fructu hucuſque procedentibus, majore cum damno Principis ac ignominiâ proceſſuris, ſi dimiſſus perperam exauctoraretur miles. Quanquam pleræque Centuriæ egêre contumaciùs, ſpretâque Subdelegatorum, quam ſcripto dato interponebant, fide, poſthabitis precibus deſeruêre militiam, abiveréque in Poloniam. Ac præter nonnullas velitum, haſtatæ etiam Karſnicii, Conſtantini Plichtæ Sochacevienſis, & Staniſlaï Zoravinii Belzenſis Caſtellanorum, demum Petri Opalinii Præfecti Sremenſis diſceſſêre. Et illi quidem Centuriones nequicquam obteſtantes, retinentéſque ſuos commilitones remanſêre, egregiámque præſentes in caſtris præſtitêre Vladiſlao operam: at Opalinius voluntati turmalium obſecutus, ipſe quoque ducem ſe redeuntibus præbuit. Quantum verò damnum incom-

Nonnullæ abeunt in Poloniam.

commodúmque diſceſſio tam præpropera militum attulerit, brevi innotuit: namque plurimi peditum equitúmque redeuntium manipulis ſeſe immiſcuere abiveréque, íſque præpoſterus receptus, ut prævalidi corporis nimia ſanguinis miſſio, ita & exercitûs univerſi robur viréſque labefecerat exhauſerátque: Chodkievicio aſſerente, ſatìs profectò curarum ſibi impendere, ſi hoſtis pugnæ copiam faceret, cùm vix expeditos mille equites in aciem producere poſſet, abſentibus interea Liſovianorum velitum turmis, quæ nuper pabulandi cauſâ egreſſæ, longiùs à caſtris aberant.

Magnò cum damno & incommodo totius Exercitûs, qui per hoc attenuatus.

Tantæ inopiæ magnarúmque quibus indies conflictabatur exercitus anguſtiarum, qui Regem atque Archi-Epiſcopum Regni Primatem doceret ſtatum, ablegaverunt Subdelegati Andream Szoldrſcium Vladiſlaï Cancellarium: videlicet quantum diminutæ exhauſtæque eſſent copiæ à non ſuppeditatâ pecuniâ, & à multorum in Poloniam abitu: cæteri verò turbidi ac propè contumaces remanerent: fraudari interim op-

Szoldrſcius ad Regem mittitur expoſiturus militiæ ſtatum.

8 Septemb.

opportunitate reï gerendæ Vladiſlaï partes, ſuo juri tenaciſſimè inſiſtentis. Tantò autem omnia in præſens periculoſiora eſſe, quantò jam in ipſis Moſchoviæ penetralibus mediósque inter hoſtes verſarentur: ubi milite opus foret promtiore alacrioréque quàm qui nunc egens inópſque compareret: ac proinde niſi Rex celeriùs afflictis benignitate ſuâ conſuleret provideretque rebus, fruſtra Subdelegatorum deſiderari operam, vigilémque ac ſollicitam curam, teſtaríque eos non à ſua negligentia incuriâve expeditionis hujus imminentia proceſſura damna, quæ tam ſedulò hucuſque præcaviſſent.

Ad Moſaïſcum fruſtra tempus teritur.

Seſquimenſis ſpatio ad Moſaïſcum Vladiſlaï conſtiterat exercitus nullo operæ pretio, ſiquidem præter eas de quibus egimus velitationes, haud præclaro aliquo inclaruerat facinore: & hoſte clàm abſcedente, abſceſſerat quoque rem egregiè gerendi facultas materiáque bellicorum operum, quæ in ſolo Moſaïſco oppugnando reſtare adhuc videbatur, niſi & oppugnandi facilitatem

per Auguſtum ad 16 Septembris.

tatem præſidiarii, & à loci munitione, & à ſua virtute, à re denique cibariâ in multum tempus ſuffecturâ fortes animoſíque abſtuliſſent. Chodkievicio præſertim ut ad invadendam arcem, ita ad circumvallandam penitus imparato, quin quod maximè exedebat animum ipſius, cogebatur Moſaïſcum deſerere, quum & majori indies ipſe annonæ penuriâ premeretur, & turbidum illum corruptúmq; militari ſeditione aërem, benigniori commutare aurâ permultùm intereſſet: oſtendebátq; in conſilio militari locum inter Calugam & Boroſcum, quò interim exercitus commodè deportari poſſet, ſtativa in affluentiore commeatu terríſque pinguioribus habiturus: ubi ærumnarum oblitus, & per aliquot temporis ſpatium recreatus, expeditior ad mandatum Imperatoris ſigna ſequeretur. Nunc verò periculoſum eſſe attenuatas vires oſtentari objicíque hoſti, quæ nec ad excidia arcium urbiúmque, nec ad pugnam ærumnis faméque exhauſtæ ſufficerent: vacillante inſuper militis obſequio utpóte ab ære vacui egentíſque. Sub-

Chodkievicius ad deportandum Exercitum locum inter Boroſcum & Calugam oſtendit.

 de-

delegati cùm variantibus nonnihil ſententiis in diverſa abiiſſent, tandem expenſis hinc & inde rationibus coaluêre in unum, rectáque Metropolim petere decrevêre. Rationes verò eæ potiſſimùm fuere; videlicet ſtringi ſe tempore quod annuum bello conficiendo Rex & Ordines præſcripſiſſent, & ejus quidem anni jam extremos appetere Menſes, proinde nullis averſionibus remorandum diſtinendúmque exercitum eſſe, cujus militia ad proximum tantùm Decembrem fide Subdelegatorum interpoſitâ duraret, nullatenus per leges mandatúmque Principis longiùs proferenda auctorandáque. Jam verò & pecuniam ad ultimos Octobris dies promiſſam eſſe, interim quo fructu miles quieſceret, ſatiùs ad Metropolim ducendus antequam eundem adultioris Autumni pluviæ cœnoſáque itinera, tum hiemis inſtantis rigor deterreret, ſemiſopitúmque iterum recrudeſcentibus turbis motibúſque efferaret. Occupandum itaque bello, non laſcivioribus ſtativis continendum, commeatum rémque

Subdelegati rectà Metropolim petere ſuadent.

que

que cibariam proximiores Metropoli campos ſuppeditaturos, nec in procinctu itineris defuturum. Ad hæc jam & temporis commoditas, & militum qualiſcunque invitat alacritas: faciliùs etiam Vladiſlaüm Moſchorum exploraturum voluntates, ſi armatus quantociùs ad portas Urbis compareret, & Michaëlis oculos non abſque perjurio affectantis Dominium, præſentiâ ſuâ Dux ipſe legitimus everberaret, Proceréſque Moſchos datæ juratæque admoneret fideï.

Hâc igitur commodiſſimâ bellandi ratione Subdelegatorum ſuffragiis adinventâ, ſignóque profectionis dato, caſtra Metropolim verſùs moventur: & eo quidem itinere, quod ad Hruſam caſtellum binâ pallatione ab hoſte communitum ducebat, ejuſdémque qui & fluvius, cujus ripæ aſſidebat, cognominis erat. Inde proceſſêre copiæ ad Dzuingrodum, ubi loci porrectâ planitie amœnitas fluvii Moſcuæ præterlabentis curſus, annonæ reïque cibariæ ingens copia, univerſum exercitum integro octiduo

Moventur caſtra 16 Septemb.

23 Septemb.

 exhi-

Dzuingrodi Legatos Cosacorum Vladislaüs excipit.

exhilaravit refecítque. Sed majori lætitiâ incessit Vladislaüs, posteaquam ibidem Cosacorum Zaporoviensium, de quibus nihil comperti hucusque habebat, adventantes Legatos accepit. Admissi illico retulêre quas in Moschoviam ingressi reportassent victorias, nobilissimis Provinciis ferro & flammâ longè latéque vastatis, excisis populosissimis urbibus, videlicet Jelec, Liuno, Sacko, & aliis plurimis deletis, ac eorum Præfectis in vincula conjectis. Ultra viginti millibus lectissimorum militum suum constare exercitum, versaríque in vicinia inter Kolomnam & Metropolim, ejúsque summo cum imperio ducem Petrum Konaszevicium (aliàs vernaculè à Cosacis Saydacznii, quasi pharetratum, dictum) operiri mandatum Principis, quam in partem eas copias transferre juberet, alacrem promtúmque Vladislao jubenti pariturum. Enimverò in summis exercitûs angustiis inopinatum ac penè de cœlo demissum subsidium omnium gestientes animos maximo perfudit gaudio: habiti itaque comiter Legati, tum

comiter habitos dimittit, cum illis mittit Madalinium ad illorum ducem.

tum largitione deliniti, dimissíque iis cum mandatis: properaret quantociùs Konaszevicius, suásque ad Metropolim conjungeret copias, paucos intra dies ibidem adfuturo Principi. Missus insuper Jacobus Madalinius Tribunus Mscislaviensis vir imperterriti animi, qui illis illorúmque duci victorias Vladislaï nomine gratularetur: huic verò præter dona, vexillum, tympana, & clavam imperatoriam, (usitato eorum militiæ more, quasi iis insigniis jam in stipendiarios adscriberentur) deferret. Datæ & assertitiæ literæ Madalinio, quæ plura secretóque referenti eïdem fidem adstruerent.

Ad Tusinum Konaszevicius, aliàs Saydaczny Cosacorum dux Vladislaüm salutat, captivos tradit.

Jámque eò alacriùs motis à Dzuingrodo castris intra triduum ad Tusinum perventum est, locum stativis Demetrii Secundi olim Calusiensis, vulgò dicti celebrem, haud ita procul à Metropoli dissitum, quò Konaszevicius ad mandatum Vladislaï properavit, cinctus antesignanorum Centurionúmque exercitûs sui coronâ, & post demissum venerationis officium, captivos Jelcii & Liuni supremos Præfectos exhibuit,

buit, unà cum Moſchorum Legatis ad Percopenſium Tatarorum Regulum expeditis interceptíſque. Eorum verò legationis ſumma ex literis patebat: quibus ad infeſtandas Ruſſiæ terras avertendáſque ſubitis incurſionibus Polonorum vires, Tataros quà prece, quà largitionibus invitabant incitabántque. Et Konaſzevicii adventus tantò illuſtrior fuit, quantò recentiorem à victoria ſecum ferebat gloriam: namque ad ipſam Metropolim obviam ſibi factam lectiſſimam Prætoriani militis cohortem, dit, cæſis ex ea captíſque compluribus, ejúſque duce Buturlino clavâ imperatoriâ ex equo dejecto proſtratóque.

In conciliandis Vladiſlao Coſacis Zaporovienſibus Leonis Sapiehæ opera.

At dum hæc refero, nollem fraudare tam illuſtri erga Regem ac Vladiſlaüm merito Leonem Sapieham Cancellarium Lithvaniæ, cujus induſtriæ ſolertiæque excitatas ad inimicarum urbium populationes legiones Cozacorum, debuere illa tempora. Is namque abiturus ad Comitia dum Orſæ celebri Albæ Ruſſiæ populoſâque in urbe ſubſiſtit, miſerat inde unum è domeſticis ſuis

ſuis comitibus, qui celerrimè ad Coſacorum primarios advolaret, perſuaderet orarétque: neu Principem Vladiſlaüm in Moſchovia bellantem ſuis cum copiis otioſi ſpectarent, quin illas quantociùs hoſtili terræ auxiliares immitterent. Reducem nuntium Slonimi acceperat Coſacorum promtam deferentem voluntatem, exſecutioni mox demandandam, Regio præſertim accedente mandato. Id verò brevi acceſſit, promovente negotium Sapiehâ, apud Ordines autem in Comitiis urſit effecítque, ut tranſmiſſâ viginti millium florenorum ſummâ inter illos diſtribuendâ tantò redderentur promtiores.

Vladiſlaüs ad Tuſinum ſubſiſtit.

Poſitis ad Tuſinum caſtris decreverat Vladiſlaüs aliquantiſper in hac primariæ urbis viciniâ ſubſiſtere, operiríque pecuniam, quam à Regni Quæſtore miſſam jam in itinere eſſe brevíque advehendam inaudiverat, inſimul & animos Procerum, Nobilium, vulgíque Moſchovitici explorare, quam tandem in partem ſeriò inclinarent. Detinebant interea Moſchi hucuſque Vladiſlaüm

Moschi aliquâ pacificationis spe detinent.

diſlaüm aliquâ pacificationis ſpe ſeu magis oſtentatione concordiæ, ſpecioſam trahentes diſceptandi moram, quòd ſperarent terendo per ejuſmodi Nuntiorum ultrò citróque commeantium congreſſûs, ſe tantum temporis inſumturos, donec elapſâ bellandi opportunitate, infeſta arma aut averterent, aut penitus enervarent. Et patuêre poſtmodùm eorum conſilia, cùm præfidenter jactarent duos ſe habere potentiſſimos, quos opponerent Polonorum copiis, exercitûs, Hiemem & Famem: illam ſibi amicam rebúſque gerendis percommodam: quippe horrido cœlo aſſueti, & per nives gelu concretas ſolearum beneficio agili curſu volare edocti, militi gravi armaturâ tardo torpentíque inſultaturos ſe ſperabant: hanc verò exhauſtis vicis, vaſtatis agris, deportatâque & avectâ in arces annonâ, partim à colonis in ſpecûs avias abditis frumentis, mox invalituram certò pollicebantur. Atque eâ fiduciâ tumidè minúſque ſeriò de loco conventui præfigendo per Nuntios agebant, cùm tandem per Gregorium Lacium medium inter

parùm ſincerè.

Per Inter-Nuntium ſuum locum ad tractatûs deſignant, quem Poloni reſpuunt.

inter Boroſcum & Moſaiſcum campum deſignant. Sed hunc Subdelegati reſpuêre viciniorem aliquem Metropoli præferentes, unde brevior commodiórque ad Moſchorum Proceres Ordinéſque Nuntiis pateret via, à quorum illi in minutiſſimis etiam rebus ſententiâ conſilióque pendérent. Properare idcirco juſſus Uſacovius, qui denuntiaret Subdelegatos Metropolim verſùs tendere ad inſtituendum cum illorum Legatis colloquium, è vicinia commodiùs peragendum. Et datis literis Vladiſlaüs Proceres ac univerſos Ordines admonuit fideï ſacramentíque, ut clementiam potiùs adventantis obſequio præoccuparent, quàm vindictam perfidiâ arceſſerent. Eas quidem literas à gente rudi impolitâque omníſque civilitatis ignarâ contemtim habitas fuiſſe ſcio, contemtiùs remiſſas per Oporovium, Virovium, Terlecium, Lipſcium, factâ captivorum commutatione libertati reſtitutos Vladiſlaüs indoluit: quippe ſuper reſponſum ruſticum barbarúmque, Titulum Ducis Moſchoviæ ſuo Nomini præfixum, atramento

Uſacovius mittitur Metropolim cum Vladiſlaï Literis.

Literæ contemtim habentur à Moſchis.

mento ſutorio fœdatum conſpurcatúmque inſpexit. Atque ut eſt gens fide perverſâ totâque ex mendaciis & dolis conſuta, exprobrantibus poſt hæc Polonis eam barbariem Moſchorum pleriſque, quâ tantum affeciſſent Principem: negarunt tenaciſſimè, quidpiam à ſe factum ſimile, aſſerentes: venerari ſe, prout deceret, magnorum Regum ſanguinem Regíſque filium Vladiſlaum, cæterùm fruſtra illum Titulum Magni Ducis uſurpare, cujus ille jure ob mendacia Patris (eo vocabulo uſi ſunt) ambitionémque excidiſſet: clementiam benignitatémque non eſt quod offerret talium rerum haud indigentibus, vindictam impavidos conſtantéſque nullam ſe prorſus metuere.

Qui conqueruntur de tam inopinato prope Urbem Vladiſlai adventu.

Sed tam inopinatus Vladiſlaï adventantis nuntius exterruit pervicaces, illicóque per Gregorium Volkovum cum reduce Uſakovio ad caſtra venientem queſti ſunt. Vladiſlaüm armatum primariæ urbi imminere, cùm illi interim à concordia pacificandóque negotio non forent alieni: par an haberent exoptatæ tranquillitatis ſtudium Sub-

Subdelegati, vereri ſeſe: namque legiones interim in excidium urbium terrarúmque immiſſas crudeliter graſſari, pacis proculdubio commercium interturbaturas, ni protinus omiſſis populationibus, præſertim verò Konaſzevicii copiæ, ad Vladiſlaï revocarentur caſtra, quæ ſatiùs ad Dzuingrodum conſiſterent, utpote ad tractatûs inſtituendos commodiore loco. Ad ea reſponſum tulit Volkovus: abiret referrétq; ſuis, redituras à populationibus Moſchoviæ copias ne ſperarent, ni & ipſi ad legitimi Domini juratum ſeſe reciperent rediréntq; obſequium: ſcirent quin etiam advolaturas propediem numeroſiores turmas in excidium pervicacis refractariæque gentis conjuratas; eam verò avocationem copiarum ſubdolè ab illis urgeri, quid enim iis unum in locum arceſſitis exſpectandum foret, niſi ultimam à fame cladem. caſtra à Dzwingrodo mota eſſe ob tardiùs expeditum diutiúſque exſpectatum Uſacovium, ne verò ſibi perſuaderent ea illorum cauſâ retroceſſura, imò eadem mox in conſpectum Metro-

Reſpondent illis Subdelegati.

 polis

polis promovenda ſcirent. Et vix ad Tuſinum conſederat Vladiſlaüs, conſternatos ſubitò Moſchos apparuit: eâdem namque veſperâ nuntius advolarat cum literis: Neu Subdelegati curſum pacificationis interſiſtere vellent, ad quem continuandum mitterentur ab utrinq; tres Nobiles Aulici inter Chodinkam & Preſnam amnes mutuò congreſſuri, diſceptaturíque de loco, tempore, colloquii generalis inſtituendi: dicturi inſimul ſacramentum, quo euntium & redeuntium Legatorum ſecuritati caveretur. Excanduêre Subdelegati, increpitâque morâ, quam fruſtra in his Aulicorum congreſſibus traherent, ipſi ſe venturos ad Nonas Octobres pollicentur loco ad Chodinkam amnem deſignato. Iveréque præmiſſo Metropolim viro militari Sielankâ, qui Legatos ad mutuum invitaret colloquium: ſed cùm illi nullatenus elici poſſent, abſque prævio, cui mordicus inſiſtebant, aulicorum congreſſu, Subdelegati rebus infectis ad caſtra rediêre.

Iterum Moſchi alium locum congreſſui deſtinant, ubi primùm ab utrinq; à tribus Aulicis miſſis negotium ordiri volunt.

Negant id ſubdelegati ipſique ad locum deſignatum vadunt, ſed fruſtra.

At verò Chodkievicium cavillantis hoſtis

ſtis illudentíſque diuturniore tractatuum colloquiique morâ, ut aliquid interim auderet exſtimulabat, & Cozacorum recens adventus, & Liſovianæ turmæ à populationibus, ad quas à Moſaïſco adhuc ſummâ cùm hoſtium locorúmque ſtrage excurrerant, reduces, ducis imperium alacres exſpectantes. Auctis itaque omnium copiarum adventu viribus, Metropolis invaſio oppugnatióque decernitur, cujus ſitum brevibus in conſpectum dare operæ pretium duco.

Decernitur invaſio & oppugnatio Metropolis.

Moſchovia Urbs totius Ruſſiæ atque tam vaſti Septemtrionis caput eſt, ſitûs elegantiâ, magnitudine, civium frequentiâ percelebris; incerta conjectura illa-ne, an univerſum Imperium ejuſdem cognominis, an Moſcua fluvius utramque permeans, ipſe ſibi & terris proprium nomen commodent deferántque. Situm lata amplá que commendat planities, ad multa millia paſſuum ſeſe extendens, nullis è propinquo inhorreſcens ſilvis, tantummodò juniperi fruticetis modicè aſſurgentibus diſtincta.

Deſcriptio Urbis.

Situs.

Spar-

Sparſa hinc & inde per vicinos campos muro educta Cœnobia templáque, velut ſtellæ in lucido emicant Cœlo: ex ipſa verò urbe exſtantia frequentium turrium portarúmque cacumina, Cœnobia eminentibus faſtigiis decora, ædium ſacrarum tholos pleroſque auro fulgentes: ſi deforis aſpicias, raram urbium Europæarum præſertim ejus magnitudinis videbis, quæ tali magnificentiâ elegantiâque ab extrà conſpiciendam ſe præbeat. Urbis magnitudo tribus, ut alibi diximus, diviſa eſt ſepimentis, ſingulis proprio diſtinctis nomine, ſeparatis mœnibus, turribus, ac portis incluſis: ubique templis, Cœnobiis plurimis eleganti aſſurgentibus ſtructurâ. Bialogrodi, Kitaigrodi, Krimgrodi nominibus ſuam indigetant Tripolim. Cæterùm univerſim per antonomaſiam, eóſque ternos ambitûs Metropolim tam incolæ quàm exteri appellant: quo cognomine me quoque, uti ſæpius cogit uſitatum vocabulum, ne urbis quandoque ſimúlque Imperii confundantur cognomina. Magnitudinem auget extra pomeria in-

Magnitudo. lib. 6.

ingens quaſi appendix urbíque annexa ſclopetariorum colonia, ædificiis frequentiſſima: & quia non muro ſed ligneo ſepimento cincta, ligneæ arcis ab indigenis cognomen accepit. Sedes ibi eſt militum ſclopis majoribus armatorum, quorum numerum continuè ibidem excubantium ad quindecim millia nonnulli recenſuêre. Ad magnitudinem inſuper Metropolis extollendam retulêre alii, eam maximas quaſque Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ urbes ambitu ſuo ſuperare. Intus, ſi templa ac Cœnobia demas, paſſim ligneæ domûs ſunt, neque ad ullam ſtructæ venuſtatem, Krimgrodi regia Ducúmque ſedes magnâ ſui parte ad decorem & elegantiam exteris parem, à magiſtris architectíſque Italis educta eſt. Populi, colonorúmque numerum non adeò mihi promtum eſt referre, neque enim ibidem cenſa civium capita aliquando aut legi aut audivi, ædium frequentia urbis magnitudo facilem legenti computum dabit. Certè cùm unicum ſepimentum Alborum mœniorum ſeu Bialogrodi ſuperioribus bellis à Polonis in-

Sclopetariorum colonia.

Vernaculè Strzelecka Slaboda.

Romam, Pariſios, Ulyſſiponem, Zolkievius in Comment.

Regia ſeu ducum ſedes elegans.

Numerus incolarum.

incensum in cinerem favillámque abiisset, centenis millibus cives, si fæminas pueróſque addas, quà igne, quà ferro consumtos, numeratos esse scio.

Cur eam Urbem aggredi statuit Chodkievicius.

Eam itaque urbem invadendi Chodkievicium cupiditas trahebat, in qua universum quodammodo Imperium vinceretur: reputabat hìc totam Michaëlis Majestatem recens acquisitam fortunámque contineri, hìc aulam & thesauros esse, hìc totum robur militémque, at plus hominum quàm virium, ipsam verò imbellem turbam impedimento Urbi futuram. Consternari omnes posse, si Vladislaï arma non jam è vicinia prospicerent, sed sub ipsis sentirent mœnibus, ibidémque tumultuandi ansam arrepturos illos facilè, quibus nec dum Electi in Magnum Ducem Vladislaï excidisset reverentia, pronúsque erga illum affectus remaneret, qui tam commodâ datâ occasione elucere posset. Namque dum Vladislaüs ab extrà vim armáque ad asserendum jus suum exserit, illos ab intrà consilio, manu, non defuturos.

Ergo

Ergo noctem inter undecimum & decimum Octobris diem mediam aggressioni destinat, circumstante reliquo ordinatóque exercitu, ante cujus signa Vladislaüs præsente Chodkievicio ac Subdelegatis eventum avidè præstolabatur. Promotæ mox legiones eam in partem quæ pro murorum casu singulis erant præscriptæ ad invadendum: fuit autem distributio in hunc modum. Ad portam Karvaciam Bartholomæus Novoduorscius Eques Melitensis destinatus, quem præcessêre ipsius pedites armati securibus ad disjiciendam pallationem castelli portæ præstructi, & quæ interim continuâ scloporum explosione hostem distinerent duo peditum vexilla, suis cum Centurionibus Buthlero ac Beglio sequebantur. Ferebantur postmodùm à viginti gregariis piloclastra portæ applicanda, ponè eunte Novoduorscio, Jacobo Sobiescio, primoribúsque Vladislaï aulicis, & quinquaginta ex Chodkievicii, Kosakovii, Sobiescii turmis, selectis loricâque armatis commilitonibus, qui inter voluntarios tunc

Tempus invadendi & Ordo describitur.

 bel-

bellatores comparuerant. In ſubſidium reſtabant Lermunti & Seii peditum aliquot centuriæ, & Liſovianorum equitum ſuo cum Tribuno Czaplinio legio. Quodſi etenim ad eam portam felix reſpondiſſet eventus, centuriæ Buthleri, Beglii, Hungarorúmque in muros ſubitò evolaturæ erant, per apertam verò portam irruptio in urbem Lermunti legioni, Liſovianis copiis, & Raitrum ſubſidiariis turmis Gadeno & Sobeſczanio ductoribus demandabatur. In altera urbis parte ad Verenſem portam, prætenſam Caſtello pallationem effracturi, ivêre Nieviarovii & Przylupſcii pedites, qui interim hoſtem diſtraherent. Breni ac Fulleri præſto erant majores ſclopetarii ducenti, tum lata viginti piloclaſtra talium machinatore induſtrio natione Gallo comitante, unáque Martino Leſniovolſcio Præfecto Zatorienſi, ac pleriſque militibus ex ejuſdem centuriâ & Kazanovii legione ſelectis, & ad quidlibet audendum promtis. Auxiliares à tergo ſequebantur Appelmani peditum aliquot Centuriæ, & Zaporo-

porovienſium Coſacorum decem millia, ac deinde Raitrum vexilla ſex Klebeki, Rozni, Aderkaſſi, Sokolovii, Potemkini, Platembergii, omnes ii ſubſidiarii ſignum invadendi irrumpendíque in urbem exſpectabant, disjectâ apertâque portâ jam patentem.

Nec minor interea defenſoribus cura, qui ab aliquot peditibus Germanis transfugis edocti præmonitíque, obſervabant Polonorum conſilia, præcavebántque denſatis ad portas præſidiariis novíſque operibus munitas, & diſpoſito frequenti per mœnia propugnaculáque milite, exſpectabant imminentem procellam, non adeò ferituram quia præviſam. Ergo jam dato ſigno ad utramque portam procurſum eſt. Et ad Karvaciam quidem Novoduorſcius piloclaſtro admoto proximi objectíque caſtelli fores effregerat disjeceràtve, cùm applicaturo aliud portæ urbis unde rerum pendebat ſumma, in prima emiſſione pilarum eadem manus ab hoſte trajicitur, in qua vulnus ad Moſaïſcum acceperat, adhúcque tenerâ ob-

Moſchi à transfugis præmoniti non imparati invaſionem exſpectant.

Novoduorſcius primi Caſtelli fores pilocaſtro effringit, aliud ad portam Urbis applicaturus vulneratur.

obductum cicatrice rubebat. Læso Novoduorscio applicandi piloclastri nullum concedebatur tempus ab accurrente ad portam celerrimè hoste, in cujus aditu certabatur non uno genere pugnæ, simul sclopis, simul gladiis, & maximè à furente glandium procellâ aggressorum latera fodiebantur: atque ii languentibus jam animis quos, ut viros fortes militaresque decuit, aliquot horarum spatio fortiter exseruerant, cùm & Lisovianæ turmæ auxiliares, & Lermunti peditum Centuriæ starent immotæ, frustràque illorum respectarent subsidia, albescente die tandem retrocessêre, acceptâ illatâque penè ab utrinque æquali clade. Triginta cæsos fuisse constat quorum cadavera ad explendam tyrannidem retraxêre Moschi, saucios ferè centum. E Nobilioribus cecidit Janikovius è Kosakovii Centuriâ commilito, sauciati è Primoribus præter Novoduorscium Equitem Melitensem, Jacobus Sobiescius Palatinides Lublinensis unus è Subdelegatorum numero, Christophorus Sapieha Palatinides Vitepcensis, Steczke-

pugnatur ad portam.

Retrocedunt Poloni pari penè ab utrinque clade illatâ & acceptâ.

Saucii è primoribus Sobiescius & Sapieha.

Steczkevicius, Pasek, Komorscius, Seyus, ac Begel. Paulò plures ab hostibus desideratos totidem vulneribus confectos à transfugis & exploratoribus compertum est. Ex altera parte ad Tuerensem portam à Martino Lesniovolscio suo cum machinatore Gallo nihil attentatum, largiore fossâ inhibente, ad quam superandam breviores scalas pedites attulerant, & à procurrentibus præsidiariis ad omnem vim, si quæ adhiberetur, optimè præparatis, pulsos fugatosque fuisse duo piloclastra hostium potestati relicta, evidens dedêre argumentum.

Ad alteram portam nihil attentatum, cur?

Hic fuit exitus destinatæ invasionis à præviso impetu parùm validæ, nec sine tamen culpâ aliquâ ductorum peractæ. At Chodkievicium virum, si quem Imperatoriis virtutibus longè eminentissimum, miror, eam invasionem adeò publicam fecisse, ut & gregariis pateret militibus, à quorum transfugiis hosti innotesceret: si nox in secretum advocata erat, cur non iisdem silentii tenebris consilia involuta tunc luci cùm & exsecutioni demandanda; ea namque in bellis tam

Invasio illa irrita fuit non sine culpa nonnullorum.

Et Chodkievicius magis secretum tenuisse debuerat Consilium invadendi.

tam diu valida tutáque, quàm diu arcana. Et Mosaïsci excidium & Borissoviæ arcis, ut diximus, ruinam minabatur repentina nocturnáque invasio, nisi tam nota fuisset ut prodi posset. Tantò majorem adeptum claritudinem Zolkievium veterem cautúmque bellandi Ducem comperio, qui consilii sui celati pressíque, qualem ad Clusinum fructum tulerit, testis est illa celeberrima victoria, quæ Moschoviæ jugum, ipsi verò cum laurea nominis æternitatem imposuit. Et si externa memorare libet: Alexander Farnesius Belgarum Camillus, & Ambrosius Spinola clarissimus fortissimúsque dux, inobservatis hosti consiliis quantas Hispano Regi, quámve validas restituêre urbes, docent Belgici Annales. Alterum erratum, videlicet nulla ad portam Carvaciam cum hoste pertinacissimè certanti Novoduorscio submissa auxilia: consternati quippe Moschi pavidíque jam mœnia linquere nudaréque præsidio cœperant, ni recipientium sese importunam fugam Germani pedites Moschis militantes à Miekicia porta accu-

Quâ in parte laus tribuitur Zolkievio.

Et exteris ducibus Alexandro Farnesio & Ambrosio Spinolâ ob idque Vrbium expugnatoribus.

Alia errata oppugnantium.

accurrentes, stitissent: non inspectæ verò antea per speculatores fossæ, nullæ præparatæ scalæ, sanè eos, ad quos hæc spectabat cura, arguebant, monebántque in bellico senatu Subdelegati, sola piloclastra usui vix futura, neque in iis spem reponendam esse, si interim cætera ad invadendam urbem, scalæ præsertim quibus miles in summa eniteretur, deessent.

Sed licèt capi tunc Urbs non potuerit, fructus tamen aliquis hujus aggressionis apparuit. Moschorum promtior, ut videbatur, ad instituendos de pace tractatûs voluntas, & armorum injuriæ illatæ neutros ab ostentatione concordiæ retardabant. Congressum nihilominùs aulicorum futuri cum Legatis colloquii prænuntium tenacissimè petiêre, neque ullatenus dimoveri potuêre à proposito, cùm & minùs necessarium, & contra morem hactenus usitatum, & summam temporis secum jacturam trahentem Subdelegati censerent ostenderéntque: maluêre tamen postmodùm hostium cedere pertinaciæ quàm à Republ. pacis avi-

Ab illa invasione Moschi ad tractatûs promtiores redduntur.

avidiſſimâ rupti infectíque negotii leviori de cauſa accuſari. Nominatis itaque Malinio, Nieborovio, Rydzicio, eos certo cum mandato de loco, tempore colloquii, ſecuritatéque colloquentium Legatorum, ab utrinque tractaturos expediunt. Plurium dierum is labor fuit, cum gente callidiſſima, ſuſpicaci, ſempérque novas ab aſtutiâ mutuante inferentéque difficultates: tandem poſt tot faſtidia nauſeáſque, locus ſub ipſis primariæ Urbis mœnibus ad Preſnam amnem deſignatur, tempus congreſſui Legatorum ad pridie Kalendas Novembris præfigitur, ſecuritas colloquentium totiúſque comitatûs dicto ab utrinque ſacramento firmatur.

Congreſſus aulicorum illis permittitur, expediuntúrque Malinius, Nieborovius & Rydzicius.

Tempus & locus congreſſui Legatorum definitur.

Interim ne arma quieſcerent, neque enim tam numeroſum exercitum uno in loco ob alimentorum inopiam attineri expediebat, Coſacorum legiones juſſu Vladiſlaï Kolomnam verſùs Pereaſlaviámque percurrentes, omnem illam fertilem ditionem quà ferro quà igni pervaſtabant, & Liſovianæ turmæ pari in hoſtem impetu ferebantur,

Coſaci Zaporovienſes & velites Liſoviani ad vaſtandam Moſchoviam dimittuntur.

bantur, cæde ac flammâ pervicacium ulturæ perfidiam; ulciſcebantúrque ſat feliciter, cùm ducis illorum Czaplinii jacturâ è Caſtello nobilis cujuſdam Moſchi deſtinato inobſervabilíque ſclopi ictu proſtrati, fauſtos armorum progreſſûs interturbavit. Ejus vulgatâ in caſtris morte, luxit exercitus virum bellicoſiſſimum, cujus fortitudinem ſingularémque in rebus animoſè gerendis dexteritatem ſæpius mirari extolleréque ſolebat.

Czaplinius Liſovienſium dux occumbit.

Dum infeſtis armis Provinciarum Urbiúmque Moſchoviæ cervix ad debitæ venerationis officium Vladiſlao Electo Moſchoviæ Duci reddendum flectitur, viſum etiam mollioribus remediis è Metropoli contumaces ad obſequium evocare. Appetente namque colloquii deſignato die, delectum mox ad Preſnam amnem ponè ipſa urbis mœnia præterfluentem vicinúmque Tuerenſi portæ locum petière Subdelegati: Adamus Novoduorſcius Epiſcopus Camenecenſis, Conſtantinus Plichta Caſtellanus Sochacovienſis, Leo Sapieha Magni

Conveniunt ad Preſnam amnem & Poloni & Moſchorum Legati.

gni Ducatûs Lithvaniæ Cancellarius, Alexander Gosievius ejusdem Ducatûs Referendarius, & Jacobus Sobiescius quingentis equitibus peditibúsque cincti. Et eas quidem turmas à latere militariter instructas, earum continuêre ductores, soli Subdelegati cum quinquaginta nobilium militúmque honorariorum globo processêre. Supervenerant jam & Moschorum Legati Theodorus Joannis Seremetus. Daniël Joannis Mezecius, Arthemius Bazilii Ismaïlus, Joannes Joannis Bolotnikus Magni Ducatûs à secretis, Matthæus Sumovus Legationis Notarius. Nec procul hinc & inde ad ipsa urbis mœnia bis mille equites peditésque illorum comparebant, quos in belli speciem Tribuni explicaverant. Primi Moschi dictâ Regiis impertitâque salute, cùm vicissim ab his perhumaniter invitati, quò commodiùs colloquerentur, ex equis descendere nollent, ea mox proposuêre. Venisse se annuente Magno Duce Moschoviæ Michaële (cujus titulos ad nauseam usque recensuêre) ad colloquium de pace instituendum, inter eundem Magnum Ducem & Sigismundum Poloniæ Regem: eo præcauto ne ulla mentio Vladislaï Principis fieret, ejúsque prætensi juris, quod jam ipso tempore evanuisset, eodémque penitus excidisset. Id namque si urgere pergerent, non sperarent ulteriores congressûs, sciréntque omnes Moschoviæ Ordines cum vitæ fortunarúmque etiam dispendio nunquam se Magnum Ducem Michaëlem deserturos. Ad hæc adjecêre suetâ garrulitate verbísque ad fastum & arrogantiam attemperatis, nullatenus se hucusque pacificandi negotii cupidos fuisse, nisi se primùm Poloni sollicitè provocassent. Quoniam verò ea semper colloquii summa aliquot congressuum fuit, singulos referre ut supervacaneum esse duco, ita conflictûs rationum de jure Principis Vladislaï certantium in unum collectos, brevibus proponam.

Moschi Subdelegatos primi salutant, præcavéntque ne ulla mentio Vladislaï tamquam Electi Moschoviæ Ducis fieret.

Legatorum itaque Moschorum sermonem excepit Sapieha Cancellarius Lithvaniæ, refutatâque arroganti jactantiâ quam in vanum exseruissent, cùm plenè constaret

Respondet Leo Sapieha.

ret ipſos per Zelebovium cæteróſque Nuntios penè ſupplices, primóſque ad promovendam pacem Legatos ſollicitaſſe: mox eos juramenti Vladiſlao præſtiti admonuit, quod ultrò & exorato Rege Sigiſmundo, ne ipſis invitantibus ad ſceptrum Moſchoviæ Filium denegaret, alacres promtique dixiſſent. *Viderent quantum eſſet flagitium perjurii ſeſe contaminare ſcelere, ab irato Numine ſeverè vindicando. Neu ſacroſancto tremendóque illius Nomini illuderent, ni parem exſpectarent cladem quali nefarius hic luſus pleriſque Regibus Regniſque, ut exempla docent, conſtitiſſet. Reciperent proinde Principem Electum ſuíſque arceſſitum votis, cuíque omnes haud coacti dixiſſent Sacramentum. At quanto id cum emolumento ornamentóque totius Imperii facturi eſſent, diſpicerent. Habituros ſe Magnum Ducem, Cæſarum, Regum, quorum Chriſtianus Orbis regitur ſceptris, veram progeniem, eóque unicè venerandam. Exulaturam tyrannidem quæ hactenus levi ex cauſâ principes afflixiſſet familias, cùm unius noxii crimen pater, mater, cognati, tota denique domus ſuis ſpoliata fortunis pari expiaret ſupplicio: aliam regiminis formam à pio, optimo, clementi, Chriſtianiſque*

Moſchos ad ſervandum juramentum adhortatur.

niſque virtutibus conſpicuo ſperarent Principe, qui non ad arbitrium voluntatémque, ſed ex præſcripto juris & æqui meritorum præmia & pœnas ſuis irrogaret ſubditis. Habituros denique libertatem ut corporum, ita & animorum; victuros omni metu ſolutos, ſolà ſibi obſequii amoriſque erga Principem reſtante gloriâ. Quæ verò emolumenta fœderatam Poloniæ Moſchoviam manerent, conſiderarent: præter commerciorum utriúſque gentis facilitatem commoditatémque mutua utrinque connubia & affinitatum vincula, unde coaleſcentibus animis viribúſque, vicinis perquam formidandi evaderent: præcipuè verò Turcis Tatariſque juratis Chriſtiani nominis hoſtibus: ſopirentur ad extremum omnes controverſiæ de Provinciis, arcibus urbibus, à Ducibus olim Moſchoviæ fraudulenter interceptis, quæ hucuſque interceſſerant: facili concordiâ inter Patrem & Filium litem dirimente. E contrario viderent quæ à Michaëlis regimine damna illis! quæ ignominia! quantúmve dedecus impenderet! Non poſſe illum diutiùs cœlo exprobrare patientiam tanti criminis reum, qui peſſimis artibus ſummâ cum perjurii labe, non Procerum ſuffragiis, ſed tumultuantium Coſacorum impetu, clavum Imperii arripuiſſet. At quis ille? nullo natalium genere ſplendidus, unius

Emolumenta fœderatæ Moſchis Poloniæ.

Damna à Michaëlis regimine provenientia.

Cœ-

Cœnobiarchæ filius, cujus impar esset sceptro nobilitas, quæ longè clarior in familiis Mscislaviorum, Suysciorum, Trubeciorum, Galicinorum, Szeremetiorum, Mezetiorum, cæterorúmque eluceret. Atque si inter Proceres Moschorum de loci dignitate præeminentiâque plerumque exoriri solerent contentiones, quo animo nunc generosa pectora ferrent, aut in posterum latura essent supremum occupantem solium, hominem infimæ nobilitatis, ætatísque imbecillæ, quam unà cum Imperio Mater impotens fæmina regeret, muliebribus consiliis pessundatura Moschoviam. Insuper aspernaturos Principes exteros vicinósque Michaëlem ut imparem, invasuros impune ditiones ipsius insultaturósque Provinciis, acuente contemtu illorum audaciam. Redirent itaque ad legitimi Domini obsequium, liberarent sese tam fœdo perjurii crimine, néve vindictam ab irato arcesserent Cœlo, à clementia verò Vladislaï securè sibi veniam pollicerentur, certique essent gratiæ ac munificentiæ Magni Ducis.

Replicant Moschi.

Ad ea Moschi dedêre responsum in hanc, ut accepi, sententiam: *Non imus inficias electum esse à nobis in Magnum Moschoviæ Ducem Vladislaüm, suffragiis & animis concordibus, res à nobis acta est, præstitimus futuro Principi juramentum, pro ejus salute incolumitatéque supplices ad Divorum aras ivimus, vota detulimus, ipsius nomen titulúmque præferebant edicta, literæ, annuli signatorii, moneta aurea argenteáque, Metropolis cum Ducali sceptro, corona, gazâque & omni ornatu Stanislao Zolkievio Palatino Kioviensi, & supremo armorum duci tradita deditáque, ad adventum Principis retinenda. At dum Electum avidi præstolamur Vladislaüm ad ejúsque præsentiam anhelamus, tunc verò ille non comparuit, quin imò & Legati qui ad arcessendum deducendúmque iverant, contra jus gentium detenti vinctique: Rex suam potiùs quàm filii causam egit, Imperium Vladislao delatum ambivit, pérque suos emissarios Procerum voluntates flectere studuit, ut sibi potiùs deferrent regimen utpote ævi Regníque maturo, cui adhuc tenera filii ætas impar esset. Horret animus meminisse insolentiæ vestrorum militum, pressi divexatique hospites præter alimenta, vinum & cupedias, æs extortum, carissima quæque in oculis abducta raptáque: Uxores filiæque inspectantibus maritis parentibúsque stupris fœdatæ. Jam verò à mero turbidis pérque urbem vagis illata obviis vulnera, rixæ, contentiones excitatæ, tanto contemtu*

Fatentur se elegisse Vladislaüm in Magnum Ducem.

Qui vocatus non comparuit, Rege magis suam promovente causam.

Insolentia Polonorum ingens; cui ferendæ Moschi impares.

tu gentis, ut non aliò populares nostri quàm canum Moschoviticorum, proditorum, latronum nomine compellarentur. Ad extremùm nec à templis sacrariisque manûs abstinuêre: Metropolis incensa redactáque in favillam, thesauri longâ Ducum parsimoniâ coacervati, direpti, vastatum Imperium, res fortunæque pessundatæ, quàm immanem vestrorum arguunt insolentiam! Ergóne tam diu nos servilis patientiæ documentum esse oportuit? Ergóne vestris mendaciis Principis adventum trahentibus differentibúsque ludi oportuit? Exspectavimus Vladislaüm læti lubentésque, vocavimus, institimus, tulimus sat diu vestrorum fastidia, cum nulla spe venturi Principis affulgente, interea vacillantem absque Rectore Imperii navem turbo concuteret, spreti contemtique, per absentiam Electi Ducis ad alium vota suffragiáque deferre ipsa penè pereuntium necessitas suasit, detulimúsque Michaëli Fiedorovicio, huic Inaugurato sacramentum diximus, vitam fortunásque nostras devovimus, tum primùm ab eo defecturi, cùm nos vita sanguísque defecerit. Licèt verò, prout asseritis, non tam illustri genere ortus sit, in cassum id objicitur, quandoquidem eum æterni Numinis beneficium Regibus quibusvis Maximis parem esse jusserit, faventis cœli calculo eum

Absque Rectore Moschovia diutiùs esse non potuit, proinde electus Michaël Fiedorovicius.

eum splendorem acceperit, qui natalium compensavit claritudinem. Neque vos, ô Legati, decet contumeliosis incessere dictis Christum Domini, ni à dicendis abstinetis injuriis, paria de vestro Principe mox audituri estis: qui apud nos vestris non eget elogiis, frustra nobis invitis illum obtruditis, desistite rem tractu temporis evanidam memorare, nullatenus jam restituendam.

Quem Deus hisce terris imposuit æqualémque cæteris Monarchis esse jussit.

Differebant contrà Subdelegati: *speciosam magis quam veram obtendere illos sui perjurii excusationem, cùm omnem in tardiorem Principis adventum rejicerent culpam. Quî enim veniret, cùm vix à dicto sacramento nefarii proditores comparuissent. Leponovus, Pozarscius, cæteríque excitatâ seditione, commoto vulgo ipsimet imperium affectantes. Itáne verò conjuratis rebellium manibus objiciendus erat Vladislaüs? ad quas coërcendas nulla Proceres contulissent consilia, nullas expedivissent vires, immotique & otiosi tantùm fuissent spectatores. Eáne fuit voluntatis affectûsque constantia? quisquis proditori connivet, ejus & ipse (tectus licèt) personam agit. Opprimenda erat in herba seditio, puniendi rebelles, obviandùm temerariis consiliis, pacandum Imperium restituendúmque tranquillitati, tum ab adventu præsen-*

Respondent secundò Subdelegati.

Vladislaüs venire in Moschoviam non poterat propter erumpentem rebellionem.

ſentiâque Vladiſlaï diſcuſſâ jam tumultuantium nube, nova Moſchoviæ illuxiſſet ſerenitas. Philareti Gallicini detentione nihil contra jura gentium peccatum eſt, quandoquidem non Legatos ſed proditores agerent, tantique convicti evidentibus documentis ſceleris, acerbius meruiſſent ſupplicium. Incenſam direptámque Metropolim inſcio Rege, inſcio Vladiſlao, eam tuliſſe calamitatem: indoluêre Principes cladi publicæ, at unde illa? læſam à proditoribus militum Polonorum patientiam in furorem erupiſſe, obſeſſis à Lepuno, Pozarſcio, Zarucio, coarctatiſque quid aliud ſupererat niſi arma ſoláque vindicta adeò nefariæ conjurationis. Quidquid inſolentiùs patratum à milite, quidquid dictum contumelioſiùs, ſibi illos imputare debere, qui paribus contumeliis jurgiis, rixâ, hoſtili denique animo innoxios exaſperaſſent. Faceſſerent itaque ſuis cum quæſitis coloribus, quos in caſſum non abſque mendacii notâ aperto inducerent perjurio, néve juramentum præſtitum rem temporis tractu evanidam appellarent, quod non annorum definiviſſent ſpatio, ſed in perpetuum Vladiſlao, ejúſque ſucceſſoribus pro ſe ſuíſque dixiſſent poſteris. Neque verò ſperarent deſerendam à Deo æquiſſimam Vladiſlaï cauſam, quem daturum tantum virium

rium Polonis confiderent, ad promovendum ipſius jus vindicandámque injuriam, nullatenus ab iis vitæ ſanguiníſque etiam diſpendio deſerendam.

In hunc itaque modum, cùm ab utrinque de jure Vladiſlaï diſceptationibus altercationibúſque contenditur, aliquot congreſſûs fruſtra fuêre: Moſchis pertinaciſſimè ſuo pro Michaële decertantibus, ad mentionem verò Electi Ducis Vladiſlaï ita obſtinatis obduratíſque, ut nec ampliùs ad colloquium redire extremáque ſe potiùs pati velle minitarentur, ſi Regii eam rem (quam toties quoties tractu temporis obſoletam præteritamque appellare ſolebant) tantâ contentione promoverent. Et tantò elatiores fecêre interceptæ unà cum tabellario literæ Regiæ, quibus mandabat Subdelegatis: Si Moſchorum pervicacia in recipiendo Vladiſlao nullatenus flecti frangíque poſſet, bellum aut perpetuâ aut ſequeſtrâ terminarent pace. Neque celavêre Moſchi mandatum Regium, prolatíſque in tertio colloquio literis, culpabant Subdelegatorum fidem, quaſi non cum ea agerent quam

Moſchi pro ſuo Michaële acerrimè decertant.

31. Octob. 2. Novem. 4. Novemb.

Literas Regias ad Subdelegatos datas intercipiunt.

quam ſuo deberent Regi: facilè refutantibus Subdelegatis, recentioráque mandata obtendentibus, quæ nuper duo ex ipſorum Collegio ad caſtra reduces attuliſſent.

Epiſcopus Camenecenſis & Sapieha.

In tantâ igitur contumaciſſimæ gentis pervicaciâ, præciſa erat omnis ſpes reſtituendi legitimo Principi obſequii, à quo conjuratæ omnium abhorrerent mentes, nemóque compareret qui propenſionem ſuam ſincerè aut ſeriò demonſtraret. Adhæc reputantes Subdelegati arma viréſque redigendis in ordinem barbaris parùm validas, & quotidiano abitu diſceſſúque militum extenuatas legiones, earum verò quæ remanerent, ob parcè ſubmiſſi æris penuriam continuos queſtûs ac indignationem, erupturóſque propediem miſſionem flagitantium tumultûs: conſiderantes inſuper mandati ſui tenorem, quo à Rege ac Reipub. inſtructi eſſent, inſpectíſque literis Regiis pacem non bellum jubentibus, ad media tandem deſcendere ſtatuunt. quibus hoc finiri, illa verò ſalvâ Regis dignitate & Vladiſlaï Principis jure ſtabiliri poſſet. Et is

Ad reddendum obſequium Vladiſlao Moſchi nullis mediis induci poſſunt.

is quidem edocebatur à Subdelegatis ſingulorum congreſſuum colloquia, referentibus, quantâ ſecum contumaciâ hoſtes agerent, quámve alieno eſſent animo, nec aliter niſi ultimâ armorum ratione inflectendo adigendóque: ac proinde per Epiſcopum Camenecenſem monſtrato, quod Varſoviæ ſubſcripſiſſet, diplomate, prolatis Regiis literis pacem jubentibus, deinde mandato ſecretiori, quo inſtructi eſſent: expoſitâ omnium Ordinum mente, quibus juratam obligaſſent fidem, oravêre ut benignus ſeſe ad eorum accomodaret voluntatem, atque interea temporis aliquantùm de ſuo remitteret jure. Nullis ſe profectò ſcriptis adigi poſſe, reſpondit Vladiſlaüs, ad tam evidens jus deſerendum, quod orbis totius judicio committere non reformidaret, poſſéque adhuc temporis ſucceſſu pervicaciam rebellium commodiùs frangi, attamen invitis ſe imperare nolle, velléque obſequi Reip. patriæ ſuæ chariſſimæ rationibus, eâ conditione interpoſitâ, ut Moſchi ſupplices apud ſe per Legatos comparerent,

Vladiſlao ſingulorum congreſſuum colloquia referunt Subdelegati, orántque neu à Pacis negotio alienus eſſet.

Vladiſlaüs ad Pacem inclinat certis conditionibus.

rent, veniam rebellionis peterent, arces pecuniámque (quod leviori de causa Suecis fecissent) adnumerarent, tum primùm à juramento sibi præstito absolvendi.

Eas proponunt Subdelegati in sequenti congressu.

Atque ea in proximo congressu post assertum priùs propugnatúmque more solito validissimis rationibus Vladislaï legitimè Electi jus, proposuère Subdelegati, obtuleréque pacem perpetuam, si arces urbésque proditoriæ regnantibus Alexandro & Sigismundo Primo Poloniæ Regibus interceptas restituerent: Vladislaüm verò Plescoviâ cum territoriis adjacentibus donatâ contentum facerent. Sed Legati perpetuâ pace repudiatâ respondère more suo barbarè contemtímque: Supplices Moschos neu sibi polliceretur Princeps, pecuniam arcésque prætenso jure redimendo ne peteret, illud namque jam evanuisse mendaciísque vestris penitus abolitum esse: sibi nihil ampliùs cum Vladislao negotii intercedere, abiret ille hinc, séque ad Patrem reciperet: Subdelegati verò remisso rigore temperatiùs aliquid in medium adferrent.

Rejiciunt contemtim Moschi.

Tum verò Regii compertâ solitâ gentis versutissimæ pervicaciâ: & quâ tandem conditione inducias stabilire, & cujus temporis spatio inducias circumscribere optarent, interrogavêre: respondentibus, Retinerent interim Poloni Smolenscum, reliquis verò cederent arcibus, pacem sequestram in viginti annos prorogarent. Enimverò movit indignationem ridiculum Moschorum postulatum, & post multos altercantium ab utrinque sermones obtulêre tandem Starodubum, Czernichoviam, Muromscum, Poczepoviam, Neulam, Siebiezum, arces urbésque, si pax sanciretur, restituendas. Verùm negabant Subdelegati se iis tantùm locis acquiescere posse, nisi adderent Branscum cum territorio Comarzinensi, Novogardiam Severiæ, Trubeckum, quandoquidem ii vicissim Viasmam & Kozielscum restituerent. Hærentibus ad ea pertinaciùs Moschis colloquium tandem irritum fuit, concertationésque aversis aliò mentibus repentè dissolutæ sunt, cum hac Subdelegato-

Suas interim proponunt.

Poloni indignantur & certa loca sibi tradi postulant.

Solvitur colloquium: Poloni acriùs bellum Moſchis denuntiant.

rum denunciatione: Quandoquidem ea pactionis capita ad conciliandam pacem percommoda contumaces aſpernarentur, populóſque optatæ tranquillitatis fructu perperam fruſtrarentur, certò ſcirent iturum cum ſuis copiis in penitiora Moſchovitici Imperii Vladiſlaüm, ibidémque ſumtis hibernis initurum vias rationéſque cum aſpernantibus ſubditis tranſigendi. Sed nihil prorſus ea denuntiatio Moſchorum animos perculit: quippe falſò à transfugis edocebantur, credebántque exceſſurum brevi è Moſchovia ſuo cum exercitu Vladiſlaüm, quem immitis ſupra modum Cœli rigor ad clementiora hiberna compelleret: ſi verò obſtinatiùs pergeret, ejus copias à fame & frigore duobus veluti validiſſimis hoſtibus delendas ſæpius jactabundi minitabantur.

Exercitus à Tuſino in interiora Moſchoviæ movetur.

Sed jam momenta urgebant aliò deportandi à Tuſino exercitum, & qui hactenus fecerat moram advenerat nuper Vloſtovius à Quæſtore Regni cum pecunia miſſus, & miles impatiens uni ſe affixum loco tamdiu querebatur, à conſumta annona reïque

que

que cibariæ inopiâ inſolentior factus: defecerat enim equis pabulum, & ſub dio agentes legiones acriora frigora perurebant, exuſtâ ab hoſte cum circumjacentibus pagis materiâ ad excitanda tuguria caſtrenſia perutili. Murmurantem itaque militem motis caſtris compoſuêre duces, itúmque eſt in penetralia Imperii. Et ſub ipſis moenibus urbis primariæ tendentem explicatis ſignis, inſtructâque acie exercitum conſpexêre Moſchi, attonitíque qui eò proceſſurum nunquam ſperaverant, & ſive attoniti, ſive perterriti, copias illas nullis aut excurſionibus, aut machinarum exploſione euntes laceſſivêre: certè quid illis in tam ſubito periculo conſternationis fuerit, promtum eſt ſuſpicari. Nec vana fuit ſuſpicio; prodidit namque metum ſubitò properans à Metropoli nuntius compellánſque Subdelegatos: neu inceptum de pace colloquium abrumperent, rediréntque potiùs ad ſolitos congreſſûs optato uti ſperarent terminandos fine. Verùm nec dignitas, nec tanta loci intercapedo permittebat Subdele-

6 Novembris.

Inſtructâ acie ſub ipſis mœnibus Vrbis primariæ tendit.

9 Novembris.

Moſchi iterum ut ad colloquium

dele-

Subdelegati redeant, invitant.

delegatos jam retrogredi, tantò verò minùs à Cœnobio Trinitatis, ultra quod Vladiſlaüs conſtitiſſet, abeſſétque jam à Metropoli leucis circiter octodecim, commodum erat ire rediréque tractandi negotii cauſâ.

Nolunt Subdelegati, mittunt tres ſplendidæ Nobilitatis viros ad negotium perficiendum.

Quapropter compendioſiùs viſum ſi tres Nuntii, viri ut ſplendidæ nobilitatis ita rebus conficiendis pares, Metropolim ablegatur: delectíque qui irent Chriſtophorus Sapieha Palatinides Vitepſenſis, Karſnicius, Hridzicius Regi à ſecretis: mox inſtructi ſecretioribus mandatis juxta quorum præſcriptum cum Moſchorum agerent Legatis: datæ ad eoſdem literæ fidem adſtruentes, ſuadentéſque ut ſi feliciter in æqua pactionum capita inclinarent animi, ipſimet præſto adeſſent plenâ muniti facultate, ultimam mutuis conſiliis manum tanto operi impoſituri, conventáque ab utrinque juramento firmaturi. Locum verò quo convenirent proximum Cœnobio Trinitatis, eorum ſe faciles permittere arbitrio.

Vladiſlaüs ultra Metropolim in penitiora.

Oſtentabat in ipſis penetralibus Moſchoviæ arma Vladiſlaüs, eóque proceſſerat quò ante

Moſchovia penetrat.

illum Principum Polonorum nemo, adacturus refractarias mentes ad obſequium, & laceratis Imperii viſceribus, terrarum vaſtitate, excidiis Provinciarum, flexurus immites animos. Atque jam Cœnobium Trinitatis notus ſuperioribus bellis locus appriméque opportunus, vicinam verebatur potentiam, alia ex parte Pereaſlavia urbs populoſa fatum ſuum in horas exſpectabat, ni portas liberè aperiret. Diſpoſitæ itaque per adjacentes pagos ſuis in ſtativis manebant legiones: Vladiſlaüs Rochaczeviæ prætoriano milite cinctus ſubſtiterat: Chodkievicius in Pereaſlaviæ viciniâ copiarum partem locaverat, Adamus Novoduorſcius Epiſcopus Camenecenſis, Leo Sapieha Cancellarius & Goſievius Referendarius pagum Swatkowice occupaverant Principis ſtationi penè contiguum, à Cœnobio verò Trinitatis ſeſquihoræ intervallo diſtantem.

Miles ſtipendia tumultuosè efflagitat, abitum minatur.

At miles longinquiorem licèt recentioremq; Septemtrionis hauriret auram, reſiduam maléque preſſam ſeditionis ſecum attulerat luem, quæ legionem Kazanovii in im-

immenſum ſubitóque corripuit. Iterum per Klodzinium efflagitata ſtipendia, tantóque validiùs quantò plus ex adveƈtâ ſperaverat pecuniâ: fremitu, minis, clamoribus perſtrepebat Subdelegatorum ſtatio, quam tumultuariè circumſteterant cum juramento, denuntiantes: ſe intra triduum motis ſignis è Moſchovia exceſſuros. Orare Subdelegati ne Principem hoſtili in terra desererent, aut ſi abitum contumaces pararent, clàm dilaberentur: neu hoſtem cujus in caſtris nuntium adeſſe ſcirent, publico tumultu ſuæ temeritatis admonerent, inde arrogantiùs inſultaturum, durioráque in pacis negotio
19.20. 21.22. November. traƈtando propoſiturum. Quatriduum cum inſolenti milite aƈtum gliſcente ſerpentéque malo pertinaciùs, cui vix à precibus
Placatur à Vladiſlao. Vladiſlaï inventum eſt temporaneum remedium: videlicet impetratâ ad VIII Kalendas Decembris patientiâ. Interim quâ prece, quâ pollicitationibus flexi conquievêre, miſſis duobus commilitonibus ad Regem, qui reſiduam quadraginta millium florenorum ſummam ſibi perſolui peterent,

rent, reciperéntque à Quæſtore Regni tantiſper eam, ſi intra id temporis pax coaleſceret, extra Moſchoviæ limitem tranquillè pacatéque exſpeƈtaturi. Comprehenderat *& Lithvanicæ Legiones ſeditioſæ, mitigantur.* quoque idem malum & Lithvanas legiones, quæ ſtipendiis non procedentibus pari tumultu paribúſque exarſerant minis: iis propoſitis conditionibus, in quas nec ſalvâ *13. Decemb.* fide, nec Repub., Subdelegati, conſentire poſſent. Tandem poſt multas difficultates pluriúmque dierum exantlatos labores, devoratas moleſtias, æquiores ſe præbuêre, pollicitíque ſunt exſpeƈtaturos ſe emeritam pecuniam, cui perſolvendæ ab Idibus Decembris decem hebdomadarum ſpatium præfixerant, commoraturi interim ſeu in hoſtico, ſeu ſtabilitâ pace in territoriis ex vi paƈtorum Reïpub. acceſſuris.

Sopita videbantur magnorum in exercitu motuum initia, ſed non abſque emicantibus quandoque ſcintillis: gliſcente namque inopiâ & quaſi honeſtiore ex neceſſitate licentiâ, curſum ulterioris belli interturbari non mediocriter indoluit Vladiſlaüs, præ-

præſertim cùm in tantâ militis ad promovenda arma ſegnitie contumaciâque, rerum gerendarum elapſa ocaſio nullis conſiliis, quantumvis optimis, ſiſti poterat. Et qui ſtitiſſent in tantâ æris penuriâ, quæ ab Ordinum ægre contribuentium proveniebat parſimoniâ. Namque initis rationibus primo vere ſeptuaginta millia in militem diſtributa: Vloſtovius verò nuper ad caſtra in Novembre centum octuaginta millia attulerat: ita toto ſemeſtri miles leviter aſperſus, cum inopiâ egeſtatéque à parcè ſubminiſtrato ære continuò luctabatur, frequentiúſque cum fame quàm cum hoſte confligebat.

Vladiſlaüs dolet elabi occaſionem rerum gerendarum à parcè ſubmiſſâ pecuniâ.

Jam verò ex datis ad Subdelegatos à Quæſtore Regni literis intellectum eſt, reliquam tantummodò centum millium ſummam in ærario eſſe in Moſchoviticæ expeditionis militem diſtribuendam, ea verò deducto calculo ad perſolvenda emerita ſtipendia haud ſufficiebat, ni aliunde providerent Ordines. Atque in iis rerum anguſtiis, & copiis non eodem numero militum

tum pariter refertis, contumacibúſque, torſit Chodkievicium ac Subdelegatos de ulteriori belli progreſſu deliberabundos ſolicitudo, ſi Moſchorum pervicacia aut pacem reſpueret, aut in adultiorem cunctando extraheret hiemem: omniúmque eò inclinavêre ſententiæ, ut parte cum exercitûs Chodkievicius Viaſmæ aut Smolenſci hibernaturum deduceret Principem, reliquum verò copiarum maneret in hoſtili ſolo cum duobus Subdelegatis, quorum imperio ſubeſſet conſilióque regeretur: interea verò excurſionibus, cædibus, flammâ, variiſque, quæ militaris ſcientia ſuggereret, ſtratagematibus rebellium contunderet pervicaciam: ibidémque & Zaporovienſium legiones & Liſovianorum turmas, quò validior eſſet exercitus, cenſuêre retinendas. Id verò ubi militi innotuit, confeſtim contrà niti, aſpernari militiam diuturniorem, duras Subdelegatis, quas chirographo ſignarent, proponere conditiones: ad extremùm ſeditionem novúmque armatorum fœdus minitari. Nec Vladiſlao

De ulteriori belli progreſſu deliberat Chodkievicius cum Subdelegatis.

Miles abſque Vladiſlao in Moſchovia manere non vult.

diſlao prehenſanti militum animos feliciter opera ſucceſſit: quippe ſtudebat omnibus modis bellum protrahere, prævidebátque rebellium animos, ſi vis ulterior adhiberetur, majori cum gloriâ edomari poſſe: eapropter inſtabat volebátque congreſſûs colloquiáque cum hoſte abrumpi irritáque facere. Nec recuſavêre Subdelegati modò militem ſibi obſequentiorem redderet, qui ſi bellandum ulteriùs foret non jam è Polono ærario emerita ſperaret æra, ſed in ſpem Moſchovitici Imperii ſtipendia faceret, indéque & præmia & debitam exſpectaret pecuniam: ejus verò reï & Principem, & Subdelegatos datâ cautione ſecuros redderet.

Vladiſlaüs bellum protrahere nititur, Subdelegati aſſentiuntur, ſed certâ conditione.

Interpellatus miles neque precibus neque auctoritati Principis quidquam dedit, durior indies aſperiórque. Tum verò Subdelegati exhibitâ Principi omnium Ordinum voluntate, poſitâ ob oculos ærarii inopiâ, exaggeratis continuis ſeditionibus equitum, inculcatâ exercitûs egeſtate, extenuatíſque à contumacia, quam ipſe expertus eſſet, ſignis, ſub quibus rari comparerent

Vladiſlaüs nihil efficit apud militem & à Subdelegatis exoratur ne paci ſit contrarius.

rerent

rerent milites, millenarium ſtatariæ pugnæ idoneum haud excedentes numerum, hiemis imminentis rigorem, peditum à fame & frigore cadentium continua funera: oravêre, cederet tandem fatis ita volentibus, differrétque vindictam, quam ſibi faventiora reſervarent tempora: ſe verò pacem tali conditione attemperaturos, quæ nullum juri ipſius præjudicium adferret.

Et annuente quidem Principe, jam cœptum Metropoli cum Nuntiis nuper expeditis negotium pacis lentè procedebat, cunctantibus Moſchis ſuæque inſiſtentibus pervicaciæ:

Annuit ille, interim in Urbe tractatûs lentiùs procedunt.

cùm tandem poſt aliquot congreſſûs utrique certos allegant homines, qui Subdelegatis referrent in quibus potiſſimùm pactionis capitibus inter ſe diſſentirent. Duo autem erant videlicet Branſcum, quod ardentiſſimè ad cæteras arces adnumerari Poloni urgebant: & induciarum tempus, cùm id viginti annorum ſpatio Moſchi circumſcriberent, noſtri non ultra decennium extendi vellent. Petebant itaque datis literis quid in eo paſſu cenſerent

Moſchi Branſcum nullatenus concedere volunt.

 ſerent

ſerent Subdelegati, monebátque clàm Sapieha ſuo Collegarúmque nomine, fruſtra urgeri Branſcum, in quo extorquendo hactenus oleum & operam perdidiſſent, & cujus loco Sierpierskum oblatum ab hoſte an non ſatiùs eſſet accipere? & idem diſertè ſuis in literis per Oharovum miſſis ſignificavêre Moſchi: & quandoquidem Nuntii eam controverſiam ad Subdelegatorum arbitrium rejeciſſent, edocerent illos quantociùs ſuíque conſilii aperirent ſummam, à cujus felici ſucceſſu venturos ſe ad Cœnobium Trinitatis propediem, finémque tanto impoſituros negotio pollicebantur. Reſponſum Moſchis: Quandoquidem pacis causâ Branſcum tradere nollent, ejus verò loco Sierpierskum locum minoris momenti concederent, adjicerent ad hæc Mazalſcum & Zavolociam, nec cunctabundi tempus prorogarent, plura à Nuntiis audituros quibus ulteriùs mentem ſuam aperuiſſent. Ii verò commonebantur: caverent ſibi à verſutiſſima gente, néve aliquâ facilitate in tractandis negotiis peccarent, urgerent ſedulò,

Poloni alias arces loco illius efflagitant.

lò, quoad poſſent, Branſcum, aut ejus loco Sierpierskum, Maſalſcum, Zavolociam, ad extremùm ſi immobiles perſiſterent, ut ſolo Sierpiersko addito conquieſcerent. Inducias verò quatuordecim aut ad ſummum quindecim annis definirent. Cætera ad mutuum Moſchorum cum Subdelegatis congreſſum differrent.

Poſt egregiè tandem impenſam operam non abſque prudentiæ dexteritatíſque laude, rediêre Nuntii tertio Kalendas Decembris, quos ponè ſecuti Moſchorum Legati ad Cœnobium Trinitatis divertêre, miſſo Joanne Baſilii Polejovo, qui eorum adventum Subdelegatis nuntiaret, déque loco & ſecuritate conferret. Delectus itaque pagus vulgò Diwilina dictus, quò commeantes ab utrinque jam confidentiùs liberiúſque uni aſſidentes menſæ pactionum examinavêre capita: cúmque nonnulla moderatione, alia verò limâ indigerent, negavêre Moſchi ſe quidpiam demturos, aut addituros inſtrumento in ipſa urbe concepto expenſóque à Magno Duce. Sed cùm & tem-

Nuntii ab Urbe redeunt, ſequuntur Legati Moſchorum.

Pagus Diwilina ad tractatûs deligitur.

temporis ratio non probè constaret, & verborum dubius tenor insertus rem penitus everteret, victi rationibus proniores postmodùm inter se agitavêre, tandem tertio die ante Idûs Decembris firmavêre scripto comprehensas conditiones, appositis chirographis, sigillis, denique juramentis præstitis.

Tandem Pax sequestra concluditur, 11 die Decembris.

Octodecim capitibus universa Pacificatio composita erat, quorum præcipua libet hîc referre. Induciæ quatuordecim annorum durarent spatio: videlicet à tertia Januarii 1619 ad eundem diem 1633: sex insuper essent Menses Julii tertio die terminandi, inter quos seu de pace ulteriori, seu de bello colloquia inter Delegatos instituerentur. Interim durantibus induciis Rex Sigismundus, Vladislaüs Princeps, Résque publica Polona, ab omni hostilitate abstineret: néve arces, terras, ac dominium Moschorum sub prætextu juris prætensi invaderet, aut novas exstruere munitiones præsumeret: quod vicissim Moschi sanctè pollicerentur. Arces urbésque pro redimenda

his conditionibus.

menda pace datæ donatæque Polonis sunt hæ: Smolenscum, Biala, Roslavia, Drohobusium, Sierpierskum, Trubeckum, Novogardia Severiæ, cum territoriis tam cis quàm trans fluvium Dziesnam sitis, Czerniechovia, Monasterscum, Moromskum. Poloni verò restituerent Borissovum, Kosielscum, Mosaïscum, Mescerscum, Viasmam cum adjacentibus agris: quarum arcium restitutionem recompensarent vice versâ Moschi datis Starodubo, Poczapovia, Popona gora, Nevela, Siebiezo, Krasno, & Toropecensibus Vielisiensibúsque territoriis. Omnes verò arces urbésque suis cum machinis universóque bellico apparatu, civibus: territoria verò suis cum incolis traderentur, mercatoribus exceptis, quibus aliò migrare licitum esset. Michaël Titulos Livoniæ, Smolensciæ, Czernichoviæque ne suo nomini præfigeret, quos Sigismundus Rex æquiori jure usurparet. Divi Nicolaï Thaumaturgi imaginem Mosaïsci ablatam Poloni restituerent. Captivi nobiliores qui apud Regios essent, vide-

videlicet Philaretus Roſtovienſis Metropolites, Baſilius Gallicinus, Thomas Lugovius, Sehinus cum uxore & filio, Archi-Epiſcopus Smolenſcenſis, ad vigeſimam quintam diem Februarii liberi dimitterentur. Moſchi viciſſim ad præſtitutum tempus Nicolaüm Struſſum, Charlinium, Chocimirium, cæteróſque milites in obſidione Metropoleos detentos vinctóſque, liberos itidem ſiſterent. Szuyſcio, Trubecio, cæteriſque nobilibus Moſchis liber eſſet regreſſus in Patriam, ſi vellent. Atque iis potiſſimùm conditionibus pax coaluit: cæteras quæ mercatorum ſecuritati caverent, regundis limitibus modum præſcriberent, & his perſimiles prudens reticeo.

Baſilii Suyſcii Magni Moſchorum Ducis & ejus fratris Exitus.

Baſilii Suyſcii Magni olim Moſchoviæ Ducis à Zolkievio in triumphum ducti, non eſt quod quiſpiam mentionem iis in pactionibus deſideret: oſtentatus namque in Comitiis ad arcem Goſtinenſem unà cum fratribus amandatus erat, honeſtæque ac liberali traditus cuſtodiæ. ibi demum intra

tra annum mœrore contabuerat, pari lethi genere exſtincto & Demetrio fratre. Temporaneum ſepulturæ honorem ante arcis portam habuêre, ſed Rex poſitis bellorum curis Varſoviam transferri corpora mandavit, iiſque Mauſolæum elegans impoſuit: inſertâ marmoreâ tabulâ quæ, tantæ Victoriæ Jeſu Chriſti Dei Exercituum favore obtentæ, ad poſteros memoriam tranſmitteret Regéſque ac Principes viciſſitudinis rerum humanarum inconſtantiſque fortunæ admoneret. Sed dum hæc ſcribimus poſt viginti & duos abhinc annos Vladiſlaüs Rex mutuis Imperiorum fœderibus pacéque perpetuâ ſtabilitâ, corpora Legatis in Moſchoviam avehenda conceſſit, & tabulam marmoream per Adamum Kiſielium Kiovienſem Caſtellanum ad Moſchoviæ Ducem Alexium Michaëlis Legatum, ſuâ cum epigraphe tranſmiſit, ſummè utrumque orantibus Moſchis, quaſi ſublatis omnibus ſui dedecoris inſigniis eraſiſque, labem majorum gentiſque ſuæ detergerent. In caſſum profectò vigente hucuſque tam cele-

ejus Mauſolæum.

1635.

Corpora in Moſchoviam avehuntur.

Poſtea fuit Palatinus Kiovienſis.

celebri rerum olim gestarum memoriâ, & voce & scripto ad posteros transmissâ: manente etiam veteri appellatione Sacelli Suysciani in Suburbano Varsoviensi (vulgò Cracoviensi dicto) exstantis. Et plus justo lenem facilémque in reddenda tabula Vladislaüm plurimi incusavêre, fueréque, qui existimarent Kisielium importunâ prece id obtinuisse, cujus legationem præter ejusdem Græcæ religionis cum iis vinculum, expetita multis modis tabula gratiorem redderet; Michaëlis filio, nuper ab obitu Patris Moschoviæ Imperium adepto, inter faustas gratulationes offerenda.

Et tabulam marmoream cum inscriptione Adamus Kisielius Legatus reddit Moschis. 1647.

Et ejus quidem inscriptionem in gratiam Lectoris subjungo: decet enim nosse ut ipsius reï gestæ seriem, ita & præclarum Sigismundi Regis clementiæ pietatísque monumentum.

JESU CHRISTI DEI FILII
REGIS REGUM DEI EXERCITUUM
GLORIÆ
SIGISMUNDUS TERTIUS REX
POLONIÆ ET SUECIÆ

(Exercitu Moschovitico ad Clusinum cæso
Moschoviæ Metropoli Deditione acceptâ
Smolensco Reïpublicæ restituto
Basilio Szuyscio *Magno Duce Moschoviæ*
Et fratre ejus Demetrio *Militiæ Præfecto*
Captivis jure belli receptis
Et in arce Gostinensi sub custodia habitis
Ibique vitâ Functis)

Humanæ sortis memor.
Ossa illorum huc deferre
Et ne se regnante etiam hostes
Injustéque sceptra parantes
Justis sepulturâque carerent

IN HOC

A ſe ad publicam poſteritatis memoriam
Regníque ſui nomen
Exſtructo Tropæo

DEPONI JUSSIT.

Anno à Partu Virginis MDCXX
Regnorum Poloniæ XXXIII
Sueciæ XXVI.

Conſtitutâ pace inter lætitiæ ſigna officiis quoque certatum eſt: & Moſchi primi conſtantis deinceps futuræ amicitiæ dedêre indicium, promiſſâ iis militibus, qui per invaletudinem per tuguria pagóſque ſparſi lecto affixi hærebant, omni ſecuritate exquiſitâque curâ recuperandæ valetudini perneceſſariâ. Et Subdelegati datis miſſiſque celerrimè literis ad Coſacos Zaporovienſes eos initæ ſtabilitæque pacis admonuêre; proinde ut receptui quantociùs canerent, abſque omni Provinciarum incolarúmve noxâ ſeriò hortati ſunt. Circumfere-

Stabilitâ pace Subdelegati Coſacos à populationibus retrahunt.

ferebant illi per ampliſſimas Moſchoviæ ditiones ferrum & ignem, & fertiliſſimam bellíque injuriis hactenus intactam ad Occam amnem ingreſſi regionem, cæſis agreſtibus, exuſtis pagis miſerandum in modum afflixerat, ut velut unum buſtum in cineres fumúmque abiret. Calugam urbem ſitu præſidióque munitiſſimam aggreſſi occupavêre, deletíſque ad internecionem civibus, ædibus ſpoliatis flammam ſubjecêre. Viciniâ univerſâ latè vaſtatâ, onuſtæ prædâ & captivis legiones circumductæ: denique quacunque ſe verterent, totâ ſimul exercitûs mole omnia obterebant, gemente, qui furorem evaſerat, hoſte. Compertúmque eſt nobiliſſimarum Provinciarum vaſtitates, quarum cadavera tantùm ſpectabantur, Coſacorúmque arma quorum furori nihil non pervium erat, ad accelerandas inducias plurimùm attuliſſe momenti: namque in urbe erumpebat ſeditio, quam popularium promiſcua cædes, exulum gemitûs, terrarum depopulationes accendebant, diſſoníque audiebantur queſtûs pa-

Coſacorum arma vaſtitatem inferentia inducias accelerant.

pacem flagitantium, Michaële ideo in publicum prodire vix audente.

Exercitus è Moschovia excedit.

At verò promulgatis per castra induciis Chodkievicius exercitum movere cœpit: mediam viam Vladislaüs suis cum prætorianis turmis peditatúque tenuit; Kazanovii legio dextrorsum Severiam versùs iter flexit; Lithvanicæ copiæ sinistro latere ad Volgam fluvium processêre. Atque ii quidem omnes ab hoste securi carpebant iter, cùm alios longè ferociores horridus objiceret Septemtrio, qui nulla pactionum audirent capita, solâ tantummodò tolerantiâ summoveri possent. Excipiebantur namque multi à frigore sese intolerabiliter extendente, plurium ambusti artûs, plures exanimati cadebant: præcipuè peditum clades misere pereuntium visebantur, nives præaltæ itinera obsedebant, cum quibus eques pedésque Viasmam usque luctabatur. Ad hæc fames ingens quam locorum vastitas faciebat, miserum in modum oppugnabat parémque inferebat stragem, & legionariis & equis passim concidentibus: ac ni pax coa-

A fame & frigore oppugnatur succumbitque.

coaluisset, non absurdè Moschi à duobus hisce exercitibus exitum Polonis minabantur. Nec Vladislaï generosa mens exhilarari poterat, qui plenam ex hoste victoriam (præsertim in eâ rerum gerendarum opportunitate, avidè præconceperat, sæpiúsque indoluit non adæquatum necessitati subministratum subsidium. Atque ad eam Ordinum parsimoniam ingemuit, ob quam non tam hostium, quàm suas turbidas licentiosásque sæpius metueret vires. Insuper mœrentis animum exasperavit tardior Andreæ Szoldrscii adventus, quem Drohobusii obvium habuit ferentem à Rege literas speï plenas, subsidii ærísque ab Ordinibus in futuris Comitiis haud difficulter impetrandi: proinde ne Subdelegati pacis negotium accelerarent, Rex monebat. Sed Szoldrscius iter illud nimis lentè moderatus, dum Smolensci diutiùs subsistit, literásque transmittere differt à viarum difficultate crebrísque latrociniis excusatione petitâ, vota Principis irrita fecit.

Vladislaüs inducias tristi animo fert.

Szoldrscium tardiùs advenientem à Rege obviam habet indignatúrque.

Interea Vladislaüs Smolenscum advenit reli-

Vladislaüs Smolenscum advenit.

reliquos hiemis Menſes ibidem exacturus: è Subdelegatorum verò numero tres, Adamus Novoduorſcius Epiſcopus Camenecenſis. Leo Sapieha Cancellarius Lithvaniæ, Jacobus Sobieſcius Palatinides Lublinenſis ad Comitia properavêre: quorum ſub ipſum penè exitum cùm Regi Ordinibúſque in Senatu Leo Sapieha rationem geſti adminiſtratíque belli fuſiùs reddidiſſet, & ſequeſtræ pacis conditiones expoſuiſſet; Ordines quidem lubenti animo nec abſque Subdelegatorum encomio geſtorum ſeriem audivêre, probaveréque; at Rex non item, cujus Nomine Andreas Lipſcius Pro-Cancellarius Regni acriùs paulò invectus, Subdelegatorum operam uti minùs utilem perſtrinxit, pacem inhoneſtam appellans, ignominiæ dedecoríſque plenam, ídque mordacibus verbis, quæ illi impotentia animi, non verò optimi Regis voluntas, ultra quam eruperat, audaciùs ſuggeſſerat. Poterat facili negotio hominis retundi impetus, prolatis in medium literis Regiis, ipſo auctore ſcriptis: quibus ad ſtabiliendam

Sapieha in Comitiis belli geſti adminiſtratique exponit & induciarum conditiones.

Andreas Lipſcius Pro-Cancellarius Regni nomine Regis in Subdelegatos invehitur.

dam cum Moſchis pacem iniquioribus etiam conditionibus omni morâ poſtpoſitâ Subdelegatos hortabatur, incuſſiſſet ruborem detecta omnium Ordinum voluntas ſecreto comprehenſa mandato, unius anni termino belli Moſchovitici curſum definiens: Sed modeſtia & rectè factorum conſcius animus ceſſit importunæ voci, eámque patientia Subdelegatorum Reïpubl. condonavit, ne tot implicata involutáque malis, fervente præſertim Comitiorum æſtu, à novis exagitata querelis conſiliorum celeritate fruſtraretur. Et Subdelegati præſtitam operam fideliter ſubſequentis temporis, utpote rerum optimi magiſtri, commiſêre judicio, legíque viros graviſſimos Leonem Sapieham, & Jacobum Sobieſcium acta diurna rerum Moſchoviticarum à ſe diligentiùs connotata, non abſque aliquo doloris ſenſu in eam concluſiſſe ſententiam. *Hinc quiſque bonus Patriæ Civis experimentum capiat, ſciátque, inſerviendo Patriæ virtute ſincerâ, fide integrâ, animo incorrupto, nullum ſe famæ aditurum diſcrimen: cui ſi quid livor malevolorum detraxe-*

Modeſtè id Subdelegati ferunt cùm poſſent reſpondere liberiùs.

traxerit, tempus ipſum quandoque, & ſera poſteritas ringente invidiâ decus ſuum cuique rependet.

Inducias commodè fuiſſe ſtabilitas eventus approbavit.

Quanquam etſi ipſe eventus conſilia initæ pacis abunde comprobaſſet, mihi tamen inquirenti in illorum temporum geſta accuratiùs, perpendentíque, perperam à Lipſcio eâ invidiâ aſperſos fuiſſe Subdelegatos, Regíſque incurriſſe indignationem video, quin imò ſummam prudentiæ laudem meritos, qui ad temporis præſentis ſtatum opportunè Reipub. attemperaſſent rationes. Non diffiteor equidem, nullam unquam commodiorem adipiſcendi Vladiſlao Imperii occaſionem præbuiſſe fata, ſi conſtanter propitia manſiſſent, neque in eam neceſſitatem, cujus cauſas fuſè memoravimus, ſtabiliendæ pacis conjeciſſent. Sed nec illa mihi damnare animus eſt, neque enim adeò ſiniſtra fuêre, ut non meliori omine Poloniæ illuceſcerent, cui à Turcarum Tatarorúmque conjuratâ potentiâ ſæva imminebat tempeſtas, jámque intererat poſitis in Septemtrione bellis unitas vires minaci opponere Orienti. At verò pacis conditio-

ditiones profectò glorioſæ, indeciſo namque jure Vladiſlai manentéque integro acquiſitæ nobiliſſimæ Provinciæ, ubertate ſoli, arcium, oppidorum colonorum frequentiâ florentiſſimæ, limes Poloniæ Lithvaniæque ultra centum & ampliùs milliaria in longum latúmque extenſus, ídque cum ſumma apud poſteritatem Subdelegatorum laude, cùm ne tantillum quidem terræ bellantis poſtmodùm in Moſchovia Vladiſlai arma adjecerint, prout ſuo referemus loco.

Conditiones Induciarum glorioſæ.

Ducatus Severiæ, Czernichoviæ, & Novogrodenſis.

Jam verò ſepoſitis iis de quibus ſat luculentum tulit judicium poſteritas, ad Vladiſlaüm Smolenſci hactenus commorantem redeo, qui cadente hieme iter ſuum exorſus, Varſoviam primo Vere venit, Regémque Patrem ſalutavit magnâ cum totius Aulæ gratulatione plauſúque. Gratum quoque acciderat univerſis Ordinibus Principem id ætatis Regiæ ſuæ indolis luculentum declaraſſe ſpecimen, tantâque cum nominis ſui gloriâ prima militiæ depoſuiſſe rudimenta: proinde Rege annuente ultrò ei læti faventéſque Provinciarum nuper ab hoſte

Vladiſlaüs Varſoviam venit Patrémq; ſalutat. in Martio 1619.

Ordines illi Administrationem Severiæ deferunt annuente Rege. Vide Conſtitutiones. 1620.

hoſte receptarum ſupremam Præfecturam detulêre, ſcriptâque firmavêre lege: datâ inſuper poteſtate, arces ut in ordinem reduceret, præſidiis firmaret, jus diceret, cæteráque exſequeretur, quæ ad bonum regimen pertinerent. Et quandoquidem Regum filiis abſque Comitiorum conſenſu ex Reïpub. bonis cenſûs reditûſque aſſignare lex vetaret, tunc unanimes conſenſêre petieréque à Rege Ordines: juvaret liberalitate ſuâ optimè de Repub. meritum Principem, conferrétque bona quæ ejus dignitatem condecerent.

Reſpirat à curis Vladiſlaüs.

Pacato Septemtrione reſpirabat à præteritis bellorum curis Vladiſlaüs, uniúſque anni & aliquot inſuper Menſium conceſſo ſibi interſtitio hilariùs fruebatur, quò iterum vegetior bono Reïpub. Polonæ fato ad arma proſiliret. Nec interea ſegni torpebat otio, venandi namque ſtudio mirè capiebatur viris Principibus perquam decenti.

Venationi dat operam.

Venationem enim eſſe rerum bellicarum veriſſimam meditationem non nemo cenſuit, quæ diluculo expergiſci ſurgeréque

réque, frigora, calores tolerare aſſueſaceret, ad ſubita itinera & curſûs exerceret. Et verò in Vladiſlao illud erat ſingulare ad virilem ſeſe tolerantiam componere, nullâ mollitie delitiiſque frangi, eáque exoptare ubi heroïca virtus enitere poſſet. Quodſi verò publica aulæ lætitia animum quandoque laxaret, elegans, decorus, eàque venuſtate comparebat, quæ formoſi Principis ſuavi grandeſceret Majeſtate. Atque eâ tempeſtate Regina Conſtantia filiam in lucem ediderat, quam Sacro fonte ablutam Annam Catharinam appellavêre: magnâ Regis lætitiâ, quem naſcentium continuo filiorum ordini, filia tandem exoptato felicíque partu ſuccedens, vehementer exhilaraverat: ferúntque nunquam æquè gaudio perfuſum tantóque ſplendore ac magnificentiâ diem natalem liberorum ſuorum celebraſſe, atque ejus filiæ unicè ſibi dilectæ. Namque præter convivia, ludorum varietates in aulâ tunc à viris Principibus & flore noliliſſimæ juventutis ſplendidiſſimâ frequentiſſimâque exhibitas, præter e-

In publicâ aulæ lætitiâ decorus comparet. 1619 7 Auguſti.

quorum tubis præcinentibus ad numerum ſaltûs, quod ſpectaculum Andreas Czarnecius Regius Equiſo dederat, cæteráque ignium hilaria, in ore tunc omnium erant introductæ à Principe Vladiſlao & Anna Sueciæ infante choreæ, quorum ille Turcico cultu ſuperbè veſtitam juventutem, illa virginum formâ ac nobilitate conſpicuarum tripudiantem duxit chorum. Et hæc eſt Anna Catharina unicum parentum ſuorum delicium, quæ decennio à morte Patris Philippo Wilhelmo Palatino Rheni Duci Neoburgi nupſit.

Præcipuè in die Natali Annæ Catharinæ filiæ Sigiſmundi Regis.

1642 in Junio.

Sed me ſubſequentia tempora à lætiorum commemoratione jam avocant: quippe Poloniæ triſtia, clade ducum & florentiſſimi exercitûs internecione funeſta, Tatarorum incurſionibus, Turcarum imminentibus illatíſque armis horrida, & penè extrema. In tam depoſito deploratóque Polonorum ſtatu ad Vladiſlaï iterum fortunam ejus perpetuam in bellis comitem recurrendum fuit, quem Oſmano Turcarum Domino, juveni præfervidóque, & tumidâ ſpe

Vladiſlaus iterum opponitur Oſmano Turcarum Imperatori.

ſpe univerſam devoranti Sarmatiam, Reſpub. opponeret. Is verò tantum effecit ut poſt pacatum Septemtrionem novâ iterum Orientem laureâ præcingeret, viderétque (quod antè Principum Chriſtianorum nemo) ſe totius campi dominum, primúmque ex acie ſubnixum Africæ, Aſiæ, & Europæ viribus Monarcham decedentem, tergáque vertentem inglorium, fortunámque Vladiſlaï, Regis auſpicia, Reïpub. proſpera fata adorantem. Et ſiquidem bellum dicere incipiam quod non majoribus unquam viribus Othomanus Poloniæ intulit, Vladiſlaï ductu repreſſum, in eóque edomitam ferocientes tyranni arrogantiam, paulò altiùs referenda erunt Turcarum cum Polonis fœdera, mox diſſidiorum occaſiones, varii pugnarum eventûs: quæ omnia ad ſequentis libri reſervata exordium, lectori ibidem in brevem redacta ſummam clarè perſpicuéque patebunt. Hæc autem mihi, quâ ſe ratione habuerint, enarraturo, non mediocri adjumento erunt non nullorum Commentarii, qui eo in bello aut præfue-

Bellum illud ſequens liber explicat.

fuerunt, aut certè omnium conſiliorum arcanorúmque participes fuêre: tantóque integriori fide ab iis ſcripti relictíque, quantò à viris primis in Repub. honoribus Magiſtratibúſque conſpicuis, nullíque præterquam ſuæ avitæ mancipatis virtuti, non alia diſiderari exſpectaríque poterat. Sunt mihi quoque præ manibus acta diurna illorum temporum, tum & graviſſimorum virorum epiſtolæ, quæ ſiquidem typis evulvogatæ exſtant, proinde quod illi integris luminibus complexi ſunt, ego breviori verborum compendio ſtringam, quandoquidem ipſe non habeam aut alia aut certiora quàm alii.

Cometes viſus calamitates portendit, ſtatímque Germania bellis ardere incipit.

Cometes viſus 1618 in fine Auguſti.

Atque dum Polonia tantis, quæ mox memoraturi ſumus, exterretur periculis, Orbis ipſe nutare concutíque incipiebat à præſago ingentium calamitatum Sidere, & nuſquam terris impune viſo præmonitus Comete. Jam quoque illa erumpebat fatalis Germaniæ viciníſque regnis Bohemorum rebellio, quæ Pragæ accenſa flammas per univerſam penè Europam ſparſit. Heu

Heu quantum ſanguinis contulêre, cùm Germanicus non ſufficeret, concurrentium nationum populi ad exſtinguendum incendium. Ultra tertiam annorum decadem à gladio, fame, peſtilentiâ, oppugnata eſt Germania, adactáque, velut exſangue cadaver, conciſis nervis elangueſcere. Periit opulentiſſimarum Urbium decor, quarum nonnullæ triſti mulctatæ excidio ſolóque æquatæ, aliæ in eam verſæ ſunt ſolitudinem, ut feris tantùm habitandæ linquerentur. Moti ſuis ſedibus populi, & quos bellorum inclementiæ fortuna ſubduxerat, ibant exules, patrios in ſinu ferentes Deos, alieno ſub orbe victuri: pluribus tamen cæde & diverſo lethi genere exſtinctis. Provinciæ integræ habitatore vacuæ in horrendam obriguêre ſolitudinem, ſuperſtitibus agris, ſed ſilveſcentibus, ædificiis verò partim laceris labentibúſque, partim turpi ruinâ deformibus, partim in cinerem favillámque converſis. Non incongruè quiſpiam cecinit. *In unica Germania quid defuit malorum. Quam mira luſtris quatuor viciſſitudo torſit.*

Ad ſummam deinde redacta vaſtitatem.

Jacobus Balde.

torſit. Nudata dorſum vapulat Immanibus flagellis, Suique plorat naufraga in ſanguinis procellis.

Ferdinandus Secundus Imperator feliciter hoſtes profligat.

Et bellum illud quidem quia à perfida excitatum rebellione, felicibus auſpiciis à Ferdinando Secundo Imperatore geſtum eſt, juſtam cauſam ſupremo promovente Numine armorúmque progreſſûs, quæ quamdiu ſpretam veterem religionem, ejurati Principis legitimi ultum ibant contumeliam, victorias triumphóſque peperêre: at ubi continuâ felicitate victor aliquantò inſoleſcere cœpit modúmq; tenere neglexit, erectis omnium multoties anhelantium animis ad pacem in Imperio ſtabiliendam, quæ caſtigatis rebellibus ſola ſupererat, nec obtenta, tunc primum deſperavêre populi: hinc verò̃ne an falſò ſuborta ſupremi Dominii affectati ſuſpicio, novis ſeſe munire firmaréque fœderibus ſuaſit, & tantò certè acriùs quantò apud vulgum ſuſpecta erant Hiſpanæ aulæ conſilia, quæ ultra Alpes vires Cæſareas evocaverant, & in Belgium auxiliares ſæpius arceſſiverant. Jámque Auſtriacos bellum ex bello ſerentes alentéſque, & victri-

Auſtriacorum potentiam Germani metuunt, & exteros Principes in ſubſidium advocant.

victrices aquilas per Provincias circumferentes, Germania metuebat, eóque adacta metu tranſmarinos Principes in auxilium vocavit. Et Rex Daniæ quidem ſupplicis patrocinium malo omine ſumſerat, cæſus profligatúſque tam celeriter quàm in Germaniam pedem intulerat, inde retulit, pacéque factâ quievit. Mox qui Cæſareos duces tot victoriis elatos reprimeret, & formidandum populis felicitatis curſum ſiſteret, melioribus auſpiciis comparuit Guſtavus Sueciæ Rex, is deletis Imperatoriis copiis, urbibus recuperatis, ſucciſis penè ad internecionem viribus, veteres ac multarum palmarum duces vinci poſſe docuit, iterúmque rebellium animos excitavit, & Germaniam continuo victoriarum tramite pervagatus, in novam ſpem erexit. Et quanquam ipſe ad Lutſenam in prælio animoſus occubuerit, felicitatis ſuæ nihilominùs genium ſuperſtitibus armorum ductoribus reliquit, cum quibus Cæſar non jam tantùm de Imperio, ſed de ſalute ſæpius dimicavit, auctis præſertim Suecorum viribus

Guſtavus Sueciæ Rex feliciter ſe Auſtriacis opponit.

 non

non mediocriter à Gallorum fœdere potentiâque, quam ſubitâ denuntiatione belli Auſtriaci irritaverant, magno rerum ſuorum inde ſecuto diſpendio, cùm in ipſius penè Auſtriæ penetralibus ſigna Suecica volitarent, ejúſque ſedes Vienna penè occupata eſſet, ac pleraque viciniora loca intercepta inſeſſaque ab hoſte tenerentur.

Ab ejus morte Sueci Gallico fœdere potentiaq; validi Auſtriam populantur inſidéntque.

Verùm ut non mei inſtituti eſt res exteras ſtylo proſequi; ita temperare vix potui, quin in annos fatales, à quibus triſtes faſti cœpêre Germaniæ, incidens, aliquam ſaltim mentionem facerem vicinarum Poloniæ calamitatum, præſertim cùm ab illa quoque rebellium face accenſis Turcarum animis, eò ardentiùs invectos, & ſollicitata in nos barbarorum arma fuiſſe conſtat. Quod fuſiùs paulò pòſt expoſiturus ſum ſequenti libro, quem jam aggredior.

Rebelles Germaniæ Turcas contra Polonos incitant.

H I-

HISTORIÆ VLADISLAI POLONIÆ ac SUECIÆ PRINCIPIS,

LIBER NONUS.

TUrcarum potentiam tunc primùm Orbis extimuit cùm effuſis in Europam agminibus infeſtíſque ſignis Græciam, deinde Thraciam invaſit, inſeſſâ occupatâque Conſtantinopoli veteri Cæſarum Orientis domicilio. Jámque proxima quæque corripiendo, Bulgaris, Triballis, Serviis ſubjugatis, cæteríſque vicinis armorum impetu abreptis, Polonia imminentis periculi admonebatur. Habebat adhuc intermediam Valachiam, quæ ſola hoſtem mo-

Turcæ inſeſſâ Conſtantinopoli Urbe metuendi.

Valachia inter Poloniam intermedia.

morabatur, distinuissétque feliciter, si gens ut bello promta & audax, ita sibi concors fuisset & Martiales spiritûs constanti fide consolidasset, non verò innatâ mobilitate ingenii fraudibúsque corrupisset. Et ante Turcarum quidem adventum à morte Stephani Primi post Bazaradum Principis, internis dissidiis agitata Polonis innotuit. Excitata namque de Principatu inter ejus filios contentio, patrocinium Casimiri Magni Regis ambivit vectigalem se fore promittens, iterum in Jagiellonis tutelam concessit: postremò fatalibus inter se hæredum de Imperio concertantibus studiis, arcessitísque à partibus Turcarum armis, jámque imminentibus, Stephanus Palatinus Valachiæ in verba Casimiri Tertii juravit, & in Regis clientelam suis cum ditionibus concessit, Rege eam occasionem haud spernente: Virum namque Tartaricis, Turcicis, Ungaricis victoriis clarissimum, suum verò hucusque detrectantem imperium, collu msubdere suísque advolvi genibus gaudebat. Et quanquam id obsequii necessi-

Ante Turcarum adventum Polonis innotuit.

Ejus Princeps Stephanus Casimiro Tertio Regi Poloniæ jurat.

cessitate compulsus præstaret, neque deinceps stabile firmúmque mansurum Rex censeret, quod non à sincero proficisceretur animo, satiùs tamen duxit in alieno solo vires Turcicas infringere, quarum molem domitâ Valachiâ, velut intermedio subruto pariete, graviorem Polonis ditionibus incubituram metueret. Neque ea in sequentibus quoque Regibus neglecta fuit, ídque Valachis animos gloriámque augebat: & propè ducentis annis Polono fulti patrocinio, strenuè retinebant libertatem & virtutem: Sed fatalis illa maléque pressa de Principatu inter succedentes dissensio, deinde flagitiosa perfidia & Regum Poloniæ jus excussit, & advocatis Turcarum copiis in miseram sese induit servitutem. Impositi post hac Principes ad victoris Othomani arbitrium, non ex nobilissimis popularium veteríque Ducum stirpe, sed viles, & quandoque pudendâ origine, circumscriptâ dominantium libertate, gravibúsque imperatis tributis.

Ducentis annis Polonorum patrocinium retinet.

Tandem Turcis cedit.

Conversâ itaque ad Turcas Valachiâ acrem

acrem excitavit contentionem: nam Poloni veteri jure eam ſibi aſſerebant, & Valachi innatâ mobilitate arma eorundem provocabant nullo fructu: cum ſæpius ab invaleſcente leviſſimæ gentis perfidiâ, exiguum bellorum ſanguiniſque referrent pretium, proindéque deinceps juvabantur ſegniùs, Turcis interea per publicam quietem eò animoſiùs dominium ſtabilientibus firmantibúſque. Atque poſt relectos à me diligentiùs Annales, reperio à Caſimiri Secundi (cognomento Magni) temporibus, ex quo ſe Poloni Valachicis rebus immiſcuêre, ad noſtram uſque ætatem, quæ ſupra duo ſæcula continet, nullibi frequentioribus cladibus plus ſanguinis datum hauſtúmque, nullibi à condito Imperio tantis támque numeroſis exercitibus Polonorum hoſtilem perfidiam atrociùs illuſiſſe. Fluxêre toties Hieraſſus, Seretus, Tyras humano ſanguine decolores; ad extremùm cæſis tot præſtantiſſimis ducibus, potiſſima Nobilitatis pars à Joanne Alberto Rege generali claſſico evocata cæſa profligatáque, Regni vires

Hinc Polonorum cum Turcis contentiones.

Cromeri & aliorum.

Hieraſſum nunc Prutum vocant.

res ſupra modum debilitaverat. Teſtis inſuper multarum cladium Fagina ſylva, viarum anguſtiis moleſtíſque anfractibus horrida, è cujus arboribus Polono cruore tinctis irrigatíſque ſi quis ramum decerpere vellet, fortaſſe ater ſequeretur de cortice ſanguis: ut non abs re quiſpiam Valachiam Polonorum tumulum appellarit.

Non eo equidem inficias celebres ibidem à Tarnovio, Zamoyſcio magnis Imperatoribus, cæteríſque reportatas victorias fuiſſe, quæ ad gloriam Poloni nominis hoſtiúmque terrorem contulêre vehementer, neque tamen præteritæ compenſatæ clades videbantur, quarum memoria ita publica conſilia opéſque à perfidæ Valachiæ tutelâ averterat, ut omnes paſſim crudeles terras avarúmque littus fugiendum cenſerent, ſimúlque exſecrarentur. Atque ut illa ſemper magnis cruentíſque Polonos implicuit contentionibus, ita & hujus belli cum Turcis geſti (quod ſcripturus ſum) potiſſima occaſio fuit. Præviderat hoc olim præſaga mens Demetrii Solicovii viri ſpectatæ

Valachia Polonorum tumulus.
Virgilius 3. Æneïd.

Belli cum Turcis occaſio.

In Oratione Funebri Augusti.

ctatæ prudentiæ dexteritatísque, eam videlicet Turcarum viciniam futuram aliquando facem ac seminarium proximi ac tristissimi belli, quæ paulò inferiùs suo referemus ordine. Cæterùm suspecta hæc vicinia esse ceperat Vladislao Jagielloni, qui primus Polonorum Regum Machometem Bosnæ imminentem, gravi eàque minaci legatione compellavit: tantúmque apud Othomanum Jagiellonis authoritas noménque valuit, ut ad ejus arbitrium sexennes inducias Hungaris obtulerit. Eundem Casimirus Tertius per Legatum suum monuit, Valachiâ ut abstineret, ni arma experiri mallet, quæ ad tuendam suam vectigalem Provinciam mox expedire necessum haberet. Intercessêre deinde mutua fœdera Bajazetis cum Casimiro, ejúsque filiis Joanne Alberto, Alexandro, Sigismundo Primo Regibus: eo cum Nominis Poloni terrore veneratione que, ut donis ultrò missis per Legatos pax expetita juramento sanciretur. Amoto à gubernaculis Bajazete, Selimus Sigismundo paternam amicitiam obtulit, eo

Vladislaus Jagello primus Machometem per Legatos compellat.

Cromerus lib. 28.

Varia cum Turcis Regum Poloniæ fœdera.

eo verò sublato Solimanus rerum potitus paucorum annorum induciis definitam diuturniorem stabiliorémque fecit, & pactis quidem nunquam Poloniæ pœnitendis, quibus limes Imperiorum circumscriptus, ultra quem ne Poloni suas proferrent Colonias, nec Turcæ eundem transgrederentur. Palatinus Valachiæ is esset, qui Christianis imbutus sacris amicitiæ fœderúmque inter utrumque Principem æquilibrium teneret, nullúsque ejus perfidiæ, si eâ notaretur, apud Polonos pateret receptus. Cætera pactionum capita non commemoro, illud retulisse sat erit, tanti ea semper à Polonis habita, ut & insequentium temporum fœdera ad eorum direxerint normam, & Turcæ illis singularem honorem exhibuerint, revocante gratâ memoriâ venerationem Principis longè inter suos eminentissimi, si par æquè fides esset barbaris atque veneratio.

Cum Solimano fœdus omnium celeberrimum.

Sed antequam inter Sigismundum & Solimanum ictis fœderibus amicitia coaluisset, iverat ille in consilium suis cum Purpuratis

 puratis

puratis exercitatissimis belli ducibus, quam in partem verteret florentissimas tunc Imperii Othomani vires, Ungariámne peteret an Poloniam, in cujus utriusque limine constiterat. Fuit non nemo ut ætatis ita & exactæ prudentiæ vir, qui disseruit: Ad occupandum Europæ Imperium Christianósque edomandos, nullam patentiorem portam Poloniæ Regno reperiri, ad quam non abrupta montium, non salebrosa itinerum, non fluviorum immensè exundantium vorticosi gurgites, sed pulcra terrarum eáque fertilis duceret planities: neque ulla in arcibus expugnandis futura esset mora, quas aut nullas Polonus haberet, aut perpaucas, neque ita ad defensionem comparatas, ut copias tantúmque apparatum belli, aut ferre diutiùs, aut distinere possent. Quemcunque campi dominum sors esse voluerit, eidem subitò & Imperium cessurum. Spem verò non dubiæ victoriæ caperet Solimanus à sua, quæ illi individua esset bellorum comes, fortunâ, tum ab exercitûs sui validissimo robore numeróque, cui

Solimano suadet quispiam armis Poloniam invadendam si Europæ Imperio potiri velit.

Quibus rationibus.

cui si quidpiam imminui contingeret, facilè à subsidiariis copiis ad nutum sui Principis advolantibus reparari posset, præsertim cùm tantum terrarum, tot Provinciæ, tot Regna integra, cum novis exercitibus ad juvandum restaurandúmque bellum superessent: Polonorum verò accisæ vires frustra aliunde exspectarent subsidia, ac præcipuè Christianorum Regum, quos internecina odia gladiatorio more inter se committunt, præque domestica rabie ad vicinorum cladem cæcutiunt. Occupatâ verò subactâque Poloniâ patêre aditum in Germaniam & cunctas Christiani Orbis partes, & quidem ipsis Polonorum viribus impetendos, quas subacti populi mixti Turcarum agminibus centenis millibus augere possent. Ad hæc interclusis terrâ fluminibúsque commerciis, Portûs maris Baltici velut elisis faucibus languidos emorituros potentiæque cessuros Othomanæ: at quanto cum earum nationum damno, quæ cum cæteris gentibus cupedias luxûsque instrumenta suppeditent, hinc annonam victûsque necessi-

cessitatem asportent, quanto cum metu imminentis Monarchiæ, si vel unico insesso portu Turcicâ lunâ insignita carbasa per Balticum æquor ferri conspexerint, facili comparandæ deducendæque classis compendio, cujus uberem materiam longinquiores etiam populi è Polonia peterent. Arriperet itaque eum proferendi Imperii modum Solimanus, majores terrarum gloriæque accessiones allaturum, postponeret verò interim Hungariam brevi postmodùm subjugandam, nunc autem omnes vires conatûsque invadendæ Poloniæ bono omine impenderet.

Consultatio de bello Polonis inferendo mittitur ad Sigismundum Primum.

Atque hanc consultationem scripto comprehensam transmissamque Constantinopoli ad Sigismundum Regem, alibi in Archivo asservari memini, referentem sæpius Stanislaüm Lubienium Episcopum Plocensem, virum antiquitatum Polonicarum peritissimum; & à me quoque ejus vestigium repertum esse non diffiteor, in veteri quodam manuscripto excerpto è voluminibus Actionum Regiarum: namque inter

inter certa Legationis mandata, quibus Petrum Kmitham Regni Marschalcum ad conventum Norimbergensem Sigismundus instruxerat, ejus quoque deliberationis Principes Primorésque Germaniæ commonuerat. Quod verò attineret ad Gedanensem portum Prussiæque maritima, quantum illis inhiaret Turcarum rabies ad Orbis totius adipiscendum Imperium, ab eodem Rege per Nuntium suum Paulum Plotovium Præpositum Varmiensem certiores fuisse factos. Prussiæ statûs Graudenti convocatos, in iisdem suprà memoratis legi voluminibus. Verùm cur hoc consilium posthabuerit Solimanus mihi certò non liquet: sive propensio quædam animi erga Sigismundum, cujus ille prudentiam virtutésque Regias impensè æstimabat, hostilem conatum averterit, sive Ruthena mulier (quod tunc vulgò jactabatur) cui ob præstantem formam maximè insueverat, patriæ in summa fortuna memor, ideóque de ejus periclitantis salute anxia, blanditiis illecebrísque formosa veluti Venus Martem

De portu Gedanensi & Prussiæ maritimis admonentur status & Ordines Terrarum Prussiæ.

Cur hoc Consilium posthabuerit Solimanus.

tem ſuum Polonis æquiorem reddiderit. Sed meo judicio neque tantum erga Sigiſmundum valuit affectus apud barbarum & juratum Chriſtiani nominis hoſtem, quos odiſſe Turcis innatum eſt, internecione verò delere unicum ex ſceleratâ Machometis lege votum; neque deſtinatus armorum furor à blanditiis caræ pellicis reſedit, Dei immortalis benignitas ea fuit, Cœlitúmque ſupplicantium ejus Majeſtati preces, qui ſoli toties hoſtes à nobis arcuêre avertéreque, incuſſúmque terrorem deſuper non ambigo: quippe ſuperſtitionibus divinationibúſque intenti illud pro certo tenent, ipſorum Imperium à quopiam Septemtrionis populo ultimam exſpectare ruinam.

Dei Prudentiâ id factum.

Pari deinde conſtantiâ Solimanus cum Auguſto Rege fœdera tenuit, & Legatione ſolenni luctum, quem ex ejus patris obitu ceperat, teſtatus eſt, ſummâ cum virtutum Regiarum deprædicatione, ad quarum hæreditatem unà cum ſceptro capeſſendam filium hortabatur. Eadémque poſtmo-

Cum Auguſto, Stephano Regibus Poloniæ fœdera Turcarum.

modùm amicitia cum Selimo Solimani Succeſſore viguit. Jam verò & ſub Stephano Rege nihil adverſi Polonia metuebat, pactis intercedentibus renovatíſque, & Regis bellicoſiſſimi invictus animus Turcis admirationi terroríque fuit. Hucuſque tandem pax mutuo conſenſu fœderibus ſtabilita per Legatos ab utrinque miſſos redintegrat, Turcarum ſuis limitibus continuit potentiam: declinante prudentiſſimorum Regum ſolertiâ eam tempeſtatem armorum, cui in ſumma Principum Chriſtianorum diſcordiâ ferendæ vix pares eſſent. Non ita tamen luxit pacis amœnum ſidus, ut non quandoque atrâ obfuſcaretur nube, cùm & in Oczakovienſibus campis mutuas rapientes prædas Turcæ Poloníque inter ſe concurrerent, armíſque experirentur, tum & inconſtans mobilíſque Valachia anſam ſæpius daret rumpendorum fœderum, Turcarúmque agmina ſuis mixta copiis Ruſſiæ Podoliæque immitteret. Sed quia hæc cauta ab utrinque tegebat diſſimulatio, intercedentibus ſæpius Legatis ſo-

Per Legatos ſtabilita.

Interceſſêre nonnunquam velitationes, ſed ab utrinque diſſimulabantur.

ſopientibúſque odiorum cauſas, ideóque in apertum haud prorupêre bellum, prælu-dia hæc tantùm cernebantur, quaſi explorantium inter ſe vires in graviorem aliquando erupturas conflictum.

Sub Sigiſmundo Tertio Coſaci Zoporovienſes occaſionem dant belli. 1589.

Et propè eruperant in primordiis Regni Sigiſmundi Tertii, orto à Coſacis jurgio, qui recenti tunc auſu cymbis prædatoriis per oſtia Boriſthenis in Pontum Euxinum delati pyraticam fecerant: exterritis Europæ Aſiæque littoribus, navigantium mercatorúmque interturbatâ ſecuritate. Excanduerat namque ad novam Coſacorum inſolentiam Amurathes, bellóque acribus literis per Nicolaüm Czizovium Pocillatorem Chelmenſem Poloniæ denuntiato, exercitum finibus admoverat; ſed compellatus Legatione barbarus impetum cohibuit, à caſtigatâ Coſacorum temeritate jam mitior factus, quos publicâ lege in ordinem reducere pacis intererat. Neque verò hanc ſtabilem polliceri videbatur paucos intra annos Zamoïſcii in Valachiam Moldaviámque expeditio, quibus è Provinciis Si-

Per Paulum Vehanſcium Palatinum Belzenſem, qui mortuus Conſtantinopoli.

Coſacis caſtigatis conquieſcunt Turcæ.

Sigiſmundi Tranſilvaniæ Principis copias pro Radulone certantes, ipſúmque impotenter ambientem Imperium ejecit. Tatarorum exercitum ſuo cum Regulo Caſigereio à Turcis immiſſum fudit, demum per pactiones adegit, ut inſigne dominatûs Palatino Moldaviæ à Turcarum Imperatore allatum, non alteri quàm Hieremiæ Mohilæ traderet eundémque à Rege Poloniæ iis impoſitum terris pacatum quietúmque ſinerent. Sed non diu quieta Valachia fuit: quippe utrâque occupatâ Michaël deturbatiſque ex avito ſolio Mohilis, arma Poloniæ inferebat, quæ ut Zamoiſcius averteret, iterum florentiſſimo cum exercitu nutantem ingreſſus Provinciam, hoſtem ad Teleſinum amnem aſſecutus in fugam conjecit, caſtris exuit, & Mohilis regimen reſtituit, ad victorem facilè, prout ſunt volubili ingenio, accurrentibus Valachis, implorantibúſque Regis Regníque Poloniæ juxta vetera jura patrocinium. At Turcæ etſi non ignorarent Polonorum arma in Provincia ſibi vectigali nimios feciſ-ſe

In Valachiam expeditio Zamoïſcii. 1595.

Altera contra Michaëlem. 1600.

Turcæ eos in Valachiam progreſſus ægre ferunt, diſſimulant tamen ob bella Hungarica.

ſe ſucceſſûs, tacitéque indignarentur, tamen ne ſi injuriam agnoſcerent, interſiſtere cogerentur felicem belli Hungarici curſum, aut certè vires partiri, (cùm præſertim bella diviſim gerere Statûs illorum ratio legéſque vetarent) proinde diſſimulandum in præſens exiſtimavêre, & quemadmodum pacem vicinarum gentium ſuis commodis metiri ſolent, tunc quoque alibi implicati, ſatis habuêre ſi frequenti Legatione Regem fœderum pactorúmque admonerent.

Et Polonis Turcæ in Hungaria bellantes ſuſpecti.

Quanquam angebant non mediocriter Polonos proſpera Turcarum in Hungaria bellantium arma, quæ in eâ viciniâ extendi plena res erat periculi, præſertim ab inſeſſis confiniis facilè ad ipſam principem urbem, ac Regni viſcera penetraturis.

Cracoviam. Ab anno 1592. ad Annum 1606.

Sed Turcæ iis propè annos quatuor ſupra decem diſtinentur bellis ſummâ cum Chriſtianitatis jacturâ dedecoréque, interea Polonia partim domeſticis occupata erat jurgiis, partim ab exteris irritata, eò ſuas vires copiáſque transtulerat.

Bellis civilibus. In Moſchoviam.

At mox fatalis Valachia atrociſſimi belli telam

telam ordiri incipiebat. Exactus à Tomſa Turcis conniventibus deturbatúſque è Moldaviæ ſolio Conſtantinus Mohila, Stephano Potocio occaſionem invadendæ Valachiæ fecerat.

Stephani Potocii in Valachiam irruptio. 1612.

Stimulabat virum bellicoſum contracta cum domo Mohilarum affinitas, & frequens inde, quoties liberet, opum ærı́ſque ſubſidium: collectâ igitur haud ſpernendâ militum manu, privatâ auctoritate, contra Procerum vota, unico Rege diſſimulante, ſpe quâdam inani fretus, quam nulla aliunde tempeſtivè proſpecta fulcirent auxilia, Valachiam intrat, & cùm ſive hoſtis contemtu, ſive ſui fiduciâ incautiùs ageret, ab advolante cum triginta millibus Tartarorum Tomſâ, ad fluvium Dziezam circumventus, ſilvis paludibúſque incluſus, præciſâ omni pugnandi facultate, exercitu penè ad internecionem deleto ipſemet vivus in hoſtium poteſtatem venit, captivúſque Conſtantinopolim ductus eſt.

Ubi exercitus caſus & ipſe capitur.

Nec multò pòſt uſurpato exemplo Samuël Corecius, & Michaël Viſniovecius eâdem affinitate Mohilarum familiæ adnexi, infeſtos exercitûs pri-

Samuël Corecius iterum Valachiam aggreditur. 1606.

privatis impenſis collectos in Valachiam inferebant: & Corecius quidem Viſnio-vecio ſuperſtes ſæpius cum Turcis congreſſus, eos ingenti clade excipiebat delebátque: & Moldaviam ejecto Tomſâ penè vindicarat, ſed tandem ſubſidiorum inops, deſertúſque à ſuis, poſt edita præclariſſimi ducis ac militis ſpecimina ſuccubuit, & ut iniquioris fortunæ, ita & ergaſtuli Potocio ſocius fuit.

Et hic ſuccumbit capitúrque.

Atque hæc duorum in Valachiam irruptio fataliſque caſus, accenſum Achmetem dolore iráque percitum ad arma ultionémque ſtimulavit. Crevit Turcis ſpes audaciáque, dein & noſtrorum contemtus, à cruento hoc præludio auguria oménque captantibus, quaſi jam Polonos vincere didiciſſent, indéque mox Regni totius ſecutura ruina. Ergo furentem belláque minitantem Achmetem continuit per Legatos Sigiſmundus Rex: & per Samuëlem Targovium primùm Potocii irruptionem in Valachiam, quaſi inſcio ſe ac Repub. factam, excuſavit, cujus ſat eſſet caſtigata temeri-

Ob irruptiones in Valachiam excandeſcit Achmetes Turcarum Imperator. 1613.

Sigiſmundus Rex per Legatos rem componit. 1616.

meritas, cæſâ tumultuariâ invadentium manu, ipſóque duce in vincula conjecto. Deinde à Corecii clade miſſus Georgius Kochanſcius, qui referret: Tomſam ni amoveret Othomanus pactis reclamantibus Moldaviæ impoſitum, pacem nec diuturnam nec ſtabilem fore. Amotus quidem à Moldavia Tomſa, at non ex Turcarum animis odium ſcintillæque belli. Jam non ille qui olim Inter-Nuntiis Conſtantinopoli exhibitus eſt honor, mercatorum commerciis periculoſus ac difficilis dabatur aditus, Tartari in Ruſſiam immiſſi, eorúmque turmis Turcæ mixti palàm nobiliſſimas populabantur Provincias: hinc queſtûs, mox indignatio noſtrorum, ad extremùm cum Turcis belli cauſâ minùs in publicum ſuppeteret, Coſacorum incurſiones, latrocinia, ac pyraticam obtendebant, quaſi illa Tartarorum inſolentiam arceſſeret: ſed eam ab utrinque controverſiam recuperatorio Conventu per Subdelegatos ſopiri poſtulavêre Turcæ. Profecti itaque ſunt è Polonis Staniſlaüs Zolkievius ſupre-

Mutuæ tamen ſimultates componi non poſſunt. 1616.

Tartari Ruſſiam populantur.

ſupremus armorum dux', è parte Turcarum Skinder Baſſa vetus militiæ, ingenio fraudulentus, Korecianâ clade tumidus, odium in Polonos ſpirans, conveneréque ad oppidum Buſſam ad confluentem Tyram Morachnámq; ſitum, & ambo quidem numeroſo cum exercitu. Hunc præter Turcicas legiones Tartarorum frequentia agmina, & Bethleëmii Gaborii præſentis Tranſilvanæ copiæ, demum Valachorum ſigna auxerant; illum non tam numerus (qui tamen haud contemnendus erat,) quàm militum robur Procerúmque Ruſſiæ auxilia validum effecerant. Nec defuit noſtris ardor pugnandi, penéque erat victoria præ manibus Tranſilvanis ſuo cum Gaborio nutantibus, ſed Zolkievii frigidi ſenis cunctatio calorem militum temperavit, opportunitate pugnæ capeſſendæ dilatâ, ne Turcarum potentiam in totius Poloniæ diſcrimen irritaret, ejus præſertim viribus imparem: utpote quam orbi formidandam juvenis didicerat, jam ab ætate ſenili ſuſpicaci nimiúmque circumſpectâ cautior, magis

Recuperatorius conventus Zolkievii cum Skinder Baſſa ad Buſſam Oppidum.

Zolkievius à pugna militem continet, cum hoſte tranſigit.

gis ad tutiora mallebat propendere conſilia. Inde illa profecta eſt in tractanda pace controverſiiſque definiendis indulgentia, quâ ille favorem civium imminuit, perpetuáque acta ejus vellicantium occaſio fuit. Quippe intercluſus ad Principatum Moldaviæ Mohilanæ familæ aditus, apertus verò advenis, vilibus, obæratis, & obſcuris natalibus ſervilíque inuſtis notâ hominibus: permiſſum duorum oppidorum excidium inſpectante exercitu, Berſadæ videlicet & Riſcoviæ, quæ Coſacorum receptacula falſò Turcæ prætendebant, movebántque de fundo controverſiam, quaſi in illorum ditionibus deductæ coloniæ pactorum ſecuritatem violarent. Atque eo commento Polonorum tentari patientiam conſtitit, cùm fœdera Solimani & Sigiſmundi Regis limitem utriuſque Imperii Tyrâ fluvio circumſcripſiſſent: ſed quòd olim campos habitatore vacuos, nunc verò vicis oppidíſque completos inſeſſóſque viderent, frendebant Turcæ ſuſpectæ ſibi viciniæ metu. Quoniam verò non aliter excidium colonia-

Per hoc favorem perdit & ubique proſcinditur.

niarum urgere poterant, cùm nullæ aliæ suffragarentur rationes, subdolâ criminatione iis, tanquam firmissimis receptaculis, occultari insolentiam Cosacorum arguebant. Existimabat Zolkievius eo oppidorum damno barbaros contentos reddere, at illi acriùs institêre, ut Cosacos armis persequeretur, velut pacis publicæ turbatores, id verò egêre doloso consilio: solicitatos namque quà præmiis quà libertate promissâ, sparsísque clàm literis mira pollicentibus, tantò proniores ad defectionem inclinaturos sperabant, quantò asperiùs à ducibus nostris habituros se vererentur. Sed Zolkievius technarum intelligens satìs habuit si illos armatus moneret, interminaretúrque ne rumpendorum fœderum in posterum licentiosâ pyraticâ ansam darent.

Turcæ Cosacos castigari volunt.

Zolkievius iis tantummodò interminatur.

Discessum itaque ab utrinque pacis nomine reportato, cùm re ipsâ bellum ferveret, à recenti Tartarorum in Podoliam irruptione, excusantibus factum Turcis, videlicet: insolentem Scytharum gentem in rapinas corruptam, nullâ severitate regi posse. Nec

Pacis nomen ex illo conventu reportatur, re ipsâ bellum fervet.

Nec aliàs unquam frequentiùs & penè ad libitum incursionibus Tartarorum patuit Russia, summo cum Poloni nominis dedecore. Agri latissimè vastati, in vicos, oppida flammis sævitum, equorum pecudúmque numerosi abacti greges, hominum utriusque sexûs ætatísque promiscuæ, præter senilem (quæ sola barbarum provocabat acinacem) centena millia capta, miseræque mancipata servituti. Et puerilis quidem ætas ad Machometis damnabatur superstitionem, valentiores verò partim Turcicas implevêre triremes, partim desertis Asiæ adscripti glebis, catenati duràque vincti compede colebant rura: ad extremùm tot populationibus capta jam Russia videbatur. Et Turcæ quidem pro tempore pacem servantes, gaudebant nobilissimas & opulentissimas Provincias lacerari vastaríque, quæ ad eam redactæ solitudinem nec belli nervum suppeditarent, & plerisque fortissimorum virorum in servitutem abductis, exercitui Polono robur numerúmque subtraherent. Cùm tandem iterum populorum

Tartari Russiam uberrimè populantur.

Inde gemitûs & lamenta populorum. rum erupêre lamenta questûsque tantam cladem miserantium, recrudescentéque veteri controversiâ, tum de adventu Turcarum certior factus Zolkievius, ad Orininum haud procul Cameneco lectissimâ cum militum Procerúmque manu constitit: *Zolkievius cum numeroso Exercitu ad Orininum venit.* ubi cœptos mox tractatûs Turcarum vafrities & mutatio discussit, nec non & Tartarorum intoleranda insolentia, qui prope ipsa castra suggressi, hostili insultu militum ardentissimè pugnam expetentium irritavêre patientiam. Verùm Zolkievius solito consiliorum tenore, pacis quoquo modo aut servandæ, aut habendæ percupidus, acie instructâ hostíque oppositâ immotus stetit, vetuítque pœnâ capitis interpositâ evulgatâque, ne quis abeuntes insequeretur. *Pugnam detrectat.* Atque dum illius temporis gesta annaléisque considero, invenio lectissimis tunc ac numerosis Zolkievium imperitasse legionibus: *Piasecius.* sunt enim qui retulêre nec falsò, è quinque hastatorum, duodecim velitum, sex peditum millibus conflatum fuisse exercitum, omnem tamen prælii aleam cunctabun-

bundum detrectasse ducem. Sed præter solitam ejus cunctationem bellíque Turcici effugium, denegatæ militi pugnæ unicam hanc habuit rationem: quippe opulentissimi quique Procerum privato ære conductis copiis ad exercitum venerant, Zbarascii præsertim, Sieniavii veteres Zolkievii æmuli, & ut animis dissociati erant, ita & stationibus separati constiterant, nullatenus volentes Imperatoris conjungi castris, ideóque pugnam ordiri detrectabat dux, à voluntariis bellatoribus obsequii incertus, & consilia & mandata ejus sæpius aspernantibus: *à Voluntariis bellatoribus obsequii incertus.* prævidebátque interturbaturos potiùs quàm prosecuturos victoriæ cursum, nisi ab uno regerentur. Et quod præsenserat prædixerátque Zolkievius hostem æmulorum suorum castigaturum contumaciam, quos discretos sejunctósque aggredi ac intercipere commodiùs haberet, mox ita evenit: namque in Thomam Zamoïscium Palatinum Kioviensem proprio cum trium millium milite separatâ in statione consistentem, invecti Tartari, cruento diuturnó-

 que

Tartari Zamoïſcii Stationem invadunt, cui tardè ſubſidium mittit.

que fatigavêre impetu, inſpectante Zolkievio immotóque: & vix exorari potuit, ut jamjam extremo in diſcrimine fatiſcentibus Zamoïſcianis, aliquot ſclopetariorum centurias auxiliares ſubmitteret. *Diſceret* (inquiebat) *juvenis veterano primùm duci obſequi, pòſt & ipſe imperare.* Neque ego tamen Zolkievium excuſare velim, cur abeuntes Tartaros Ruſſiámque in oculis florentiſſimi exercitûs atrociter devaſtantes inſequi noluerit? cur ex Volhinia prædâ graves oneratóſque, ſecurè decedentes immiſſis levioris armaturæ equitibus in fluminum tranſitu viarúmque anfractibus non excuſſerit? certè ſi pacis ſtudium tantopere animo præconceperat, quàm carò illud ſummóque cum Reïpub. damno conſtitit: quaſi verò pacem ſervaturus eſſet hoſtis rapinis latrociniiſque innutritus, eóque tanquam neceſſario vitæ elemento ſublato, ipſe mox exſanguis futurus. Quodſi Turcas laceſſere noluit, profectò caſtigata prædonum temeritas nullatenus pactorum fidem violaſſet, cùm Turcæ palàm affirmarent, rapacem gentem nullis à ſe,

Zolkievii aliqua culpa quòd Tartaros non inſecutus fuerit.

à ſe, quantumvis ſeverioribus, edictis contineri coërcerîque poſſe.

Coſaci Turcarum ditiones infeſtant.

Publicas Ruſſiæ calamitates injuriáſque, non mitiore rependebant vindictâ Coſaci: ac illi quidem initio exiguo Turcarum damno Ponto Euxino innotuêre, donec continuis eorum apud Regem Supremúmque armorum ducem querelis irritati, tum & acrioribus mandatis, armíſque oſtentatis, vulgatâq; de ſui excidio famâ exterriti, tantò ferociùs apertè in ditiones eorum effunderentur. Inde non portûs modò & proxima maris tentare, ſed ad interiora urbéſque Turcarum progredi, exſcindere, flammam ferrúmque per agros circumferre, rapere, ſpoliare, navibúſque prædâ onuſtis domum victores remeare. Occupatum ab iis (deletis ad internecionem civibus) nobile aliàs & locuples Emporium Varna, vaſtata Techinia, Kozlovia, Otſakovia, Belgradum, Theodoſia, Taurica expugnata: auxit triumphos Synope Mithridatis olim Regúmque Ponti domicilio celeberrima Emporium Aſiæ nobiliſſimum, Urbs alioquin dives, jam

Occupant præcipuas Urbes & Emporia.

jam tunc ſub tempus nundinarum ditior, capta, diruta, cæde ſanguinéque civium madens ſpoliata. Idem fatum ſenſit Trapeſuntium. Jam verò & navali prælio decertare auſi, Ciculæ Baſſæ filius demerſis triremibus victus occiſúſque, mercatorúmque naves plurimæ diſcerptæ, ſæpiúſque mare illud, Turcis in caſſum frendentibus, inſeſſum tenuêre. Neque verò Aſiæ tantùm aut Europæ Emporiis intulêre terrorem, ſed & ipſam Imperii ſedem domiciliúmque Cæſarum Conſtantinopolim ſubitus pervaſit, accenſis à populantium manu circumcirca vicis ſuburbiiſque, ſpectante flammam Imperatore: quin & propiùs ſuggreſſi venationi deditum, ſeu, ut alii volunt, hortorum amœnitate oculos animúmque reficientem, trepidum fugâ intra mœnia compulêre, magno cum potentiæ Othomanæ ludibrio, ad cujus culcandum faſtum ſi tantum prædonibus piratíſque licuit, quid præſtarent Chriſtiani Principes armis fœderéque ſociati? Atque inter has Polonorum ac Turcarum ab utrinque querelas, Zolkievio ac Skinder Baſſa

Navali prælio decertant, Ciculæ Baſſæ filium occidunt.

Conſtantinopolim flammâ terrent & ipſum Imperatorem.

Baſſa annitentibus, novíſque pactis damna ac diſſidia componentibus, mirè attemperata pax videbatur: quanquam lubrica illa, & apud gentem Chriſtiani nominis odio flagrantem, infida fluxáque. Et licèt diſcerptæ laceratæque ab incurſantium hoſtium inſolentiâ ingemiſcerent Provinciæ, bellique injurias ſentirent, nihilominùs à tam funeſto nomine abſtinere placuit, & nec bellum id, ſed latrocinium tantùm inſolentium prædonum vocabatur.

Diſſidia hæc Zolkievius cum Skinder Baſſa componunt.

Interea exſtincto Achmete Oſmanus ad paterni Imperii culmen evaſerat, miſſus illico à Sigiſmundo Rege Petrus Ozga Magiſter Libellorum ſupplicum, & Præfectus Trembovecenſis, qui novo Principi ob ſuſcepta Regni ſolennia lætitiam teſtaretur, renovarétque fœdera quæ cum patre Oſmani hactenus interceſſiſſent. Auditus acceptúſque perhumaniter, cúmque ea dimiſſus benevolentiæ ſignificatione, quæ ſtabilire pacem, tranquilliorémque vicinitatem promittere videbatur. At Oſmanus inquies, ferox, adoleſcentiâque præfervidus,

Oſmanus ad Imperium evehitur, ad quem Petrus Ozga Legatus miſſus.

Oſmanus adoleſcens ferox bellum ſpirat.

& qui non tam tuta & salutaria, quàm præcipitia capesseret, bellum in animo volvebat: accesserat ad vitiosam ætatem fastus arrogantiáque, inde nimia potentiæ viriúmque, quibus nihil inaccessum foret, fiducia: proindéque Poloniam brevi suos aucturam titulos præconcipiebat. Quatiebant ingenium asperiùs Moschi, recentibus cladibus bellantísque in ipsis Imperii visceribus Vladislaï Principis felicitate exulcerati, jámque prece supplici, jam donis & muneribus per Legatos frequentissimè Constantinopolim commeantes, Othomanum ad bellum Polonis inferendum incitabant, eorum in aula postulata foventibus promoventibúsque Græcis, suadente patrocinium arcto religionis vinculo, quod justis æquè atque injustis causis obtrudere modernus Orbis suo malo experitur. Atque eâ ipsâ tempestate religio Bohemiam perduellem contra Ferdinandum Cæsarem armaverat, conquisitis undique subsidiis, quæ etiam apud Christi ejúsque nominis hostem, à Christianis, si Diis placet, supplici commiseratione quæ-

Moschi incitant.

quærebantur: audiebantúrque etiam rebelles Constantinopoli Osmani arma in nos provocantes, in ultionem haud prosperi cum Cæsare belli, cujus fausta initia submissa à Sigismundo Rege auxilia intervertissent. Et flagrantibus dissidiis ac circumcirca desciscentibus à Ferdinando Provinciis, Hungaria quoque erat contacta gravi flagitio, tracto in partes Gaborio, Regnúmque sibi destinante. Sed ejus exercitu quem duce Rakocio suspectæ Poloniæ limitibus objecerat, ab irruentibus sex millium velitum copiis cæso, longè latéque per Transilvaniam Hungariámque extensis populationibus, collucente undique fatali flammâ vicos & oppida depascente, & Proceres Hungari rebelles Possonii, Comitiis curâque novi Regis eligendi omissâ, consternati profugêre, & Gaborius penè à suis desertus Viennâ potiundi, quam gravi nec jam diu duraturâ premebat obsidione, simúlque spe Regni Hungarici evolutus est: ad quod adipiscendum in posterum eâ fraudatus commoditate occasionéque, nunquam eniti potuit.

Rebelles Ferdinandi Secundi Imperatoris Turcarum arma in Polonos provocant,

Gaborius vel maximè potuit. Ab hac clade Regníque erepti injuriâ furens, continuis susurris commovebat agitabátque percitum Osmani ingenium, exasperabátq; ad indicendum Polonis bellum, prono in eum Othomanæ aulæ favore, cujus jurato obsequio, nec non donis suetísque artibus gratiam aucupabatur. Ita tunc rebellium Legati intentum facilémque ad bellum Osmanum propellabant, haud perinde formidando sibi futuro Ferdinando Imperatore, si auxilia Polona amoverent, novísque distinerent atque implicarent contentionibus. *& Tomsa Valachus.* Aderat Tomsa egregiè incentoris personam sustinens: quippe operâ Polonorum è Moldavia (quo nomine alteram Valachiæ partem indigetant) ejectus dominióque motus, indéque implacabili odio concepto, hostilem exacuebat animum quærebátque vindictam.

Ingenium Osmani regunt Hali & Scinderus Bassa. Sed super omnes immite adolescentis Principis ingenium regebant præpotentes in aula ministri, tantò ad adulationem proniores quantò pertinaciorem refractariúmque intelligebant, & si obniterentur, certum sibi exi-

exitium, si verò placida promerent, gratiam favorémque arcesserent. Plurima vis penès Hali & Skinderum Bassas fuit, alterum aulæ, militiæ alterum Præfectum: *Hali Bassa in summa gratia.* Hali Bassa nullo rerum usu pollens, impárque gravioribus curis erat: namque inter ephæbos adlectus, olim puero Osmano placuerat, deinde fœdarum administer voluptatum, conquisitis ad illius ingenium novis quotidie oblectamentis, inter primos familiarum assumtus, ad extremùm assentandi aucupio libidinúmque artificio, ut gratiâ ita & summo in Imperio officio, (Vezeri Turcæ appellant) summâque post Cæsarem potestate præibat omnes. Cæterùm sive ab exterorum criminationibus arma in nos concitantium, sive ab adulatione obsequióque infensi Principis odium hauserat, hostem se Polonis jactabat profitebatúrque. Erga quos idem quoque Skinder Bassæ animus fuit, & vetus *Skinder Bassæ summa auctoritas.* militiæ dux, belli periculorúmque haud sanè detrectator, ideóque pronus ad asperiora, plura de ea expeditione scitè peritéque disceptare unus poterat, cujus famæ &

Corecii fuſi cæſíque clades, & duo cum Zolkievio congreſſûs maximam apud Turcas conciliaverant auctoritatem.

Oſmanus Otſinovium Legatum violat. Ergo tot támque crebris incitantium vocibus, tum à ſuopte ingenio ferox Oſmanus jus gentium ſacráque Legationis violat. Namque Otſinovium Sigiſmundi Regis Nuntium, ad corrigendos nonnullos Pactorum articulos, tanquam ad amicum novóque nuper fœdere illigatum Principem miſſum, per carnificum lictorúmque Præfectum Conſtantinopolim introduci jubet, & contumelioſè habitum, adjectis probris, nec aſpectu dignatus ab urbe repellit. Satìs apertè eâ injuriâ claſſicum concinuit, quídve moliretur Othomanus palàm teſtatus eſt, cùm hoſtili animo fas gentium temeraret. Et pluribus irritamentis excitabant Turcæ Polonorum moram: cœptúmque eſt mox *Occaſio belli in Valachia.* jurgium cujus anſa occaſióque Valachia fuit, deducentibus eò rem Polonam fatis, ut ſuper antiquas clades horridáque bella, novis iterum funeſtum aperiret campum. Id verò, prout contigerit, jam paucis expediam.

Præ-

Præerat Valachiæ cum imperio Gaſpar Gratianus, Germanus, ut ferunt, origine, *Gaſpar Gratianus Valachia Palatinus, ejus vita & ingenium.* Grætii in Styria natus, is ingenio per negotiationem exercito, deinde propitio Mercurio mutando terras ac Principes obeundo, opes cumulaverat, quibus ſuffultus altioris fortunæ tentare faſtigium, & extra mercatoris ſortem conſiſtere animos ſpiritúmque ſumſit. Conſtantinopolis ubi inclareſceret delecta, pérque largitiones aditu patefacto quibus in illa aula nihil non pervium eſt, captatóque Turcarum favore, quem redimendis in Italia barbarorum captivis, ínque patrium revehendo ſolum mirè intenderat, Achmeti Cæſari innotuit: arceſſitúſque Ducatu Naxiæ & Biſſacenſi auctus, deinde poſt obitam perfectámque ex voto ad Matthiam Imperatorem Legationem, Valachiæ impoſitus eſt. In eo culmine potentiæ haud ſeſe credebat fortunæ ejúſque blanditiis, barbarorum fidem lubricam, favores breves, inconſtantes, minúſque fauſtos, populorum verò quibus imperaret levia & infida ingenia, imperium invidiæ odió-

odióque ambientium obnoxium animo volvens, lupum, ut ajunt, auribus tenebat. ac proinde cautus circumſpectúſque primùm ingentes parabat opes, quas, ſi minùs proſperè res eveniret, aliò transferret, pòſt ſubſidium dominationi ab exterorum amicitiâ patrocinióque quæreret.

Polonis favet eósq; præmonet.

Potiſſimus illi erga Polonos affectus fuit tanquam veteres olim Valachiæ Dominos, propenſæque voluntatis dabat ſæpius indicia, edocendo aulæ Othomanæ molimina conatûſque, incurſiones Tartarorum aut avertendo, aut præcavendo: ad extremùm omnes motûs, conſilia rebellium Germaniæ, hoſtiúmque Reipub. Polonæ, dicta factáque accuratiùs notando & referendo, déque Otſinovio pulſo Majeſtatíſque Regiæ contumeliâ, & imminentis belli tempeſtate Sigiſmundum certiorem faciendo. Gnarum id Turcis qui apud Gratianum frequentiores, veluti honoris ſpecie circumdati, morabantur, cæterùm ipſius geſta, verba, excepta cum ſiniſtra interpretatione Conſtantinopolim tranſmittebant.

Gratianus cognitis erga ſe Turcarum odiis Valachos ad rebellionem excitat.

Et jam tacitis Nuntiis præſenſerat averſam Cæſaris voluntatem Turcarúmque odia unico capitis ſui periculo expianda, cùm firmiore præſidio adverſùs vim, ſi quæ adhiberetur, ſeſe muniendum ratus, pertentatis Valachorum animis, impulſiſque ad rebellionem, quà ſpe, quà gratiâ factionibúſque, in partes Polonorum Se, univerſámque Provinciam tradere parat. Aperuit mentem conatúmque arcanis literis Zolkievio Regni Cancellario, & ſupremo armorum duci: videlicet, ſtatuiſſe apud ſe concedere in Regis fidem ac clientelam, neque illud tantùm ſuum, ſed univerſæ etiam Valachiæ votum eſſe, obſtrictæ jam mutuo fœdere, quod jurejurando confirmaſſet. Et hæc quidem ſecretò agebat, ſed preſſam ſilentio conſpirationem brevi evulgavit fama tulítque Oſmano Imperatori Turcarum: is ire jubet Skinder Baſſam, qui Gratianum vinculis adſtrictum Conſtantinopolim retrahat ſiſtátque, & bellum Polonis inferat. Ferali aulæ Othomanæ mandato perculſus Gratianus, dum Skin-

Mittitur contra illum cum Exercitu Skinder Baſſa.

der Bassa copias colligit, militem scribit, continuò incitandis vocandísque in Valachiam Polonis instabat, inde Turcarum consilium constans, decretúmque bellum, Præfectum exercitûs Skinder Bassam aperit nuntiátque: commeatûs, auxilia, publicas privatásque opes pollicetur, occuparent tantummodò ociùs Valachiam Poloni, pretium non vile laboris gloriæque, néve interim spe pacis lactarentur: imminere namque iis mox necessitatem pugnandi, quam tutiùs esset antevertere, ínque alienâ terrâ & extra patrios limites commodiùs hostem distinere fatigaréque. Et quo propior periculo erat, eò acriùs ardentiúsque Zolkievium urgebat incendebátque, hortando stimulandóque occasioni ne deesset.

Zolkievium ut Valachiam occupet, stimulat.

Cunctatur Zolkievius.

In cunctatorem Fabium inciderat Gratianus; namque veteranus à multóque rerum usu exercitatissimus dux legerat audiverátque, à majoribus nunquam prospere cessisse Polonis Valachiæ usurpationem: reputabat secum auxilia quæ offerret Gratianus,

tianus, ab infido mobilíque gentis genio incerta, quæ æquè citò ad fidem dandam atque mutandam propenderet, sibi vix tria millia militum sub signis comparere, tantundem ex honorariis bellatoribus accedere posse: at quàm exilis manipulus ad eripiendam potentissimo hosti Provinciam! eâ verò ereptâ quid lucri commodíque proventurum, præter continua diuturnáque bella Polonis viribus haud ferenda, quibus hactenus Principes Christiani succubuissent? Hæc intra se volvebat Zolkievius, ne tamen reï gerendæ occasionem suâ cunctatione præcideret, à Regis mandato pendere volebat, ad quem integrum detulit negotium. In consilio Regio plerisque idem sensus qui & Zolkievio erat, iidémque Gratiano receptum sine Reipub. noxâ dandum, sua verò defendenda potiùs quàm aliena exili cum exercitu invadenda censebant: nec objiciendas temere hosti veteranorum copias, florémque militiæ Polonæ: qui succisus universum Regnum in ruinam secum traheret. Sed Andreas Lipscius Regni Pro-

Regi negotium aperit.

Cæteris tutiora suadentibus Andreas Lipscius classicum canit, & Valachiam occupandam censet.

Cancellarius Episcopus Luceoriensis consilii aulici tunc princeps tutiora suadentibus intercessit: vir ut ingenio ita & moribus asperior, & ultra quàm sanctioris togæ deceret Antistitem, turbidiora non nunquam quietioribus præferens, Gratiano succurrendum, arma expedienda, Valachiam hosti detrahendam invadendámque, futuróque bello inibi firmandam sedem, animosè magis quàm cautè disseruit, addidítque, frustra militem haberi, si torpescat otio, & desses à longè hostium conatûs spectet, nec propulset. In eam hominis sententiam datæ ad Zolkievium nomine Regis literæ, intraret Valachiam maturarétque iter, rémque suo arbitatu gereret.

Scribitur Zolkievio, ut Valachiam cum exercitu intret.

Acceptâ Regis voluntate, nec ignarus cunctationem suam in aula notari, suáque gesta ab æmulis unicè observari, certus hoc ultimo documento invidorum obtrectantiúmque arguere voces, testatus fortiora tutioribus se amplecti, impar ad extremùm invidiæ dux, salutem rumori posthabuit: nec ultrà moratus versùs Valachiæ fines signa

Paret ille, ad Regem interim scribit.

gna moveri imperavit. Ac in ipso procinctu dignam viro forti, optimo cive, memoriâ posterorum, Sigismundo Regi epistolam exaravit, quæ Polonâ linguâ scriptâ, Latinè postmodùm reddita, à viro sui sæculi eminentissimo Stanislao Lubienio Episcopo Plocensi, in ejus opere posthumo exstat; ex quâ in gratiam lectoris pauca excerpere mihi visum est, siquidem à nonnullis scriptoribus paulò aliter, nec integro sensu memoratam invenio: alii verò Zolkievium ultrò præfidentérque Valachiæ fines ingressum prodidere, cùm aliter ex ipso epistolæ constet exordio. Namque cur audaciora cautioribus prætulerit consilia, rationem Regi reddit iis verbis: *In hoc Reipublicæ statu plerisque omnia in deteriùs interpretantibus, & obstinato animo recta consilia damnantibus, aliter fieri non potest. Privati quoque mei respectûs eam mihi necessitatem imposuerunt, & opprobria, detractiones (ad ferendum vel magnis animis molestissimæ) passim citra meam culpam in me jactatæ. Hinc etiam, nisi Valachis petentibus suppetias ferrem, daretur occasio sermonibus malevolorum, quibus ego po-*

Literæ Zolkievii.

Datæ Barii. 25 Augusti.

potissimùm peterer. Eò res devenit, ut aut (quod Deus largiatur) vincemus hostes, vel (quod avertat) illi nos vincent, si (quod absit) adversa sors Reipub. ceciderit, nolo superstes esse: diu id jam in votis mihi fuit, & volens extremum subibo fatum pro fide Sanctâ Catholicâ, pro Majestate Vestrâ, pro Repub., licèt ab hac laborum & periculorum ejus causâ susceptorum gratitudinis loco opprobria tulerim, non possum tamen nisi optimè cupere patriæ meæ. Eorum, quæ optimo animo à me facta sunt, præmium in cœlis me consecuturum confido. Quodsi, ut spero, Deus nostris contra hostem conatibus faverit, ad minùs mordaces linguæ conticescent. Hæ sunt præter alias causæ, cur hoc consilium secutus sim universo consentiente exercitu, reliqua, quæ eventura sunt, secreto Dei arcano continentur. In altera epistolæ parte, posteaquam sat luculenter de ratione belli gerendi cum Turcis disseruisset, aperuissétque de inferendis contra Othomanum armis Sixti V Pontificis Maximi cum Stephano Poloniæ Rege consilium, veluti à genio aurem sibi vellicante instantis fati admonitus, in hæc verba prorupit: *Concludo hanc epistolam Tibique Serenissime Rex, Domine mi, valedico. Constans*

Constans mihi sum, idque ad Tribunal Dei mox compariturus comfirmo, me fideliter & sincerè Majestati Tuæ servivisse. Si quâ in re (homo enim sum) id quod debui non præstiti, veniam det mihi Majestas Vestra, & filium meum, si fortuna belli ei pepercerit, Regio patrocinio complectatur Deus Opt: Max: Majestatem Vestram servet in longum tempus, ad propagandam gloriam Nominis sui, & Rempub. hanc augendam, denique Majestatem Vestram functam vitâ, participem faciat beatitudinis æternæ, ubi ipse vivit & regnat cum Filio & Spiritu Sancto verus & æternus Deus. Ita ad extremùm compellato Rege, obsignatâ transmissâque epistolâ eodem penè momento ad castra perrexit, Joanne Filio Rubieszeviensi Præfecto, & Lucâ ex fratre nepote, egregiis juvenibus comitatus, mox acceptus à milite exercitúque Tyram trajecit.

Numerum copiarum sex millia militum aut paulò ampliùs explevêre veterani omnes, multorum non minùs stipendiorum quàm victoriarum: Ordinum ductores celebres militiâque clari Stanislaüs Koniecpolius Magister equitum Generalis Zolkievii gener, *Numerus copiarum Zolkievii.*

gener, vir præclarè geſtorum gloriâ inſignis & ad Martem natus. Samuel Dux Corecius haud ita multùm Conſtantinopoli è captivitate elapſus, Turcarum terror, Nicolaüs Struſſus Halicienſis Præfectus, notum bellis Moſchoviticis nomen, Joannes & Lucas Zolkievii par præclariſſimæ juvenum indolis, bellicâ in domo enutritum. Martinus Kazanovius virtutis ſpectatæ longâque armorum tractatione exercitatus Tribunus, Valentinus Kalinovius Camenecenſis Præfectus ſtrenuus impigérque, Volmarus Ferensbachius ſplendidis in Livonia natalibus geſtíſque, ingenio moribúſque levior; ſed manu promtus, perpetuus Corecii æmulus. Hermanus Denhoffius invicti roboris animíque, & ni memorabili exitu finiviſſet, ad magni bellatoris gloriam creſcebat. Nicolaüs Potocius Jacobi Braclavienſis Palatini clariſſimi Ordinum ductoris filius, jam noſtrâ ætate armorum ſupremus dux. Alexander Balabanus Vinnicenſis Præfectus Zolkievii ex ſorore nepos, Martialis ingenii vir, Joannes Tyſzkievi-

Ordinum ductores qui.

zkievi-

zkievicius ſuâ majorúmque claritudine ac militari laude præclarus, Stephanus Chmielecius horrendum Tartaris nomen, quos primus non vinci tantùm ſed internecione deleri docuerat. Joannes Odrzyvolſcius, Theophilus Szembergius, Urzeſcius, Kovalkovius, Goſlicius, cæteríque Centuriones bellicâ laude omnes conſpicui: ad extremùm Valentinus Rogaſcius velitum ductor, Moſchoviticâ expeditione ac paulò pòſt factâ in rebellem Hungariam irruptione victoriâque clarus.

Omina infelicis belli.

Eo militum numero iíſque ſignorum ductoribus aggreſſus eſt Valachiam Zolkievius, & ad exercitum quod attinet egregii quique, non multa quidem nomina, ſed præliares animæ, ſi concordia adfuiſſet, inferendo quovis bello ſufficientes. At inauſpicatò rem geri apparuit; jámque ſub ipſum Barii portis egreſſum, ſudum repente Cœlum atrâ obduxit nubes, tum procellæ tonitrua, fulgura, imbréſque infauſti monuêre abitûs, ita ut equi rhedæ Zolkievii juncti, à nimio turbine, qui oculos feriebat,

Qqqq bat,

bat, retrorſum inter ſe implicati, haud progredi poſſent, donec ſerenior rediret facies: neque hæ cœleſtes minæ, ultráque ſolitum turbamenta terruêre Zolkievium, quo minùs in caſtra pergeret. Effuſus in profluentem Tyram nitratus pulvis, ſignum nullâ violentiâ Imperatoris fractum, nonnulli Tribuni Centurionéſque haud ſibi concordes, Zolkievio parùm æqui, & cujus magis fortunam, quàm ipſum venerentur, contumacioréſque infelicis belli exitum portendebant. Ad hæc à duce, veluti libens voléníque in ſua præceps rueret fata, de ſubſidiis haud proviſum, non privatis opibus, quæ illi amplæ, auctoratus miles, deinde vocatæ quoque Coſacorum turmæ non comparuêre: quippe revolvendo caſtigationes & odia, quibus acerbior in coërcendis ipſorum adverſùs Turcas excurſionibus fuerat, quietem gloriæ & gratuitæ militiæ præpoſuêre.

Zolkievii exercitum fama auget. 17 Septembris. 1620.

Ingreſſum in Valachiam Zolkievium fama tulit, populóſque pervagata numerum copiarum mendaci auxit rumore: læto ad recen-

recentem & nec dum exploratum militem Gratiano, à támque prævalidis viribus ſecuritatem ſibi pollicenti. Primum ejus ſubitúmque facinus fuit Turcarum cædes, Valachis ad patrandum metu, vel merito Polonorum impulſis. Ergo omnes qui Jaſſis primâ in Provinciæ Urbe Principúmque ſede aut domicílium fixerant, aut Gratiani lateri tanquam perpetui geſtorum delatores adhæſerant, aut recens clàm ad capiendum ſiſtendúmque Conſtantinopoli advolarant, trucidati, paucíque lanienam fortunæ beneficio evaſêre. Auditam Turcarum cædem in Polonis caſtris militum plauſus excepit, quaſi & Gratianus & Valachia fuſo prælibatóque hoſtium ſanguine, arctiore ſe obſtrinxiſſet fide, deſperatâ prorſus veniâ apud Turcas immani irritatos flagitio. Sed detectis à tempore & exploratoribus famæ mendaciis, paucitatéque incedentium cognitâ, nutare Valachi nec comparere, deinde paulatim ſe à partibus ſubducere, neutríſque adhærere, conſilia ab eventu metiri, fortunámque ſequi decreverunt. Gratia-

Gratianus & Valachi Turcas trucidant.

Paucitate Exercitûs detectâ Valachi nutant, Gratianus fugam reſpectat.

no fuga magis quàm bellum in animo fuit, eámque reſpectantem Zolkievius retrahit, tergiverſatione vaníſque excuſationibus per literas præciſis, in caſtra evocat, certo, ni paréret, exitio. Venit itaque cum exiguo ſexcentorum comitatu lætitiam gratulationémque ſimulans, cæteris non comparentibus turmis, quibus aucturum ſe exercitum ſpecioſâ pollicitatione receperat, ducéſque ad maturandum iter pellexerat. Zolkievius ne artes dolóſque intelligere videretur, benignè venientem excipit, omniáque honorificè, ut in Principem, uſurpat, de hoſtium viribus conſiliiſque ecquid certi haberet interrogat? is nihil ſeriò adferre, cautâ & impenetrabili ſimulatione copiarum numerum premere, demum ambigua reſponſa ſuſpectam hominis fidem adſtruebant: fueréque qui ſuaderent Techiniam verſùs & Belgradum (quò prima conſultantium antea inclinabant vota) movendum eſſe exercitum, ad diſtinendum Skinder Baſſam metúmque Tartaris inferendum.

Retrahitur & ad castra venit.

7 Septemb.

Haud

Haud probatum id Duci, retinendæque potiùs Valachiæ, cujus cauſâ arceſſitus eſſet, inſiſtendum ratus, Cecoram oppidum verſùs ire, campúmque & locum à Joanne Zamoïſcio immortali cum nominis gloriâ inſeſſum, occupare viſum. Quò ubi ventum, pridie Idûs Septembris dimenſa olim à Zamoïſcio caſtrorum veſtigia, ſed depreſſiore jam vallo foſſâque humili Zolkievius reparare jubet. Et miles lentiùs ſegniúſque operi intendebat, quem nulla de hoſte notitia negligentiorem ignaviorémque redderet: cujus adventum quarto demum pòſt die Odrzyvolſcius ſpeculatum miſſus non modò nuntiavit, ſed ſuo inhærentem tergo prope caſtra adduxit, jámque de paucitate Polonorum ab interceptis pabulatoribus (quorum pars magna conciſi ſunt) edoctum. Poſtero die venêre in conſpectum Turcæ Tartaríque ſuis agminibus diſcreti, mox ſubſecutæ velitationes, quæ primæ feliciter obvenerant, auctis inde procurrentium Polonorum animis & infeſta ſigna in apertum penè effundentibus. Et Tartari quibus

Zolkievius cum exercitu ad Cecoram venit.

Odrzyvolscius hostem adesse nuntiat.

Sequuntur velitationes.

 hæc

hæc præludia parùm ſucceſſerant, ſubitò turmatim ad ripam Pruti circumgreſſi in levis armaturæ cohortes Valentino Rogaſcio ductore caſtris adjacentes, ſummâ vi impetúque irruunt. Moti loco turbatíque à denſis numeroſíſque hoſtium agminibus Rogaſciani, deinde à Denhoffio cum aliquot Centuriis equitum in ſubſidium prorumpente, ſtrenuéque rem gerente erecti, validiùs in barbaros feruntur, cædunt, disjiciunt, fugántque, donec nox imminens & ſignum receptui datum cladem inferentes ſtitiſſet. At militum pugnam poſcentium ardor haud ſiſti poterat à proſperis: namque feroces incuſabant noctem, quaſi plenam iis eripuiſſet victoriam, hoſtémque ſuis involutum tenebris abſcondiſſet: optabant itaque diem, qui latitantes extraheret redderétque exoptato certamini.

Tartari Rogaſcianos infeſtant ſed à Denhoffio illis ſuccurritur.

Interea quantis viribus barbarorum conſtaret exercitus Zolkievius hucuſque nihil explorati habebat. Gratianus eam ſuſceperat curam promiſerátque, quamprimùm à fidis ſibi ſpeculatoribus innoteſceret, confe-

De numero hoſtium non conſtat.

confeſtim ſe Zolkievio aperturum: at ille ut in cæteris ita & hâc Polonos ſuæ fideï innixos ſubdolè eluſit, namque ille onus veriùs non præſidium caſtrorum, calliditate ingenii variè tractabat animos, hoſtiúmque non majores eſſe copias, quàm quæ in pridianis velitationibus campóque comparuiſſent, certò aſſerebat, ſed falſò: eàdem namque nocte à Tartaro captivo cognitum eſt, centum millia bellatorum univerſo in exercitu numerari. Præerat Turcis cum imperio Skinder Baſſa inſimúlque eorum auxiliaribus Tranſilvanis & Valachis, quos aliquot Primores profugi in deditionem bellíque ſocietatem pertraxerant. Tartarorum ingentia agmina turmáſque regebat Dialet Gerejus (quod ſecundogenitorum nomen cum Præfectura militiæ eſt) Galga, Scytharum Reguli Frater. Minorem paulò numerum apud alios ſcriptores reperio, quibus conceſſerim facilè, modò non nimiùm imminuant, namque Tartaros ſuo cum Galga quinquaginta millium explevisſe, penè apud omnes certum; Turcis verò gran-

Tandem è captivo reſcitur centum millibus bellatorum exercitum conſtare.

grandioribus copiis bella aggredi uſitatum, & totius Chriſtianitatis malo compertum eſt toties.

Miles pugnam poſcit.

Jam certus virium hoſtiliſque potentiæ Zolkievius, ſummam certaminis in maturiorem trahebat deliberationem, increpante moram milite, &, niſi protinus duceretur, occupaturum ſe tempus & occaſionem pugnæ minaciter obſtrepente: cui animos ardorémque indiderat contemtus hoſtis ex pridianâ velitatione conceptus, crederéque noluit tam numeroſis robuſtum eſſe copiis, quæ fugientem nuper aciem non reſtauraſſent. Alacritatem itaque ſecutus militis dux, ne pugnæ cupidis adverſa cunctatio audaciam eximeret, caſtris à tergo, quà fluvius præterlabens ſuſpectus erat, valido firmatis præſidio, copias educit, eúmque in modum ordinat. Carragines duas è carris vehiculíſque, quas lixæ agerent, confici jubet, eáſque à tergo, fronte, & lateribus tormentis bombardíſque communit, quas inter pedites collocat: tum duabus portis caſtrorum emittit, lento ſed æquo paſſu unam

Sequitur ejus alacritatem Zolkievius.

17 Septemb.

Copias educit ordinátque.

nam dextrorſum, ſiniſtrorſum alteram procedere imperat, quoad relictus in medio campus ſuccedentes ſibi legiones reciperet: mandátque, obſervarent ne longiùs à vallo promotæ, tergum nudarent, cui caſtrorum munitio ſecuritatem præbitura erat. Lateribus verò equitum pugnantium ab his ambulatoriis caſtellis optimè proviſum eſt, è quibus tormenta peditéſque certò collineantes hoſtem incurſantem arcerent. Sed ii qui carraginibus præfuêre, præcipuè verò dextræ non ad præſcriptum mandatúmque Imperatoris rem gerebant: quippe non attento ſiniſtræ progreſſu quæ haud procul vallo ſubſtiterat, illa longiùs, quàm imperatum fuerat, provecta, frontem, latus, tergúmque nudavit, adeò ut acies, quæ quadrata ſtare debuerat, laxatis diſtractíſque agminibus dextrum cornu in mucronem porrigeret, nec tormenta peditéſque curribus præſepti jam pro munimento eſſent, quorum ictûs & jacula à diſtantia langueſcerent.

Dextra carrago non correſpondet ſiniſtræ, longiúſque provehitur.

Et Turcæ mox in conſpectum venêre,

 im-

immiſſíſque Tartarorum turmis hinc & inde volitantibus ſi quà perrumpere poſſent, ipſi poſtmodùm ſtructæ acieï campíque receſſûs oculis contemplati, animadvertunt dextrum cornu productiùs laxatíſque Ordinibus haud firmum eſſe: tum illuc propere ſummo cum impetu feruntur ruúntque. Excepti à Polono intrepidè, atroci cum cæde ſtragéque: namque quò propiùs ad carraginem res gerebatur, eò certiùs à tormentis ſclopetariíſque ſternebantur, ſecuturâ majori clade, ni ſubitò inde amoti, in medio & extra omnem teli ictum patentem campum irrupiſſent. Tum verò, ſi uſquam alibi atrox prælium cient, virtute neceſſitatéque Polonos perurgente, fortitudine tamen illis æquiore quàm loco, qui tormentorum ſubſidio nudatus, tot millium hoſtium incumbentium vires abſque omni offenſâ exciperet. Et poſt diuturnam cruentámque pugnam, cùm utraque acies ſat diu barbaros ancipiti fatigaſſet Marte, jámque à recentibus numeroſiſſimíſque (quod nunquam credebatur) in momenta affluen-

in hanc Turcæ impetum faciunt.

Pugnatur iniquiore Polonorum fortunâ.

affluentibus agminibus premeretur, laxari cœpit: poſtremóque cohortes ſui ſolicitæ, deficiente die ac viribus feſſæ, periculo ſeſe ſubduxêre, & patefactâ per hoſtes viâ ad caſtra ſe recepêre. Interim dextra illa carrago ultra mandatum ducis prominens, deſerta, cum pedite ſpe auxilii deſtituto, viribúſque impari, paucis propugnata horis, hoſtibus tandem cum tormentis ceſſit, legionariis partim captis, partim trucidatis, unico Centurione Almadi Hungaro feliciter cum viginti & aliquot ſuorum evadente, nec non Theophilo Szembergio reï tormentariæ Præfecto, periculum ſuperante. Cæſi eo die è Turcis Tartaríſque ultra ter mille, ſauciati multò plures: Poloni quadringenti, tréſque non ignobiles Centuriones, Urzeſcius, Kovalkovius, Goſlicius deſiderati, magnum profectò in tantillo numero damnum ſtragéſque, quam ſpreta ducum imperia, Centurionum militúmque temeritas intulit. Nam præter longiùs à caſtris promotam carraginem, dum nudatum acie tergum atque à vallo ca-

Dextra carrago hoſtibus ceſſit cum tormentis.

Cæſorum ab utrinque numerus.

ſtrorum

ſtrorum unico ſui munimento remotum, Tartari immenſis agminibus impetunt, illuc auxiliares primæ acieï turmas neceſſitas detulerat, relictis interea in fronte paucioribus copiis, majoribus viribus quàm numero cum hoſte dimicantibus, proindéque non diu animos ſupra vires ab inundante multitudine hoſtium obrutæ ſuſtinere valuerunt. Et quamvis errata certam tunc eripuerint Polono victoriam, memoranda tamen ea pugna fuit, obſervatúmque tanto ardore non milites tantùm, ſed ipſos ductores Ordinum conflixiſſe, ut plerique illorum haud incruenti excederent; videlicet Staniſlaüs Koniecpolius, Joannes & Lucas Zolkievius, Korecius, Nicolaüs Struſſus, Martinus Kazanovius, Alexander Balabanus, Joannes Tyſzkievicius, Nicolaüs Potocius, Stephanus Chmielecius, Hermanus Denhoffius.

Saucii Nobiliores è Polonis.

Miles à pugna parùm proſperâ turbatur.

Nocte diéque inſequenti ab hoſte quies, at non in animis militum à pridiana pugna & ſat pertinaci, & qualem nuſquam meminiſſent cum Tartaris conflictu perturbatis. Re-

Revolvebant innumeris ſe hoſtium cinctos circumſeptóſque copiis, nec campeſtri certamini pares eſſe, nec mitiorem hoſte famem, ſi uno diutiùs loco affixi hærerent, haud difficulter invalituram, denique nullum à patria ſubſidium exſpectabant, pluráq; occurrebant trepidis, quæ metum curámque intenderent. At Zolkievius animo conſtans pluribúſque eruditus periculis, convocatis Ordinum ductoribus primariiſque militum, ſuam de ulteriori progreſſu ſententiam aperuit, cenſuítque: detineri eludíque hoſtilem impetum aliquot diebus caſtrorum munimentis poſſe, non diu patentibus campis inhærere ſuetum, præſertim verò Tartarorum vagam curſitantémque militiam moræ cunctationíſque impatientem eſſe, cæterùm ab eo tempore momentíſque conſilia pendere, quæ deinceps libens arriperet ſuo militúmque bono: ſibi penè conſtitutum eſſe ferro per medias hoſtium acies viam aperire, patrióſque limites repetere, modò perturbato militi ſpes audaciáque redierit. Forte animoſúmque

Zolkievius militem animat & per medios hoſtes viam aperire cenſet.

 dictum

dictum excepêre fremitu Tribuni, ii verò maximè, quos veteres in Zolkievium simultates accendebant, ideóque illius carpere acta, & ab ipsius diffidere sententiis pro more habebant. Ac inter eos Valentinus Kalinovius Præfectus Camenecensis multis olim licèt exercitatus bellis, sempérque strenuus, tunc contradixit fugámque suasit, indicio Valachorum tutam securámque, quibus Pruti uliginosi cœnosíque vada, saltûsque, & silvarum avia probè nota essent. Aversatus Zolkievius viri aliàs militaris plenam ignominiæ dedecorísque vocem, consultantium dissolvit cœtum. At fuga jam menti cordíque tenaciùs hæserat, fatali Kalinovium ducente necessitate ad tam probrosum facinus, qui tunc primùm vitæ cupiditate teneretur, cujus aliàs in acie immodicè prodigus fuisset. Crediderim à Gratiano persuasum id consilii cepisse: quippe ille diffidens, ne traditus per pactiones Skinder Bassæ, supplicio metum belli causámque componeret, ideo evadendi monstrabat modos viámque, quam si se duce

Contradicit Kalinovius & fugam suadet.

Aversatur Zolkievius vocem probrosam.

Interim fuga menti illorum hæret..

duce capesserent milites, expertes periculi brevi suis penatibus redderentur.

Velando itaque flagitio delecta nox: jámque inumbrantibus tenebris dispositis à duce excubiis, tradito nomine castrorúmque securitate firmatâ, Kalinovius & Gratianus primi ad fluvium Hierassum ponè castrorum terga decurrentem advolantes, fugæ dato initio exemplóque plurimos in scelus aggregavêre: & quidem Korecium, Strussum, Tyszkieviciúmque primæ notæ Tribunos eâdem contagione correptos fuisse, certò mihi constat, sed quia sive pudore sive periculo retenti, celeriùs rediêre, pepercêre tantis nominibus scriptores. Sanè Zolkievio exprobranti detestantíque desertæ militiæ scelus, Korecius præfidenti se ingerens animo, & quis inquam fugeret interrogavit? respondit, is è cujus veste adhuc madidâ recentes stillarent aquæ: id verò notaverat dux in Korecio paulò antè emergente, repressítque contumacem ac præposteram interrogationem. Nec satis erat fugacium hominum probrum densis

Kalinovius & Gratianus fugæ dant initium.

20 Septemb.

Zolkievius Corecio fugam exprobrat.

denſis involvi tenebris, ni flagitio prætextum mentirentur, ſparſis videlicet per conſcios vocibus: deſeri fraude ducum exercitum, ideóque ſibi quemque conſulere oportere. Tunc verò, ubi is rumor percrebuit, acſi jam non fuga ſed ſubitus receptus eſſet, qui auctore duce Tribuniſque fieret, cuncti ſeſe proripiunt, ínque flumen præcipites ruunt miſerando ſpectaculo, obviâque pœnâ. Etenim in mortem ibant quam tantopere fugiebant, cùm alii rapido hiatu abſorberentur, alios immenſi vortices reſupinarent abriperéntque, alios lubricus fundus & veſtigii impatiens everteret, undíſque hauriendos protruderet: denique & in tranſmittendo fluvio, & ab hoſte adverſam ripam obſidente, certa maneret clades. Namque enatantes, ſi qui ſupererant, à Scythis Valachíſque trucidabantur, miſeréque pereuntium voces gemitûſque audiebantur, quos ignoti ſaltûs, inexploratæ ſilvarum latebræ Valachorum lanienæ exponebant.

Spargitur duces fugere & excitum deſerere, inde omnes præcipites ruunt miſerando ſpectaculo.

Zolkievius ad ſubitum per caſtra clamorem tumultúmq; attonitus ignarúſque unde eſſet,

eſſet, quóve ſpectaret, deinde re cognitâ accurrit, ſignóque imperatorio erecto, facibúſque accenſis omnibus ſui videndi copiam facit, tum quæ cauſa fugæ interrogat: Cur Imperatorem deſererent commilitonum ſaluti anxiè proſpicientem? cur præcipites mortem ab undis hoſtéque accelerarent, ſalvo Duce, integro exercitûs robore emeritámque tot bellis gloriam turpi jam fœdarent everteréntque flagitio? Et Koniecpolius hinc ac inde volitans catervatim ruentes incedentéſque cohibet, retrahit, objurgat, obſequii, famæ admonet, cæteris manum, ni parêre velint, intentat, ac ætate viridi florentíque valentior miſcet ſe tumultuantibus, adeſſe duces nec fugere inclamat, impetúmque fugientium retinere precibus, minis, imperio nititur. Parùm apud obſtinatos valebat ducum auctoritas, & nonnullis quidem pudor, cæteris inexploratum flumen, aliis ſævitia hoſtium reditum perſuaſit, & proprium cuique periculum, quo minùs plures effunderentur, obſtitit. Dedecoris auctores Kalinovius

Zolkievius accurrit videndíque ſui copiam facit.

Koniecpolius fugitivos retrahit.

Kalinovius & Gratianus aquis hausti absorptique. & Gratianus famæ vitæque jacturâ castigati: ille obrutus aquis haustúsque interiit, nullibi reperto cadavere, hujus à Valachis, ut ferunt, trucidati caput, Alexandri ab Osmano destinati successoris oculos ferali spectaculo pavit.

In hoc tumultu calones tentoria diripiunt & incendunt. Atque dum omnia susque déque in castris miscentur, jámque à milite partim tumultuante partim fugiente deseruntur, lixæ, calones alieno pavore securi contubernia invadunt, sarcinas diripiunt, tentoria ducum scrutantur, supellectilem ut prædam spoliáque auferunt, residuo faces injiciunt: fortasse à desperato aliorum reditu insolentiores, vel certè fortuito incendio licentiam suam velaturi.

Conquiescit tumultus & de lixarum insolentiâ conqueruntur Tribuni. Conquievit tandem motus, repetière castra multi inviti, plures nocentes: Zolkievius quidquid noctis residuum fuit, somni expers, timidos erigit, suspicione vanâ suspensos firmat, Koniecpolius securitati munitionum dispositis excubiis providet, & quidquid sincerum Tribunorum militúmque fuit blandiùs compellat, ad obsequium

quium parendíque amorem excitat. Sed ob direpta contubernia cùm propè nudi spoliatíque plerique comparerent, ira dolórque Tribunos ac milites in ultionem accendebat, conquestíque apud Zolkievium nocentes ad pœnam deposcebant. At dux aliàs rigoris severitatísque nimiùm tenax, unicum tunc censebat remedium dissimulare scelus, tempestivâque indulgentiâ effrænem multidinem in officio continere, cujus virtute fortitudinéque in supplementum opus haberet. Nonnullis ducum secretiùs in aurem dixit, cederent jam necessitati, ubi ad Tyræ ripam ventum fuerit, recuperaturos se sua non sine noxiorum pœnâ. Et hæc est illa fatalis vox importunè à quopiam Tribunorum evulgata, qui secreti impatiens in ipso portu horrendi causa fuit naufragii. *Zolkievius dissimulatione utendum censet.*

Non procùl tunc ab exitio aberant Poloni, ni Superi distulissent extremam cladem hostibúsque aliam dedissent mentem, quos confusio procul visa insolitique motûs in doli suspicionem traxêre, attonitíque *Hostis in hoc tumultu Polonorum immotus stat.*

 que

que hæsêre, sibíque metuentes præstolabantur quónam illa tempestas effunderetur. Atque eâ immoti stupentísque hostis usi opportunitate Stephanus Chmielecius, & Joannes Odrzyvolscius flumine feliciter superato, non contemnendam secum velitum manum trahentes, per campestria evasêre. Et super illius quidem viri probroso abitu vehementer Zolkievius indoluit, séque ab eo, cui plurimùm fideret, desertum fuisse in literis questus est. Sed eam ignominiam postea præclarissimis editis facinoribus, tantâque Tartarorum cæde, quantâ à nemine unquam Polonorum ducum patrata esset, delevit, ornatúsque à Sigismundo Palatini Kioviensis honore vixit, cujus viri mentionem alibi facturi sumus.

Chmielecii. *Chmielecius & Ordrzyvolscius evadunt.*

cum 700, alii volunt cum 400 equitibus. 21 Septemb.

Castrorum misera facies.

Detexit tandem lux subsequens nocturnum scelus, numerúmque desertorum, tabernacula ducum lacera, contubernia militum adhuc fumantia, stationes dirutas semiustásque, & universi exercitûs cladem militi lugubrem, ob ídque animo penè concidenti. Indolentem adversæ fortunæ vicibus

vicibus Zolkievium, non virtus in cano pectore viridis, non consilium spectatum in discrimine deseruit. In vallo munitionibúsque calones lixásque ad ostentationem pugnámque disposuit, residua militum agmina hosti arcendo propulsandóque instruxit, quem castra adortum oppugnantémque feliciter repressit, & integro octiduo passim ejus conatûs minimo suorum periculo, partim salubri cum Skinder Bassa tractationum simulatione, injectâq; spe concordiæ elusit. Sed cùm animo provideret magnis se indies suásque copias stringi difficultatibus, præsertim ab annonæ penuriâ invalescente, concidentibus ob inopiam pabuli equis, interim verò auxiliorum nulla è Polonia spes compareret, hostísque patenti circumfusus campo penè obsessos teneret: eapropter milites iis in angustiis jam ducum reverentiores, quippe communi periculo in communem redactos concordiam, in concionem advocat, ferro per confertos hostes viam sibi facere suadet, nec aliter teneri patriam, nisi iis perruptis,

Hostes octiduo Zolkievius reprimit.

Per medios viam sibi aperire decernit.

 posse,

poſſe, ídque unicum ſalutis remedium reſtare ſignificat, primúſque caput ſuum in omnem aleam libens devovet. Probavit miles conſilium ab imperterrito ducis vultu confirmatus animatúſque.

Exercitum è vallo educit carragine cinctum.
29 Septemb.

Igitur 3 Kalendas Octobris inclinante in veſperam die exercitum vallo munitionibuſq; educit, & carraginem propugnaculi loco futuram operâ Martini Kazanovii celebris peritiſſimíque rerum militarium Tribuni inſtruit diſponítque. Inceſſêre vehicula currûſque arctè inter ſe connexis ordinibus in quadrúmque diſpoſitis, latera ſexingentis in longum paſſibus, frons verò tergúmque tormentis utraque communita in latum trecentis, conſtabant. Carraginem antepoſitus ſuis ſub ſignis cingebat miles ex equite jam pedeſter factus, introrſum equi impedimenta & plures à vulneribus invalidi claudebantur, primi agminis Ordo Korecio & Terensbachio commiſſus, medii Kazanovio cura obtigit, Szembergio tormenta & extrema demandata acies.

Obſtu-

Tartari carraginem infeſtant, ſed perrumpit.

Obſtupuêre barbari ad ſubitum incedentium caſtrorum aſpectum, mox Tartari expedito advolantes curſu, euntes infeſtant, ad pugnam laceſſunt, huc & illuc irruunt, vano ubíque conatu: poſtremò partitis copiis pars inſectando agmini remanet, pars prætergreſſi fluvii tranſitum occupant. Et turbati quidem primo impetu fluctuantes Ordines, deinde inter ſe connixi rupêre obſtantes catervas, viámque continuavêre. Ac totâ illâ nocte duobus emenſis milliaribus, luce primâ pridie Kalendas Octobris caſtris conſtitêre. Poſſem ego hîc diurnos nocturnóſque progreſſûs, prælia, loca, itinera minutim referre, ſed ſatiùs exiſtimo reï geſtæ ſeriem in compendium redactam uno velut ſub aſpectu ponere, ita tamen ut quæ maximè memoranda evenêre, lectoris notitiam haud effugiant.

Septem noctibus iter continuatur.

Septenis itaque noctibus continuatum iter directúmque verſùs Mohiloviam, quæ ad Tyram Polonæ jam aſſidet ripæ, vario viarum flexu tanta moles carraginis circumducta eſt, breviorem faciliorémque curſum

præ-

præcidente locorum iniquitate. Magna profectò audebat Imperator militésque; & quod vix credi posset, paulò supra bis mille: transmissæ pedibus lacunæ, labentiúmque rivorum occursûs, superati tumuli, colles, ripæ hostium armis insessæ, expugnatæ, perruptæque. Ibat magnanima legio, hoc enim unicum nomen meretur, si numerum spectes, crebros inter insultûs victrix, fatigabant paludes montésque, at ipsa semper constans enitebatur, se suásque æstimabat vires; accurrebat recens assultabátque hostis, excipiebatur intrepidè, acceptâque resiliebat clade: terrebat inconditis clamoribus, quos saltûs, valles, nemora geminarent repercuteréntque, & nox ipsa horrorem ostentaret, frustra id erat, par ubique viris fortibus constantia fuit, idem itineris cœpti tenor, & irritata virtus egregiam audendi sæpius arripuit occasionem: quippe unâ nocte cùm Tartari magnis densatísque agminibus viam complerent, transitúmque impedirent, per medias illorum stationes collucentésque ignes, ac fœdè sub-

Summo cum labore & inter continuos hostium insultûs.

Per medias Tartarorum stationes evadunt, novis semper occurrentibus difficultatibus.

submota signa perrupit carrago, frementibus barbaris incassúmque extremum agmen carpentibus. Atque ita ibant illi per adversos hostes, at per vias hoste crudeliores, quas ille rabie irâque percitus in excidium exasperaverat, corruptis igne vicis, agris, herbis, subtractóque ad extremùm pabulo: traxêre currûs jumenta per squallidam cinere arentémque terram fatiscentia collabentiáque. Et quamvis tot tantíque urgerent labores, non nisi à fortitudine Herculeóque robore edomandi, constanti nihilominùs gradu prosequebantur nocturnum iter, quod prima cujusque diei adventantis lux sisteret.

Et recens ab itinere præliísque nocturnis fessos, nova cura eóque gravior excipiebat: quippe Skinder Bassam semper lateri incedentem habebant, is captato ubique potiore situ, ne tantillum quietis respiriíque concederet, ortâ luce castris considentes, desperato furore aggrediebatur: ac non tantùm vi, sed ipsâ multitudine ingruentium obruere protereréque nitebatur: at vano

 ubique

ubique impetu, quem præliares illæ animæ fortiter infringerent, ac inter volitantia tela glandiúmque nimbos ſueto tempore hoſte fruſtra inſpectante transferrent caſtra. Nec dolus valuit, quo etiam pugnatum: oſtentatâ namque ſpe pacis Skinder Baſſa Zolkievium compellat, mittíque quempiam poſtulat qui ſecum certis tranſigeret conditionibus: mittit ille haud ignarus hoſtilis aſtûs Chriſtophorum Druzbicium Turcicæ linguæ peritum, ſimulátque tractandi deſiderium, ut aliquâ breviori licèt morâ feſſo militi quietem lucraretur. Interim barbarus detento Druzbicio, novis arceſſitis copiis irruit, caſtra acerrimè diúque recentes feſſis ſubmittendo oppugnat, currûs, Ordines perfringere nititur, ſed pari repreſſus violentiâ, ingentíque acceptâ clade pedem retulit, in tantúmque jam milites aucti animis erant, ut & mox à prælio primâ veſperâ iter ſuum proſequerentur, & ſequenti die tumulum ſtativis ſuis imminentem à numeroſo inſeſſum hoſte, indéque validiùs ſubeuntes inceſ-ſentem,

Skinder Baſſa dolosè ſpem pacis oſtentat, ad quem mittit Zolkievius Druzbicium.

Interea tamen acerrimè caſtra oppugnat irrito conatu.

3 Octobris.

ſentem, ſummâ contentione aggrederentur, ac in clivum enixi inde hoſtem pellerent deturbaréntque, rapto inſuper è ſigniferi Tartari manu ſigno ſummâque in gloriâ reportato.

Ultimum tandem virium 4 Nonas Octobris exſeruit Skinder Baſſa, de victoriâ penè ſecurus, cùm invectam carraginem in immenſam cerneret planitiem, cujus ipſe circumfuſis undique agminibus dominus eſſet: & in excidium noſtrorum conjurabant elementa, terra aquarum egens, & qui haud procul præterfluebat amnis Reut ab hoſtibus cinctus, potum aquationémque prohibentibus, locus ipſe ab incendiis aridus, cinerem pulverémque à ventorum motu in os oculóſque ingerens. Evaſuros quis crederet? cùm Turcæ armis, vento, pulvere, opportunitate loci pugnarent: ſed nec tunc quoque magnanima virtus loco ceſſit, quam adhuc damnare ruinâ fata timebant, ſtetit firmo pede, & quæ morti devota videbatur legio, jam hoſtium telis undique operta, ſummo fervore furoréque

Ultimas vires exſerit Skinder Baſſa.

Evadunt Poloni feliciter.

à fronte, tergo, lateribúſque ſimul impetita, pertulit ardorem ſævitiámque, cecidit ad ſatietatem hoſtem, denique quà manu quà fulminantibus tormentis propè ſubeuntem fugavit, noctéque imminenti promovit iter.

5 & 6 Octob. Jam hoſtis, fracto impetu quem ſupra modum intenderat, remiſſior factus, reliquos dies noctéſque à valida caſtrorum abſtinebat oppugnatione, levibus tantùm præliis aſſultibúſque certatum, nec adeò formidandis, niſi quòd eximerent quietem fatigaréntque euntes. Tandem vix uno milliari remotus aderat Tyras, ſuperatâque brevis loci diſtantiâ immortalium octidui noctiúmque operum, raræ & admirandæ fortitudini impoſitura erat coronam. Mœſtus ſuo cum Galga Tartaro receſſerat Skinder Baſſa, manſerátque cladis à tam parva manu dedecoríſque illati ſollicitus, Cantimirum tamen bellicoſum Tartarorum ducem miſit, injunxítque ut cum ſelecta copiarum parte, quæ, ut alii volunt, quadringentis tantùm equitibus conſtabat, tergis inſtaret euntium inſiſterétque.

Recedit cum Skinder Baſſa Galga, deſperabundi ambo: Cantimirus tantùm inſequitur.

Ade-

Aderat nox inter ſextum & ſeptimum Octobris diem media, atro notanda calculo, cùm ad ſecuritaten negligentiámque verſus miles vicini littoris conſcientiâ, contumaciâ diſcordiâque propitia hactenus fata in ſui perniciem irritavit. Tenebatur ille magnis anguſtiis, maximè ultimo quatriduo tribúſque noctibus, deerant alimenta, fames miſerandis propulſata cibis, at ſuper hæc ſomnus ſitíſque vitari non poterat, cùm alii tædio potûs & vulnerum ſponte inter cadavera procumberent, alii ſomno feſſi cadentéſque nullo ad reſurgendum niſu, quaſi exanimes, linquerentur: quin jam hoc ultimo noviſſimóque veſpere pulvis bellicus deficiebat euntes. Eapropter quantociùs progredi itérque accelerare hortabantur duces Centurionéſque, clamitantes: perferrent pauci adhuc tædii viam, apparere jam vicinum patriæ limen, adeſſe ærumnarum portum, ubi aliquot impenſis horis feliciſſimè conſidérent, triumphaturi pauci de tot hoſtium millibus immortali cum nominis gloriâ. At milites cunctabun-

Poloni ſummis anguſtiis premuntur.

Duces ad perficiendum iter brevius hortantur.

 di

di ſegniùs excipiunt ducum imperia, progredi renuunt, retinent alios impediúntque, demum obnituntur, ſervatis nihilominus hucúſque integre Ordinibus, niſi quòd invitis ductoribus greſſum ſiſterent.

Miles greſſum ſiſtit, calones caſtra turbant & fugiunt.

Id verò conſpicati lixæ quibus hucúſque obſequium virtúſque conſtabat, atque ut à Præfectis jubebantur, in ſtationes vigiliáſque ibant, ſubitò ob direptas olim ad Cetſoram militum ſarcinas timentes, miníſque parùm opportunè ſua recuperaturos obſtrepentium exaſperati, primi ſtationes deſerunt, deinde exuunt imperium, tum ut numero validiores, quod reliquum diripiunt fugiúntque: ſerpſit latiùs ſcelus nullo Tribunorum Centurionúmque reſpectu, ſurdis auribus imperia ingerentium, quas ingens fragor, pavor, conſternatio occluſerat.

Cantimirus ad Caſtrorum tumultum advolat; fit cædes ingens.

Cantimirum ubi caſtrorum tumultum, rapinam, fugam, ſive proximus hoſtium excubitor, ſive transfuga edocuit, promtus è veſtigio, confuſos accitis Valachorum aliis cohortibus aggreditur, & rupta jam diſſolutáque carrago aditum fecerat: fit itaque ingens

ingens cædes, maximè fugientium circa Tyræ ripam, vinctorum major numerus. Et quanquam Præfecti, Centuriones, nonnullíque militum animoſè reſiſterent, primámque exciperent vim, tamen cùm ſinguli adverſùs plures dimicarent, laboribus vulneribúſque confecti in manus hoſtium venêre. Staniſlaüs Koniecpolius & Hermanus Denhoffius diutiſſimè diſtinuêre pugnam, & hic quidem acerrimè dimicans multis confoſſus vulneribus interiit, ille per numeroſas ſæpius erumpens catervas, pugnánſque fortiſſimè à pluribus Valachis circumventus, captivus poſtea Turcis ceſſit.

Zolkievius à ſuis deſertus occumbit.

Zolkievius deſertus à ſuis dolorem altè profeſſus, animo tamen nihil inde remiſſo, totóque illo infortunio major, fugam tunc quoque oderat: & Centurionem equum ſibi offerentem, illum quidem aſperioribus verbis, hunc levi ictu gladii repulit, hoſtium verò vinculis duræque compedi glorioſam præferens mortem, ubi rem perditam videt, advocato Simone Vibiercio Societatis Jeſu ſibi perquam familiari Theologo, & ad extre-

tremùm comiti, apud quem ultimò animæ noxas earum pœnitens expiaret, verſo in hoſtem vultu in conferta ſeſe injecit agmina, ibi aliquot acceptis vulneribus, præciſâque exiguâ cuti adhærente dexterâ, ignoratus quis eſſet occubuit. Capti è primoribus Joannes & Lucas Zolkievius filius & Nepos Imperatoris, Samuël Corecius, Nicolaüs Struſus, Halicienſis, Alexander Balabanus Vinnicenſis Præfecti, Nicolaüs Potocius, Volodimirus Ferensbachius, Martinus Kazanovius, Malinſcius Strzyzovius.

Primæ Notæ viri captivi.

Hæc eſt illa clades Poloniæ memoranda, quam non hoſtium vis, non locorum iniquitas, non dira fames, non perpeſſæ ſuperatæque intulerunt ærumnæ: diſcordia eſt quæ rem perdidit. Egregiæ animæ, fortitudinis miracula, quanta Vos domi, quanta apud Orbem Chriſtianum manebat gloria, ſi ſuperſtites patrium attigiſſetis limen, & nunc quidem ſera poſteritas invictam animi magnitudinem robúrque veſtrum extollet mirabitúrque: cæterùm, utinam diſcat Polonia ſæpe malè concors, à ſola concordia

Diſcordiâ cladem accelerarunt.

dia ſui ſtabilitatem pendêre Imperii, non illi hoſtium acies, velut apum examina pullulantes, metuendæ ſunt, quàm unica diſſenſio certa libertatis dominiíque ruina.

Conſperſos cruore campos, ſpolia ſtragémque & quidquid in tenebris patratum erat ſol oriens retexit, jacuit inter cæſorum cadavera Zolkievius, repertus ab hoſte indicio unius captivi, præciſum mox caput delatúmque ad Skinder Baſſam, præfixum palo ferreo, ante tentorium ipſius totâ illâ die ſpectaculo fuit: hinc Conſtantinopolim tranſmiſſum, Urbíſque maximæ & populoſiſſimæ ora in ſe oculóſque convertit.

Zolkievius inter cadavera repertus, caput ejus palo infixum.

Miſſum deinde Conſtantinopolim.

Is tandem finis erat viri, ſi cujuſpiam, Imperatoriis artibus eminentiſſimi. Nobilitas generis perantiqua, pater Staniſlaüs Zolkievius Ruſſiæ Palatinus togâ ſagóque inſignis. Juvenem ab egregiis animi dotibus commendatum primùm Joannes Zamoiſcius ſanguinis nexu devinctus fovit rexítque, deinde Stephanus Rex viſâ pulcherrimâ indole ſpectatâque virtute impenſiùs adamavit, conſiliíque maturitatem eâ in ætate

Elogium Zolkievii.

Stephani Regis de eo judicium. ætate in tantum ſuſpexit, ut inter quatuor eſſe voluerit, qui tantummodò conſcii fuêre ſecretioris contra Turcas moliminis, bellique apparandi, promovente negotium Sixto V Pontifice Maximo, cúmque Rege per Legatos conferente. Namque non ab uſu tantùm, ſed à continua Hiſtoriarum *Hiſtoriarum erat peritus.* veterum recentiúmque lectione inſtructiſſimus facilè expediebat conſilia, tantâ cum memoriâ rerum à ſe lectarum, ut loca auctorum, ſi à quopiam minùs fideliter citarentur, ipſe è veſtigio ordinatè promeret, integris quandoque paginis ad ſtuporem audientium recitatis. Confecit quoque, etſi prælo non commiſerit, belli Moſchovitici ſub Sigiſmundo Rege geſti Commentarium, linguâ vernaculâ, ſtylo quidem militari, at qui rem geſtam non minùs verè quàm prudenter explicaret, ac inter tot curas negotiáque publica, pulcherrimum ſæpius à literis petiit avocamentum. Jam verò per omnes militiæ contendens gradûs, tantam ſibi gloriam pepererat, ut Zamoïſcius in adminiſtratione bellorum vicariâ ipſius

ipſius potiſſimùm uteretur operâ, commendatum deinde ſpectatúmque Rex Stephanus Magiſtrum Equitum, ſeu, ut vocant, Generalem campeſtrem renuntiaret. Unde Potociorum indignatio crevit à fruſtratione ejus ſpeï, cauſámque perpetuæ & exitiabili æmulationi dedit, tractis in partes Struſſio, Korecio, Kalinovio, cæteríſque Potocianæ Domui aut ſanguine, aut familiaritate, aut clientelæ junctis. Et quia Zolkievius diu apud Sigiſmundum plus æſtimationis quàm benevolentiæ habuit, illíque gratiâ præibant, tantò validior æmulantium impetus videbatur. ſed apud virum talium contemtorem, militaríque libertate ac imperio fretum, præfidentémque, irritus fuit. Jam verò gratiæ Regiæ ſecurior, quam tandem ſummâ conſtantíque in illum ſemper fide promeruerat, & cujus cauſam non minùs domi quàm bello fortiter propugnaverat, poſt delatam ſibi ſupremam armorum Præfecturam Magni Cancellarii honore, atque ex hoc majoribus inimicitiis auctus eſt. Namque à repulſa

Zamoïſcius ejus operâ utitur in adminiſtrandis bellis.

Rex Magiſtrum Equitum creat cum invidia cæterorum.

Sigiſmundus Rex primùm non adeo illi favet.

deinde æstimat & supremam armorum Præfecturam & Cancellarii munus defert.

tanti Magistratûs, cujus se Candidatos professi fuerant Georgius & Christophorus duces Zbarascii exasperati, prout jam retulimus, veteres simultates in aperta odia effudêre, acta illius cum hoste, transactiones, résque omnes gestas carpendo sugillandóque, imminuebant ei Civium favorem, apud quem populari tunc eloquentiâ valebant, tanquam primarii boni causæque publicæ Patroni. At ille par tantæ invidiæ, mirâ æquabilitate animíque altitudine, omnes retundebat insultûs, maximè Zbarasciorum superbè contemtor despiciénsq;.

Zbarasciorum cum illo simultates.

Bella felicissimè administravit. Cæsi ad Bycinam a Zamoiscio captíque Maximiliani Archi-Ducis magna pars Zolkievii fortitudini debebatur, ubi pertinacissimè pugnans saucius ex acie excessit. Cosacos rebelles cum suo Nalevaikone armis domuit, de Tartaris victorias reportavit: ab eodem Sueci & Estones apud Revaliam duce Reinholdo Arnep Comitis Nassovii Vicario profligati deletíque, ac Reinholdo interemto, castris tormentis omníque bellico appa-

Ad Bycinam strenuè se gerit.

Cosacos, Suecos vincit.

apparatu exuti. Ejus ductu subjugata Moschorum Monarchia, Ducésque in triumphum Sigismundo dati. Pax cum Turcis sæpius à Cosacorum incursionibus turbata, æquis pactionibus ab ipsius prudentiâ restituta, cunctandóque potiùs, quàm manûs conserendo hostis submotus. Ad extremùm vir magnus, priscis Imperatoribus militari scientiâ conferendus, blandientium fraudibus intractabilis, disciplinæ tenax, publicam salutem privatis anteferens rationibus, per scelus à suis desertus, tribus annis septuagenario major interiit. Conquisitum agnitúmque corporis truncum, excepit mœrens Herburtea Zolkievii uxor, tum quæsito redemtóque Constantinopoli capite, in templo urbéque, quam vivens cognomini suo condidit, honorificæ sepulturæ tradidit.

Moschoviam subjugat.

Tumulatur in oppido Zolkieviu.

At verò Poloniam diu latuit suorum infortunium, multis de rerum exitu variè differentibus. Ex quo etenim Zolkievius Valachiam intraverat, pauciores hinc & inde Nuntii commeabant, Tartaris & Vala-

 chis

chis infeſta reddentibus itinera, ultimáſque Rex ìdque tardiùs acceperat literas, turpem Kalinovii ejúſque ſequacium fugam, tum & univerſi exercitûs Panicum terrorem nuntiantes. Ab hinc ſilentium erat: malè inde præſagientibus animis, gravioráque metuentibus. Atque ii, quos flagitium inde extulerat, obſeſſos premi, commeatu deſtitui, deſperato penitus meliore ſucceſſu vulgabant. Sed rupto ſilentio audita clades deploratáque, cujus atroces nuntii Tartari huc atque illuc arma circumferentes, Ruſſiam victoriæ licentiâ populabantur percurrebántque, tum cædibus, rapinis, incendiis per omnia terrorem inferebant. Et inſolentiam rapientium vaſtantiúmque ultra Leopolim Ruſſiæ primariam urbem promovit impunitas, quod ad arcendam vim nihil proviſum paratúmque fuiſſet.

Turca bellum indicit.

Per tot funeſtas clades atrox Regno inflictum vulnus erat, præſertim verò à Cetſoriana victoria Turca vanâ ſpe tumidus, gentes, populos, omnéſque vaſtiſſimi ſui Im-

Imperii incolas paſſim ad arma convocabat. Bellum potentiſſimi excepturus hoſtis Sigiſmundus Rex Comitia ad 3 Nonis Novembris indicit, peragítque. Sexaginta millium exercitus ſufficere viſus, præter Coſacos Zaporovienſes, quorum quadraginta millia cenſeri poterant: ſtipendiis bellíque neceſſitatibus ab imperato collectóque haud modico ære ſatìs proviſum, auctâ ſummâ ab egregiâ liberalitate Eccleſiaſtici Ordinis, qui à Laurentio Gembicio Archi-Epiſcopo Gneſnenſi Regni Primate Petricoviæ convocatus, erga patriam non ſolùm pius, ſed & munificus fuit. Conquiſita quoque apud exteros Principes auxilia opéſque: miſſi Legati, qui totius Chiſtianitatis propugnaculum ſummo barbarorum conatu peti edocerent, ac de communi admonerent periculo. Romam ad Gregorium XV Pontif: Maxim: ivit Achacius Grochovius Præpoſitus Lancicienſis, ad Romanorum Imperatorem Ferdinandum Secundum Maximilianus Przeremſcius Caſtellanus Siradienſis: ad Jacobum Angliæ

Rex Comitia peregit, in quibus de modo belli gerendi, & pecuniâ ſtatuitur.

Ad Principes exteros miſſi Legati pro ſubſidiis.

Qui deinde Epiſcopus Luceorienſis fuit.

Ossolinius Regni Cancellarius mittitur.

gliæ Regem Georgius Ossolinius Palatinides Sendomiriensis: ad Archi-Ducem Albertum & Isabellam Belgii Principes, tum & Fœderatarum Provinciarum Ordines, ac nonnullos Electores Imperii Petrus Zeronscius Regi à secretis. Et Pontifex quidem Max: certam in singulos menses pecuniæ summam, quoad bellum cum Turcis duraret, paternè promisit, daturus majorem, nisi Cæsaris cum Hæreticis & rebellibus continua bella Ecclesiæ fiscum exhaurirent. Sed ea liberalitas intra verborum tantùm terminos stetit: quippe ministris tardè voluntatem Optimi Pontificis exsequentibus, pax interim sancita contribuendi necessitatem stitit. A magnæ Britanniæ Rege & affectum prolixámque voluntatem, & subsidia Legatus retulit: quæ jam sequebantur, sed à tanto terrarum marísque divortio tarda, extra usum erant. Albertum Archi-Ducem cum extremo luctantem fato Zeronscius reperit: is cùm nec ære nec milite juvare posset exspirantibus tunc cum Batavis induciis, armandis ali-

Culinæ Regiæ Præfectus & Bidgostiensis Capitaneüs.

Legati quid effecerint.

aliquot militum millibus, loricas, galeas sclopos transmisit. Cæteri Principes partim antiqua cum Turcis fœdera, partim necessitates proprias, motûs domesticos, inopiam ærarii in excusationem adduxêre. Erant qui censerent Regem Galliæ singulari Legatione in subsidium vocandum, præsertim in eâ Francorum nominis apud Turcas totúmque Orientem reverentiâ, proindéque per ejus Principis Inter-Nuncios clàm in aula Othomana barbarorum aspera consilia emollienda, aut aliò detorquenda suadebant. Trahebatur in exemplum Sigismundi Primi ad Franciscum 1646.
Galliarum Regem perhonorifica Legatio, qui misso Jacobovio petiit, ut Isabellam Hungariæ Reginam Turcarum Imperatori commendaret, illiúsque causam veluti Othomanis fœderatus Princeps promoveret. Sed Rex quanquam potentissimi Monarchæ amicitiam haud postponeret, adduci tamen non potuit ad impensiùs colendam, nimiùm in Austriacos pronus, eorúmque commodis ultra modum studens: literas

 tan-

Ad Regem Galliæ mittitur Milacevius.

Catholique d'Estat par le Sieur du Ferrier. 1625.

tantummodò dedit per Milacevium Nobilem aulicum à secretis perferendas. Nimis tamen jactanter ac falsò asserentem redarguerim non neminem Gallum, qui in suo Catholico status patriâ linguâ conscripto, ubi Christianissimi Regis cum Turcis, hæreticis, barbarisque nationibus defendit fœdera, sat præfidenter scribit: Galliæ Regem salutis Polonorum studiosissimum, vehementer apud Osmanum intercessisse, ne arma illis inferret, cùm nec de patrocinio Regis tum nobis constiterit, & omnem belli molem impetúmque soli exterorum auxiliorum expertes sustinuerimus

Dux ejus belli destinatur Carolus Chodkievicius.

Post imperatos delectûs, provisa stipendia, ultima de duce belli quæstio fuit, quisnam absumto recenti bello Zolkievio surrogaretur: omnium suffragio prælatus Joannes Carolus Chodkievicius Palatinus Vilnensis, & per Lithvaniam Generalis exercituum Præfectus, vir magnus prosperâ ubique fortunâ, victoriis clarissimus, à natura & armorum tractatione asper, summus Imperator, & qui ab adolescentia ultra sexagesi-

gesimum annum continenti militiâ, & felicitatem & gloriam extenderat. Vicarium Generalem quem diceret Rex non nihil dubius hæsit: namque ad hanc solam expeditionem id officium conferre volebat, præsertim superstite adhuc, licèt captivo, Stanislao Koniecpolio, qui eum honorem beneficio Regio obtinuerat; & ne ad alium quempiam perpetuò transferretur, summè invigilabat Gasparus Denhoffius Principi carus gratúsque, Koniecpolii affinis, & per hoc claritudinem in Polonia ab illustri domo adeptus. Stanislaum itaque Lubomirscium Pocillatorem Regni Magistrum Equitum Generalem interea Rex renuntiavit, cujus soror Koniecpolio nupta erat. Nec ingratum militi Lubomirscii nomen fuit, pluribus pro Repub. expeditionibus perfuncti probatique: deinde opibus relictis à patre Castellano Voinicensi, quas ille suâ industriâ artisque Oeconomicæ peritiâ ultra equestrem censum auxerat, ipse verò cum illustri conjugio non minoribus acquisitis, plerosque optimè de Repub. meritos

Magister Generalis Equitum Stanislaus Lubomirscius.

 ritos

Ducissa Ostrogiæ ejus Uxor. ritos sibi devinxerat, favorémque comparaverat civium. Namque nulla in toto Regno sedes hospitalior, ad quam frequentiùs sive advenientes exteri Legatíque Principum, sive domestici Proceres aut Nobiles exciperentur magnificentiùs, quàm Lubomirscii domus.

Designantur Commissarii. Additi ducibus designatíque Delegati vulgò Commissarii dicti, penès quos conditiones pacis, tum & sanciendorum fœderum bellíque arbitrium esset. Et quandoquidem par iis potestas è secretiori concessa mandato erat, quæ olim in Moschoviticis bellis, cujus superiùs meminimus, proinde referre supersedeo. Eorum tamen nomina cognomináque jam recenseo. Nicolaüs Sieniavius Structor mensæ Regiæ, Matthæus Lesniovius regundorum finium in Palatinatu Belzensi Præses, Michaël Comes in Tarnojo, Paulus & Joannes Dzialynii; ille Bratianensis, hic Pokriviensis Præfecti, Jacobus Sobiescius, Nicolaüs Kosakovius, omnes ut consilio, ita & manu promti, Ordinúmque ductores. lib. 7.

Ve-

Vladislaüs Princeps universo bello præficitur. Verùm penès quem supra duces prima in ea expeditione esset auctoritas Regiámque secum ferret Majestatem, Vladislaüs Princeps omnium ore celebrabatur. *Cur enim, inquiebant, & contra Othomanos non eandem duceret fortunam, quæ bellanti in Moschovia felicitérque tyrocinium deponenti præsto semper fuisset? Notus jam ille legionibus, militibus apprime carus, quos in sui amorem mirâ comitate affabilitatéque pellexerat, animósque dextre tractare noverat: ideóque non detrectaturos tanto duce pericula, fidentiúsque ab eis obsequium exspectari exigíque posse, si unicum patris & Reipub. pignus sibi suæque integritati concreditum, in castris haberent venerarentúrque. Nec aliud æmulantium ducum ambitioni (quæ maxima bellorum frequénsque pestis) validiorem poni posse obicem, quàm à Vladislaï præsentiâ: memorantibus plerisque ab ægre parentibus Lithvano duci Polonis in Moschovia clades acceptas: jam verò sub Imperio optimi carissimique Principis, utramque gentem etsi in pace honoribus, in bello officiis separatam distinctámque, animis, obsequio facillimè coalituram, cui ille parem affectum benevolentiámque impenderet. Spectaret insuper Orbis duos juvenes florentissimos, an-*

 nis

Vladislaüm & Osmanum. *nis ætatéque propè pares in arenam descendentes: illum quidem Europæ, Asiæ, Africæ viribus tumidum regna vastiore animo spéque devorantem, hunc causâ potiore fretum: quippe pro gloria Crucis próque universa Christianitate Deo Exercituum supplicem fidentémque caput suum devoventem.* Et hoc unicum Vladislaï desiderium, parem suo animo deposcentis hostem, explevit Regis Ordinúmque consensus, commissâ tanti belli curâ summo cum omnium applausu faustóque omine, censentium videlicet, à fatali Turcis nomine vires fastúmque barbarorum contundendum.

Vladislaüs Jagello Turcarum terror.

Novum & inauditum Parricidæ facinus. Sed dum Varsoviæ consulitur, novum ecce horrendúmque facinus universam afflixit Poloniam, & quia hactenus inauditum, tantò majori cum dolore mœstitiâque totius Regni exceptum. Sigismundus Primus Rex, cùm cæteri Principes opes, vires, Regnorum amplitudinem jactarent, se vel eo solo felicissimum potentissimúmque præ aliis judicabat, quòd in cujusvis subditi sinu tutò caput reclinare posset. Tanti Regis judicium primus temerare ausus est, eámque obscu-

obscurare gloriam scelestus parricida Piekarscius, dum in ejus abnepotem impiam tollit manum. Æternam ille genti dedecoris notam inussisset, ni rationis expers, bellua potiùs, quàm homo, deinde absque complice socióque scelus attentasset. Intrabat Rex ex more templum XVII Kalendas Decembris, qui dies Dominicus erat, 15 Novemb. cùm à foribus, quas retro latuerat, prosiliens sicarius, clavam rostratam mucrone prominenti in caput prætereuntis attollit opportuno flagitio, cùm illi qui præirent gressui continuando attenderent, & Vladislaum Principem sequentem, versóque vultu colloquentem sustinentémque turbam, portâ ad limen parùm adductâ moraretur: jámque semel & iterum impegit, *Rex vulneratur.* sed ictum fallente manu primò inter scapulas leve inflixit vulnus, deinde sinistræ genæ cutem abrasit. Concidente in terram Rege prostratóque, fit in templo fragor, cæteris aut metu dilapsis, aut tardiùs accurrentibus: Vladislaüs primus in parricidam stringit acinacem, persequitur, assecutúsque

que levi tantùm perſtringit vulnere, multorum intentantium gladios ſtitit inhibuítque, quò ſuſpecti latiùs ſceleris reüs judicio ſervaretur. Jacentem interea provolutúmque Regem hærentibus cunctis, periculi aut ſuſpicionis metum Joannes Kalinſcius Nobilis Aulicus Martini Szyſcovii Epiſcopi Cracovienſis elevat, accurrunt demum cum Vladiſlao Primores, deducúntque ad palatium.

Kalinſcius provolutum ſublevat.

Rumor interea ambiguus Urbem ſub tempus Comitiorum populo frequentiſſimam pervaſerat, inde tumultus ortus ignaris omnibus quid contigiſſet: audiebatúrque clamor ubique diverſa cogitantium, incerta reſpondentium, pleriſque Tartaros irrupiſſe Urbémque tenere aſſerentibus. Occaſionem dederat ſparſi de hoſte rumoris, non intellectum verbum Itali Cantoris ex Odeo templi inclamantis: is etenim conſpicatus Regem à ſicario peti, Italica linguâ *traditore*, *traditore*, ingeminat, dein ſubſecuto fragore, ſtrepitu, pluriúmque è templo ſeſe ejicientium tumultu, quibus nihil de

Tumultus Varſoviæ.

de Rege conſtiterat, res namque in aditu acta obſervari ab omnibus exactè non poterat, verbum Italicum *traditore* in Tartarorum ſubitò commutatum evulgatúmque, donec tandem Regem à parricida appetitum vulneratúmq; conſtitit. Et tantò graviore concitati motu, univerſi ad palatium advolant, alii de Regia ſalute ſoliciti, plerique deſperantes, donec ab aſpectu Regis conquievêre, qui abſterſo cruore curatóq; vulnere videndum ſe præbuerat. Patuêre è veſtigio templa grates Deo referentibus, ac pro incolumitate Principis à ſacro Ordine decretæ indictæque ſupplicationes. Admotus ſceleratus proditor quæſtionibus, déque ſociis complicibúſque conjurationis exquiſitus, cùm nec tormenta, nec ignes, nec laſſi per experimenta pœnarum carnificis manus quidpiam exprimeret, & mera tantùm deliria motæ mentis bellua narraret, publico judicio damnatus ſupplicióque afficiendus traditus eſt: quo in deſcribendo lectorem nihil moror, tale meruit pertulítque, quale olim in Gallia ſimile monſtrum Henrici Quarti Regis ne-

Parricida quæſtionibus admovetur, ultimò ſupplicio afficitur. Ravalliacus.

 farius

ſarius parricida. Præmium ſublevanti Regem Kalinſcio à Regina torques aureùs, à Senatu bona percuſſoris data. Nec ille è cognatis ipſius à graviori pœna immunis eſſe debuerat, qui temerariè, inſanum mentéque penitus motum ad eadem Comitia duxerat, Regis illi optimi profuit clementia, caſum ſummâ æquanimitate ferentis. Infortunium hoc aſtra portendere Regi prævideral Patavii in Italia tunc degens Johannes Broſcius inſignis Cracovienſis Academiæ Mathematicus, datíſque literis pro ſuâ, quâ ſubditùm decuit, reverentiâ, ſupplex obteſtatus eſt: caveret nefaſtum diem, & à publico abſtineret. Rex quidem tardiùs latoris incuriâ accepit literas, collaudavítque fidem præmonentis, palàm tamen profeſſus eſt, obtemperaturum ſe haud fuiſſe, licèt opportuniùs Broſcii inſpexiſſet epiſtolam. Sed ut Genethliacorum perſæpe mentientium reſponſis ſuperſtitioſe credulum Principem eſſe non decet, non ideo tamen contemnenda aliquando aſtrorum vaticinia, præſertim ſi ante eventum promantur, ſeque

Broſcius ex aſtris infortunium Regis prævidit monuitq́.

ſéque planè ingerant minùs talium curioſis.

Hactenus Polonia ſuæ defenſioni intenta ad ſiſtendas barbarorum vires ſedula, conquirebat apparatûs. Et jam augebat fama quotidie Oſmani validas ſui Imperii cogentis copias, quibus ferox juvenis prædam univerſum oſtendebat Regnum, hæc verò ſuis penè inſerebat titulis. Tumidæ ſpeï plauſum faciebant libidinum miniſtri aſſentatoréſque, protervo Principis cohærentes ingenio, aliter ſentientibus iis, qui ab uſu rerum & prudentiâ inſtructi, maturiori eminebant conſilio. Contemta Sacrorum Præſidis expeditionem diſſuadentis vocéque acerbâ temerata auctoritas, ſpreta ariolorum infauſta præſagientium ſuperſtitio, haud detinuêre furentem caræ pellicis triſtia viſíque ipſius cruore manantis enarrata ſomnia, denique tantus erat ardor concupiti ſemel belli, ut & Muſtapham Virum principem liberiùs præpoſteros arguentem conatûs, impatiens cultri ictu invaſerit læſeritque, & morte cæteris exitióque ſilentium impoſuerit. Solus Skinder Baſſa Oſmanum

Oſmanus bellum ſpirat, aſſentatores impellunt.

Prudentiores diſſuadent ſuo pene exitio.

num belli appetentem cauto consilio detinere volebat: quippe pluribus expertus prælijs, maximè verò novissimo, Polonorum virtutem, licèt in exiguo bellatorum numero, infractam invictámque, proinde devitabat arenam, in qua sibi cum universis Regni viribus decertandum foret. Mors ejus maturavit omnia, námque in reditu post Zolkievii exercitûsque cladem, ortâ altercatione de remittendis captivis Constantinopoli à Dialet Gereo Galga Tartarorum duce interfectus est, cùm ille omnes sibi deberi contenderet, hic è contrario suos esse assereret, veluti à Tartaris absque Turcarum auxilio obtentæ victoriæ additamentum: captivos certè plures Galga retinuit, à Turcis quatuor tantùm insignes ducti: Stanislaüs Koniecpolius, Lucas Zolkievius, Volodimirus, Ferensbachius, & Samuel Korecius, cæteri, quorum nomina superiùs recensuimus, Tartaricos pertulêre compedes.

Skinder Bassæ auctoritas aliquid effecisset.

Sed occiditur à Tartarorum duce.

Sublatis itaque iis qui aut tutiora suasuri erant, aut liberiùs suasissent, properabat in exitium Poloniæ Osmanus, & antequam bellum explicaret, eam aggreditur arte, mercede, & dolo. Missi occulti per Russiam Nuntii Cosacorum pertentantes animos, allicientésque ad defectionem, quà præmiis propositis, quà amplâ libertatis pollicitatione, delectíque Græci ad suadendam perfidiam, motûsque inter populares ciendos, eò habiliores, quòd eorum ritibus universa Russia imbuta, quodcunque servitium pati mallet, quàm minimam sui Schismatis jacturam. Comparuêre pretio Turcico emti proditores, qui flammas per nobiliora oppida civitatésque spargerent. Et Cracoviæ visum horrendum flagitium: sparsa videlicet per publicum, pérque latebras humanorum corporum membra in partes secta, nusquam comparentibus capitibus, discerptorum tantùm cadaverum informes reliquiæ, passímque creditum, Regnum à Turcis veneficiis devotionibúsque peti. Nec minore hæc vulgi visa metu evulgatáque, quem insuper auxêre prodigia: apparentes videlicet per Cœlum illustri nocte igneæ

Osmanus Cosacos ad defectionem sollicitat.

Proditores immittit.

Varia apparent prodigia. *1621.* igneæ ſeſe mutuò collidentes columnæ, quatefactæ motu terræ Urbes Ruſſiæ, quo etiam maximè intremuit Valachia, ſol ſub meridiem magnâ ſui parte deficiens, Viſtula immodicis auctus undis, ripas indignatus per lata camporum magnâ cum ædium, pecorum, ſilvarum, hominum ſtrage, diffuſas vehens aquas terráſque inundans. Et talia complura, quoniam è multis narrabantur locis, animos horrore formidinéque compleverant.

Atque cùm tanta belli inſtaret moles, Chodkievicius antequam reliquæ confluerent copiæ, primas Lubomirſcio demandarat excubias, qui aſſumtis propriis cohortibus, & promtiſſimis Centurionibus accitis, ultimis diebus Maji caſtra ad Scalam Podoliæ oppidum poſuit: loci commoditate uſus, quem & Zbrutius amnis præterfluens, & inacceſſæ rupes, unde & nomen accepit, munitum redderent. Eâ in ſtatione Lubomirſcius quidquid à vigilanti duce exſpectari poterat, egregiè perfecit. Namque exploratis Tyræ undis, adjacentes ripas fir-

Lubomirſcius prima Caſtra ad Scalam ponit.

firmis inſedit præſidiis munivítque, ſive trajicienti militi, ſive pontem injicienti ſecuritatem præbiturus, hoſtibus arcendis ubique intentus, quorum in terras crebris diſcurſibus, & conſilia conatûſque explorabat, & commeatum rémque cibariam per pabulatores futuro providebat comparabátque bello. Et patuit poſtmodùm quantum Lubomirſcii induſtriæ univerſa ad Chotinum deberent caſtra! quippe ab eo alimentorum invectâ procuratâque copiâ, longiore tempore depulſa prohibitáque fuit fames, quam Turcæ undique obſidentes infeſtantéſque itinera inducebant. Dum itaque pervigil dux primas belli curas ordinat, cæteráſque copias, ut ſe quàm primùm caſtris inferrent, exemplo ſuo allicit, venerat Baptiſta Vevellius origine Italus, natalibus Cretenſis, ingenium, mores fallaces ad patrii ſoli accommodatum ferens proverbium, Græcis ritibus in Valachia ſervitióque imbutus, fideliſſimúmque Turcarum erat mancipium. Attulerat ille ab Alexandro Valachiæ & Uzain Baſſa (ſunt qui Capudzi

Lubomirſcius commeatum Exercitui parat.

Vevellius ad Lubomirſcium ab Uſaimo venit.

pudzi Baſſam ſcribunt) literas, quibus pacem ſuadebant, invitabántque ad concordiam ſuâ operâ, ſi Poloni non abnuerent, reſarciendam inſtaurandámque. Sed Cretiſantem Cretenſem deprehendit Lubomirſcius, qui ſub perſona Legati exploratorem ageret, proindéque lautè nihilominùs habitum in vicino rure audivit tenuítque ad ſupremi ducis Chodkievicii adventum, ſub ſpecie honoris arctiori circumſeptum cuſtodiâ. Iniquè ferebant & Alexander & Uſaimus tardiorem Vevellii reditum, déque illius adventu deſperabundi Tartaros in Poloniam immiſerant, à quibus ſubitò per agros effuſis flammâ ferróque omnia vaſtantibus, ſenſêre Ruſſiæ terræ haud modicam calamitatem, non impune tamen: namque è mandato Lubomirſcii Simon Kopicinſcius vir fortis ſtrenuúſque Centurio cum ſelectiorum equitum globo onuſtos ſpoliis ſecuriúſque regredientes, aſſecutus, repreſſit, excuſſâque prædâ ingenti affecit clade.

Exploratoris perſonam non Nuntii gerere deprehenditur, & detinetur.

Kopicinſcius Tartaros cadit.

Et eo ipſo penè tempore Vladiſlaüs Princeps ſeſe accingebat itineri, convocabátque legiones, quibus ſuæ profectionis diem indixerat. Sed antequam Varſoviâ moveret, templum adiit ſupremum veneraturus Numen, póſtque Solenne ſacrum à Franciſco Diotalevio Apoſtolicæ ſedis Nuntio peractum, ad aram ſupplex acceſſit, ubi Nuntius Regio juveni ab Exercituum Deo conceptis verbis opem imploravit, vexillúmque ſacratum tradidit. Magna ſpes victoriæ omnibus ſubitò affulſit, cùm vultum Principis conſtantem, alacrem, lætúmque ſpectarent: at magis Prætoriæ cohortis explicatum vexillum, inſolitam opis Divinæ fiduciam augebat. Namque ad triumphalem Domini crucem è pectore Aquilæ prominentem, juſſerat hæc verba inſcribi: PRO GLORIA CRUCIS. Et quomodo de victoria deſperaret, qui crucis munimine tutus invictúſque eſſet, ac pro cujus gloriâ tanto cum fervore certamini ſe ſuúmque offerret caput.

Vladiſlaüs itineri ſe accingit.

Sacratum Vexillum accipit.

ejus inſcriptio.

Tendentem Leopolim verſùs Vladiſlaüm ſequebantur legiones ſelecto milite

Zzzz armíſ-

Quæ copia & quibus ductoribus secutæ sunt Vladislaüm.

armísque præstantes, quibus præfuêre Tribuni bellicis operibus spectatissimi. Pedites Germanos atque equites duxêre Joannes Weiher Palatinus Culmensis, tum Ernestus & Gerardus Denhoffii. Hungari Nicolao Kochanovio, Almadi, & Bartoso. vio parebant. Aderant hastatorum militum turmæ ductoribus Stanislao Nimira Podlachiæ & Constantino Plichta Sochacoviæ Castellanis, nec non Pauli Wolucii Episcopi Vladislaviensis privatâ impensâ submissæ duæ Centuriæ, equitum hastatorum una, peditum altera, quibus Philippum Fratrem Castellanum Ravensem præfecerat: æternum optimi Præsulis erga patriam pietatis monumentum. Par animus amórque boni publici ac Principis in Alexandro Duce Radzivilio enituit, à quo proprio ære scripta adjunctáque Vladislaï copiis tria peditum vexilla, & una velitum turma, præter eas, quas Gnievosius, Zborovius, Dzierzek, publicâ pecuniâ auctoratas ducebant. Prætoriam Vladislaï cohortem veteranus implebat miles, qui non splendore

Paulus Wolucius Episcopus Cuiaviensis privato ære conscribit militem.

Et Alexander Dux Radzivilius.

re tantùm natalium, armorum elegantiâ, sed probatâ etiam exercitatâque in pluribus bellis fortitudine emineret: cui accesserant Procerum Nobilium filii honorarii bellatores, numeroso cum comitatu, officium studiúmque erga Principem, & maturam armis juventam ferentes: Constantinus Dux Visniovecius, Adamus Prziemscius, Andreas Firleii Casimiriensis, Paulus Dzialiinius Bratyanensis Præfecti, Stephanus Koniecpolius, Sigismundus Tarlo, Thomas Sobiescius. Atque hunc nobilissimum lectissimúmque equitatum regendum commiserat Martino Kazanovio, longâ armorum tractatione percelebri Tribuno, cujus viri jam sæpius mentionem fecimus: is nuper à Zolkievii exercitûsque clade superstes, ab hoste non agnitus, ejúsque mirâ vultûs confidentiâ ac simulatione deceptus, septem tantummodo diebus captivus, liber pro gregrario milite redemtus evaserat. Nec postmodum hominis bellicosi magnanima virtus præmio caruit, namque à Sigismundo Rege Castellani Haliciensis honorem

Honorarii bellatores qui.

Prætoriano militi præest Martinus Kazanovius.

rem accepit, à Vladiſlao verò jam Rege, & Podoliæ Palatinus & Magiſter Generalis equitum renuntiatus fuit.

Chodkievicius Lubomirſcio ſe conjungit.

Jam ſuis cum copiis præceſſerat Vladiſlaüm Chodkievicius, aſſecutúſque Lubomirſcium ad pagum Rzepnice eïdem ſe conjunxerat. Haud feſtinati adventûs ſunt qui ex ingenio magis conjecturíſque, quàm ex ipſâ reï veritate depromunt rationes: certè non alia moræ cauſa fuit, quàm negligentia coëuntium militum: vitio gentis noſtræ, cui lentos delectûs habere, lentiùs ac non niſi divexatis priùs debellatíſque intra viſcera patriæ colonis, ad caſtra progredi uſitatum, effluente interim rerum gerendarum occaſione, ſummo cùm Reïpub. incommodo gravíque jacturâ. Detentus ad adventum Chodkievicii Vevellius arceſſitur, comitérque ab Imperatore acceptus, eo cum reſponſo dimittitur: Sciret Alexander, Uſaimúſque ſe ut ad arma promtum, ita nec à pace honeſtâ & æquâ alienum eſſe. Additus Vevellio Szembergius vir ſagaci expeditóque ingenio, ac barbarorum moris

Vevellius cum reſponſo dimittitur, Szembergius illi additur.

ris haud ignarus, qui ad Vezirium Chodkievicii ferret literas ad pacem invitatorias, & publico quidem nomine ageret Legatum, cæterùm clàm vires, animos, conſilia hoſtium inſpiceret referrétque.

Chodkievicius exercitum luſtrat & in legiones diſtribuit.

Exercitum deinde Chodkievicius luſtravit ac in phalanges partitum diſtributúmque, præter eas quæ ipſius ac Lubomirſcii eſſent, ſingulis ſuos præfecit nominavítque ductores, videlicet: Boratinium Præfectum Lipnicenſem, Leſniovium Belzenſem Succamerarium, Zienievicium Caſtellanum Polocenſem, Sieniavium Structorem Menſæ Regiæ, cum Procopio fratre, Sapieham Præfectum Orſanenſem, Zoravinium Belzenſem, Opalinium Poznanienſem Caſtellanos, Kozakovium Viſnenſem Præfectum. Excubiarum cura demandata Bogdaſſevio Wiernek, & Kazimirſcio; Caſtrorum verò metandorum Dolmatæ Nobili Lithvano, veteranóque ſub ſignis Chodkievicii militi. Atque in eum modum diſtributis copiis Tyram verſùs movit, conſedítque caſtris ad Braham oppidum ripæ vi-

vicini fluminis impoſitum. Quod an tranſmitteret, non nihil hæſit, quandoquidem ad intercipiendum tranſitum Danubii jam tardatum foret. Ea namque mens erat

Conſilium ad Danubium hoſti occurrendi non ſuccedit.

conſilii apud Regem intimi, præcipiendum videlicet quàm primùm iter in Valachiam, inde pontem injicienti Danubio hoſti occurrendum, conatúmque tranandi impediendum, ibidémque commodiùs diſtinendum. Non ſine aliquâ ſpe auxilii à Danubii incolis, qui omnes Chriſtanis imbuti ſacris ad priſtinam anhelantes libertatem, Chriſtianorum iis in oris volitantia arma, explicatúmque Crucis vexillum præſtolarentur, duræ ſervitutis jugum excuſſuri. Sed amiſſa jam erat occaſio arcendi à ripa Danubii ſubeuntem Turcarum exercitum, ob tardos ultrà quàm imperatum erat militum delectûs, eorúmque adventum in caſtra, proinde mutatâ ſententiâ viſum eſt

In Valachiam Exercitum transferre conſultiùs viſum.

conſultiùs, ſi copiæ in Valachiam tranſducerentur, hoſtem extra Poloniæ limites exſpectaturæ excepturæque: atque ut feſtinarent monebantur literis Regiis duces. Nec mi-

minore Coſaci Zaporovienſes incitamento erant, quorum validiſſimo præſidio deſtitui ſummè periculoſum videbatur, negantes ſe priùs ad caſtra venturos, quàm hæc ultra Tyram conſtitiſſent: ne initis inter utramque gentem fœderibus, ex eorum præſcripto ſoli, veluti pacis cum Turca turbatores, ad vindictam à potentiſſimo exercitu depoſcerentur. Fides itaque illis obligata, ſponſúmque, pacem aliáſque pactiones cum Turcis ipſorum cum ſcitu & ex voto proceſſuras.

Et transfertur ponte fabricato.

Pronuntiatum itaque per caſtra in Valachiam iter, & pons Tyræ injici cœptus, ſed quem ille dedignatus rapidiſſimo decurſu aquarum ſæpius dejecit: repertus Ruthenus, ſeu ut alii volunt Lithvanus (nomen hominis incognitum hucuſque) qui firmiori ſtructuram operâ aggreſſus, adactis in fundi alveum, ſublicis, deſuper impoſitis trabibus ac tabulatis aquarum furorem coërcuit. Tum verò primum agmen Lubomirſcii tranſmiſit, at ſequentium legionum trajectionem interrupit iterum interciſa

ciſa ab aquarum vi contabulatio, quâ refe-
ctâ univerſo demum cum exercitu Chod-
16 Augusti. kievicius 18 Kalendas Septembris trans
Tyram ſtetit.

Caſtra locantur ad Chotimum Oppidum & arcem. loci ſitus deſcribitur.

Delectis caſtris locus ad Chotimum oppidum arcémque vacuam tunc, & à timore fugâque accolarum deſertam. Cingebant hinc rupes Tyræ impendentes, inde verò virgulta ſilvæque, cavis ſinuoſíſque viarum anfractibus interſectæ: in medio patebat campus non adeò nimiâ prolixitate diffuſus, eliciendo hoſti ſat opportunus, qui tamen nec pugnandi neceſſitatem inferre, nec univerſam aciem explicare poſſet. Tergo ſecuritatem præſtabat arx in edito præruptóque colle ſita, ad cujus littus Tyras ſiniſtrorſum profluens rapidas volvebat undas. Et ad eam quidem partem Chodkievicius ſuis cum Lithvanorum copiis ſtationem ceperat, oppoſitam Lubomirſcius tenuit, in medio ſedes Vladiſlao relicta. In alterâ fluminis ripâ ad caput pontis impoſitum præſidium, ad aſſervandam copiis hinc atque inde commeantibus viam, quò ſecurior adve-

nienti ſuis cum copiis Vladiſlao expeditiórque pateret.

Chodkievicius exploratores mittit versùs Turcarum Caſtra.

De Turcarum exercitu quandoquidem hucuſque nullam haberet notitiam Chodkievicius, ab exploratoribus certior futurus, Kopaczevium primò audentem nec impigrum Centurionem, deinde Moſcinium, poſtremò Fekietium Hungarum fidum animoſúmque & ex quo à Turcis in regias tranſiverit partes bellicis operibus inſignem, excurrere jubet. Sed dum ille nihil certi ferret, alter Moldavorum latrociniis, cum quibus etiam conflixit, retardatus, haud longè provectus fuiſſet, tandem Fekietius adducto inſigni Moldavo captivo, ſibíque olim in Turcarum caſtris optimè noto, adventantis hoſtis fidem fecit, cui Alexander Moldaviæ Palatinus beneficiario jure obſtrictus, ſuas juncturus copias jam iviſſet obviam.

Moldavus captivus à Fekietio adducitur, hoſtémque venire nuntiat.

Eo rumore imminentium Turcarum invaleſcente, Chodkievicius & Principis Vladiſlai legiones ipſiúſque adventum ſummopere exſpectabat, & Coſacorum Zapo-

rovien-

Tardior Cosacorum adventus malè habet Chodkievicium.

rovienſium tardè procedentes turmas ægerrimè ferebat, anxiúſque præſtolabatur, præſertim quid ubíve locorum agerent ignarus. Auxit Imperatoris ſolicitudinem veniens Petrus Konaſzevicius, vulgò Saydacznii dictus, qui expeditâ feliciter Legatione apud Regem benignum commilitonibus ſuis ferebat reſponſum, quos jam Polono junctos exercitui reperturum ſe ſperabat. At dum fruſtra quærit, Chodkievicius notum ſibi ſummæ dexteritatis fortitudiníſque virum nec indonatum, illico ad arceſſendas Coſacorum copias accelerandúmque iter dimittit, addito ſecuritatis causâ Annibale egregio Centurione duobus cum velitum turmis, & Molodecio aulæ Lubomirſcii familiari, homine Coſacis notiſſimo, quos nomine Ducum compellaret, adventúmque urgeret. Quanquam poſt paucos dies tædium exſpectantis Chodkievicii imminuit Doroſzenko, promtum commilitonum nuntians obſequium, jam jámque adventare per hoſtium terras, & capto direptóque oppido Sorrokâ flammam

Konaſzevicium & Molodecium mittit, qui illos celeriùs arceſſerent.

Doroſzenko Coſacos adeſſe nuntiat.

mam

mam cædémque aditu patefacto ſpargentes. Nec minore totius exercitûs lætitiâ exceptus Ruſinovius cum aliquot millibus levis armaturæ velitum, Liſovienſium vulgò dictis turmis, ex Germanicis tumultibus redux, ubi contra rebelles Ferdinandi Imperatoris ſtrenuè navatâ operâ patriæ ſuæ, cui ante omnes vitam fortunáſque debebat, præſto fuit.

Ruſinovius cum Liſovianis ad Caſtra venit.

Vladiſlaüm properantem detinuit ſummâ cum ipſius indignatione eorum incuria, qui rem tormentariam curabant: namque & tormenta tardiùs Leopolim advexerant, nec eo quo debebant ordine, ita ut pleraque refici, pleraque immutari deberent, magno cum temporis diſpendio: deinde peditatus Germanicus, qui Principem ſequebatur, longo itinere æſtúque attritus & exhauſtus, non progredi ſed ſerpere videbatur, multis præ laſſitudine aut cadentibus, aut ægre ſpiritum trahentibus. Atq; eas moræ ſuæ nimiùm ingratæ ac tædioſæ exhibuit rationes Staniſlao Zoravinſcio Caſtellano Belzenſi, & Jacobo Sobieſcio Legatis à Chodkievicio exercitú-

Vladiſlai iter quid remoratur.

 que

que miſſis advolaturum ſe quantociùs promittens, quò illum laudis gloriæque cupido, & patriæ amor impenſiùs ferret.

Interea Cantimirus Tartarorum dux Polonorum cladibus notus ideóque nimiùm ferox, bellum orditur, & apertum quidem devitans Martem, ex inſidiis caſtra aggreditur. Selegerat quinque millia veteranorum, & cum tribus ipſe per invios delatus ſaltûs, in remotiore paulò latitabat ſilvâ, duo verò millia ad Tyræ ripam procurrere, ibidémque vallum occupare, mox ſiniſtrum caſtrorum latus invadere imperat. Ac penè perruperant, ni fortè in Piotrovium Centuriorem ſuis cum turmalibus ab excubiis, quæ illi ad vada Tyræ obtigerant, redeuntem incidiſſent, qui primus hoſtem non ſine aliqua ſuorum ſecuriùs jam degentium clade excepit, ſuóque periculo cæteros inſtantis pugnæ ac diſcriminis commonuit: móxque advenientibus ſuppetiis rejecti barbari, pluribus amiſſis in fugam ſe conjecêre. Acriùs ab alterâ parte certatum eſt: quippe immiſſæ à Cantimiro delectæ pugna-

Cantimirus Tartarus caſtra aggreditur ex inſidiis.

Piotrovius Centurio ſuocum periculo inſtantis pugnæ admonet.

pugnacium Tartarorum cohortes, ſubmotis excubiis, recedentibúſque ad caſtra, ad ipſam Lubomirſcii portam ferventiùs inſtitêre, tantâque cum pertinaciâ, ut unus hoſtium ſtaturâ & animo eminentior, ſub ipſis penè munimentis dimicans, non ante prælium omiſerit, quàm perfracto capite lapidis ictu ibidem proſtratus cecidiſſet. Tandem Lubomirſcius aggreſſionis impatiens aliquot ſigna in hoſtem immittit, deinde diſſipat, cædit, à reliquis verò terga in ſilvas converſa ſunt, non ultrà ſecutis victoribus. Et Cantimirum cedentes barbari in ſocietatem fugæ traxêre, haud tamen effugientem cladem, quàm ab obviis ſibi fortè fortuitò Coſacorum turmis accepit, amiſſis veteranorum permultis. Chodkievicius plures alibi hoſtium latêre ratus, copias in campum educit aciémque inſtruit, pugnæ ſi vis ingrueret copiam facturus: at nemine comparente, ſubmotâque hâc prædatoriâ manu caſtra repetiit, mœſtior aliquantùm ab inſpecta acie, quam prævalido oppoſiturus hoſti, ſuæ opinioni ac Comitiorum ſan-

Ad Lubomirſcii portam Tartari ferventiùs inſiſtunt.

Fugantur cæduntúrque à Lubomirſcio.

Chodkievicius aciem inſtruit.

citis haud correſpondentem invenit. Spes reliqua in Vladiſlao adventante, Coſacorúmque agminibus erat. Sed & hanc propè irritam fecerat crebreſcens de Coſacis rumor, acſi in itinere à Turcis circumventi, ad internecionem deleti fuiſſent. Adſtruxêre famæ volanti fidem exploratores, qui præcluſo ſibi à Tartaris aditu, coërcitíſque excurſionibus nullam adferre notitiam poterant; volitantibus inſuper Moldavis ſuo cum Bernaſcio prædone famoſo, terríſque olim Podoliæ infeſto, adeò ut plerique pabulatorum incautiùs provecti, aut cæde, aut ſervitute mulctarentur.

Rumor de Coſacis à Turca circumventis,

Sed vanus ille rumor de Coſacis fuit, periculum tamen in quod illi incurrerant famæ occaſionem dedit, quæ auctis viribus eundo exitum ipſorum vulgaverat. Ac primùm Petrum Konaſzevicium in diſcrimen error conjecerat: converſo namque verſùs oppidum Stepanouce itinere, ubi ſe commilitones reperturum rebatur, viam latiorem & equorum ungulis tritam nactus, quaſi ſuorum veſtigia legeret, accelerabat greſ-

vanus fuit, ſed non ſine occaſione.

Konaſzevicius incidit in Turcas & vix evadit.

greſſum: cùm ſubitò conſpectis Turcarum caſtris, damnatóque, qui illum in hoſtium caſſes penè compulerat, errore, ſenſim pedem referre cœpit, accurrentibus mox majore numero Turcarum ſpeculatoribus, poſt cruentas cum iiſdem velitationes, amiſſo equo ipſemet ſaucius in proximas ſeſe recepit ſilvas, quarum latebris tectus ad Tyræ ripam pervenit, ſuorúmque copias haud procul à Mohilovo oppido reperit. Acceptus comiter à ſociis, ſuetíſque acclamationibus iterum Regimini reſtitutus eſt, (quod illi antea ſeveritas, exactáque diſciplinæ militaris obſervantia ademerat) amoto Brodawkâ homine ignavo ac temulento, oneratóque catenis commiſſa flagitia morte expiaturo.

A Coſacis iterum admovetur Regimini.

Redditi itaque priſtino expertóque duci Coſaci, meliori ordine feſtinantéſque ad Chodkievicii properabant caſtra, Turcarum copiis non longè incedentibus, in quas fortè fortunâ ſive errore viarum, ſive cupidine prædæ, à cæteris abrepti inciderant quadringenti, (eum enim numerum faciliùs

Coſacorum quadringenti fortiſſimè Turcis reſiſtunt.

liùs recenſenti Sobieſcio crediderim, quàm aliis, qui centum triginta tantùm fuiſſe ſcribunt) circumventíque fortiſſimè reſtitêre, hoſtiúmque tulêre inſultum, qui deſperatâ victoriâ opem plurium legionum advocaverat, ipſo Cæſare ad famam Coſacorum ociùs exercitum trahente properantéque, quaſi jam tum fortuna ipſius in expugnatione exilis manipuli verteretur. Totum itaque locum ad quem confugerant, à naturâ, rupe, collibúſque munitum, coronâ circumplexus excidiúmque interminatus, deditionem expoſcit. Recuſantibus Coſacis, fortiſſimo cuique aggreſſionem imperat, vivóſque capere nititur: at illi firmati in mortem, non inulti erumpunt, acriter vim repellunt, cædunt, promtiſſimum quemque hoſtium obtruncant, vexilla rapiunt, ad extremùm quocunque ferrum vertunt, vulnera ſpargentes, attonitum nutantémque hoſtem ſubmovent. Poſtremò Oſmanus ignominiâ præceps, quando nulla ſpes capiendi erat, fortem illum ſuæque potentiæ illudentem manipulum, admotis tormentis dis-

Deditionem recuſant.

disjicere imperat, quorum jam pleroſque ad proximos montium ſpecûs profugos, obturatis acceſſibus & receſſibus, igne fumóque enecare mandaverat. Nec ea profecit vis, ſuſtentatáque uſque ad noctem, ſed confecta jam tot cladibus, quæ reliqua erat ſeſe defendentium paucitas, cùm per triduum effuſæ circumcirca armatæ multitudinis impetum conſtanter pertuliſſet, neque ſubigi poſſet, quæſito per noctem effugio cùm obſtructâ ab omni parte fugiendi viâ diſperſa vitabundáque haud evadere poſſet, poſt edita noviſſimè fortitudinis exempla in manus hoſtium venit. Quanquam eſt qui tradat, ſe ultro imploratâ fide Turcis dedidiſſe, quod à Coſacorum moribus alienum, illorum bellandi ratio docet, nunquam ſeſe fideï barbarorum credentium, quive ut exquiſitam evadant lanienam, deſperatione ſtimulati, mortem per vulnera cædéſque obſtinati quærere ſolent. Adducti itaque qui ſupererant captivi ad Oſmanum eorum videndi perquam avidum, mox pudorem incuſſêre

Tandem in manus hoſtium veniunt.

Ad Osmanum adducuntur in ejúsque præsentiâ mactantur, & ipse suâ manu nonnullos perimit.

conſpectæ laceræ veſtes, leviáque ſagula quibus cooperti ante eam conſtiterant Majeſtatem, quam ſæpius perterrefecerant. Secuta deinde indignatio: videlicet à tam vili genere hominum Othomanæ potentiæ inferri opprobrium, tum irâ excandeſcens ſuíque oblitus Tyrannus, direptum à latere acinacem pluribus immergit, ſuâque manu Cæſareâ non repugnantes confodit: cæteros ad arborem alligatos partim ſclopis, partim ſagittis transfigi imperat, atque exſpirantium palpitantiúmque crudeli fruitur ſpectaculo.

Contra illorum Legiones universum Exercitum movet.

Tam exiguæ manûs vix triduo expugnatæ difficili victoriâ irritatus Oſmanus, ire ipſe cum univerſo exercitu adverſus Coſacorum legiones ad Chodkievicium tendentes ſtatuit, validum Polonis detracturus auxilium, ſi in itinere anteverteret ſegregarétque: eáſque ſibi primas deſtinabat victimas ſecuturæ immolandas victoriæ, quam & à ſua ferocia, & à totius Imperii collectarum virium robore præconceperat. Verùm Coſaci compoſiti munitíque per confertos ſeſe

ſeſe expedivêre hoſtes, & octiduo impendentibus Turcis, inter continuos conflictûs ſtragem cladémque hoſti inferentes, in liberum campum & ad Polona evaſêre caſtra, ad quorum dextram eâ parte, quâ Tyras præterfluebat, ſtationes cepêre.

Sed illi evadunt ad Polona Castra, & designatam capiunt stationem. 7 Septembris.

Idem dies & Szembergium & Vevellium ad Chodkievicium tulit: apertæ Vezirii literæ ſcriptæ ſuperbiùs, pacémque videlicet in armis ſitam eſſe ferentes. Vevellius per dies ſeptem in arce Chotinenſi detentus, duriúſque à Chodkievicio acceptus redire juſſus eſt, cum vulgari & modicâ mentione pacis, quam in medio etiam belli ardore optima modò & honeſta eſſet, arrepturum ſe Chodkievicius ſignificavit.

Szembergius & Vevellius veniunt.

Quoniam verò mox dicturus ſum quantis viribus, quóve apparatu Oſmanus Poloniam ingreſſus ſit, nunc ratio & locus poſtulat, ut oppoſitas Polonorum copias, eorúmque numerum lectori ob oculos ponam. Ac deducto quidem exactiſſimè calculo, conſtitit ex rationibus in publico Comitiorum conſeſſu factis recitatíſque, ex

Quantus Polonarum Copiarum numerus fuerit.

ærario publico promtam distributámque fuisse pecuniam tam in equites quàm in pedites universos triginta quatuor mille nongentos octuaginta septem, præter eos qui accepto ære, desertis signis Rempub. quoque deseruêre: quod dedecus turpisque labes penès nonnullos Polonorum mansit, & aliqua Germanorum vexilla pari flagitio sese contaminavêre. Cosacorum adfuêre triginta millia, ita ut universum exercitum sexaginta quatuor millia insuper nongenti octuaginta septem milites stipendiarii conficerent. Nec contemnendum additamentum submisêre Principes in Regno viri, scriptis privatâ impensâ copiis: namque præter Chodkievicium ac Lubomirscium supremos armorum duces, qui numerosas proprio ære auctoratas adduxêre turmas; pari erga patriam affectu certavêre Sieniavii fratres, Jacobus Sobiescius, Michaël Comes à Tarnow, Joannes Rozrazevius, Georgius Dux Czartoriensis: ii omnes profusis in militem hæreditariis opibus, insuper præsentes animi invictum robur castris

Et Cosacorum.

Principes viri privatâ impensâ scribunt copias adducúntque.

Procopius & Nicolaüs.

castris intulêre. Nonnullorum verò alacritas per fidos expertósque Centuriones suis cum turmis submissos, periclitanti patriæ adfuit. Recepti equites peditésque insimul sexcenti, numerus militum à Janussio Duce Ostrogiensi Castellano Cracoviensi, ad omne periculum expeditionémque contra Turcas ac Tartaros, ex amplissimis bonis adscriptus, attributúsque Reipublicæ Thomæ Zamoscii Palatini Kioviensis aliquot hastatorum vexilla Andreas Swiezinscius & Albertus Srzedziniscius egregii veteraníque Centuriones duxêre. Addidit quoque Raphaël Lesczynius Palatinus Belzensis hastatorum cohortem. Missæ à Joanne Sapieha Magni Ducatûs Lithvaniæ Marschalco selectorum peditum centuriæ, & à Christophoro itidem Sapieha M. D. Lithvaniæ Pocillatore equitum hastatorum una. Ad extremum omnes nominatim prosequi longum esset, certè si iis suprà memoratos in Vladislaï comitatu addas, à Proceribus aliquot millibus militum auctum fuisse exercitum procul

Alii per Centuriones mittunt non contemnendam manum.

cul dubio patebit. Quanquam centum millibus bellatorum è primo Comitiorum instituto res geri debuerat, qui postmodùm ad septuaginta circiter redacti, iniquo quodam Poloniæ fato, patriæ nihilominùs salutem egregiè sunt tutati.

H I-

HISTORIÆ VLADISLAI POLONIÆ ac SUECIÆ PRINCIPIS,

LIBER DECIMUS.

Cosaci per Turcarum phalanges, inter continuos insultùs præliáque, etsi summo cum discrimine, non inglorii tamen ad castra Chodkievicii emergentes, jamjam appropinquantis imminentísque hostis certiores fecêre duces. Nec tardavit Othomanus: namque postero die quarto nonas Septembris in conspectum se dedit, ac velut novus Xerxes undique gentium arcessitis submissisque copiis vicinos opplevit campos. Ingentis multitudinis indicium fuit vis

Osmanus Turcarum Imperator venit. 2 Septembris.

vis magna pulveris, quæ ex aridâ humo incedentium hominum jumentorúmque excussa, ínque nubem coacta, latè suffuderat Cœlum. Namque præter equorum infinitum propè numerum, immensi camelorum, bubalorum, mulorum acti greges, belli-cum ferentes subvehentésque apparatum, tum & cibaria, quibus fami subvenirent. Decies mille camelos, duplo plures bubalos fuisse sunt qui tradidêre. Visi quoque elephanti quatuor, cultum & opulentiam Cæsaris excipientes portantésque.

Quanto cum apparatu.

Residente paulatim nebulâ mox apparuit ipsa exercitûs Turcici moles: quippe fixis castris ad acceptum signum incredibili celeritate tentoria explicata extensáque, trium eminentium montium juga circúmque plana ac devexa occupaverant, & quia splendida candidáque, subitaneæ è Cœlo nivis demissæ terrásque operientis speciem præbuêre.

Ingens terrarum spatium Exercitus ejus occupat.

Quanto verò bellatorum numero constiterint Osmani copiæ, plerique variant: certè non minore trecentis millibus fuisse

Qui è trecentis millibus constitit.

ex captivis & transfugis demum & aliunde innotuit. Tartarorum centum millia Dziambet Gereius Regulus adduxerat, unóque milliari à Turcis inter adjacentes silvas stagnúmque propior Polonorum castris consederat.

Tartarorum Regulus centum millia bellatorum adducit.

Pars potissima Turcarum exercitûs eáque validissima Europææ copiæ erant: miles in iis & habitu corporis, & tolerantiâ laborum, & armorum tractandorum promtitudine excellens, complures Hungaricis exercitati bellis visebantur, quíque sæpius cum Christianis conflixerant: & ut veteranum robur, ita invictum præ se ferebant animum. Ex Asia turba confluxerat feliciùs Mercurium quàm Martem tractare solita, cæteri verò ab Euphrate usque Tigríque arcessiti, alium sese venisse in Orbem mirati sunt, insuetúmque haurientes aërem, numerum tantùm explebant, prorsúsque erant invalidi. Janizerorum legiones sine quibus Turcæ victores nunquam, præter solitum pauciores numerabantur, extenuatæ videlicet à magistratuum avaritiâ, pecuniam lo-

Europæus miles universi Exercitûs robur.

Asiatici molles & imbelles.

co militum legentium extorquentiúmque.

Castra quater mille passibus Turcæ locant à Polonorum Exercitu.

Castra quater mille passibus à Polonorum exercitu locavêre, nullo vallo, nullísque receptaculis munita: fixa tantummodò ex ordine tentoria fuêre, prout cuique sors locum dederat, excubiis frequentibus numerosísque, alibi verò tormentis, ubi facilis aditus patebat, denso ordine dispositis cingebantur. Castrorum splendorem auxêre candida maximóq; numero per tot terrarum spatia explicata tentoria, quorum apices aut deauratis fulsêre globis, aut insertis varii coloris vexillis emicuêre: ea verò Provinciarum Præfectis (quos Bassas vocant) etiam ad luxum. Eminebat in edito colle Osmani tabernaculum opulentiæ barbaræ ac Othomanæ magnificentiæ spectaculum: quippe non bellicis tantùm usibus adaptatum erat, sed ad splendorem amoenitatémque. Intrantibus offerebant sese lata laxáque atria, hinc deambulationes ac in longum extensæ porticûs, inde retractiora cubicula, parietes, & quidquid supra erat opere elaboratum Phrygio, auróque inter-textum

Splendorem eorum augent tentoria magnifica.

Osmani ipsius Palatium potius non militare domicilium.

textum visebatur. Sustentacula funésque tentoriorum sericei, apices auro radiantes, denique in eam temporarium ac militare Cæsaris domicilium excreverat majestatem, ut elegantiâ, magnitudine, amoenitate, florentissima Regum ac Principum exæquaret palatia. Haud procul tentorio erecta fuerat specula, unde Osmanus positum castrorum, Polonorum velitationes, pugnam commodè spectaret.

Chodkievicius nihil movetur tantis hostium copiis.

Cum tanta itaque virium suarum mole veniens Osmanus ingenti Poloniam famâ, terrore verò castra complevit: quam profectò famam adeò in speciem contemsit Chodkievicius bellicorum discriminum mirus dissimulator, & qui nihil timere sciret, ut subitò copias in campum eduxerit aciémque disposuerit. Dextrum cornu Lubomirscio permisit, & unde à Tartaris latitantibus prope silvas metus erat, ibi objectæ velitum turmæ stetêre, ne inde ex insidiis prorumperent hostes, aut extremo agmini carpendo aut turbandæ aciei infesti essent, ipse verò Lubomirscius in frontem pro-

Exercitum educit & instruit, quo ordine.

proprias cohortes & fortiſſimum quemque ſubducit, communitis lateribus juſtâ haſtatorum manu, cui præerant Joannes Rozrazevius, Zlotnicius, Janovius, Ratovius, non incelebres Præfecti. In ſubſidium ſtabant additæ legiones ductoribus Staniſlao Zoravinſcio Caſtellano Belzenſi, Matthæo Leſniovio Succamerario Belzenſi, Stephano Potocio Præfecto Camenecenſi, Ferenſbachio, Boratinio: iis acceſſêre inſuper Herburti Scalenſis Præfecti, Raphaëlis Leſczynii, Staniſlaï Pruſinovii cohortes haſtatæ. Siniſtrum cornu Chodkievicius curabat, propriis turmis in fronte locatis, pòſt auxiliares ſequi juſſit legiones Ophalinſcii, Zienovicii, & Alexandri Sapiehæ. Medium inter utrumque latus occupabant tormenta & Germani pedites, Tribunis pariter ante agmina incedentibus, Denhoffiis duobus, & Lermunto. Claudebat aciem triariorum adinſtar valida Nicolaï ac Procopii Sieniaviorum phalanx, lectiſſimo conſtans equitatu, acceptis in medium Thomæ Zamoſcii cohortibus, earúmque

Zui-

Zuiczinſcio ac Srzedzinio rectoribus. Hanc certò intervallo ſecutum auxiliare Nicolaï Koſakovii Præfecti Viſnenſis agmen. Ad hæc inter colles ſinuoſóſque viarum anfractûs occultati ſclopetarii diſpoſitíque hoſtium latera inopinatò petituri. Productum ad Tyram ſpatium planitiémque Coſacorum exercitus tenuit. Satìs itaque omnibus, quæ in rem videbantur compoſitis, milites pro concione allocutus eſt Chodkievicius: Ne tanta illis hominum multitudo formidini eſſet, neu vana gentium nomina extimeſcerent, turbam tantùm & onus caſtrorum conſpici, non verò milites: tumentíſque Tyranni faſtum numero imbelli non viribus cinctum facilè deſpicerent. Revocarent ſibi in memoriam quanta bella, quàm cum efferis gentibus majores geſſiſſent, ubi locorum victoriarum tropæa fixiſſent, quàm pauci cum multis conflixiſſent, & nuper quàm parvula manus Duce Zolkievio Turcarum ac Tartarorum agmina perrupiſſet, neceſſitatibus & armis invicta, ſi diſcordia abfuiſſet: vin- *Militem alloquitur & animat.*

dica-

dicarent nomen gentémque Polonam ab ultimo dedecore, id expoſcere cæſum nuper cum copiis Ducem, cujus cruore perfuſam calcarent tellurem, irent alacres & ſpiritu pleni, pugnaturam cum iis cauſæ æquitatem, quæ pro Chriſtianis contra barbaros & infideles militaret, non laturos hoſtes triumphale ſignum Crucis, ad cujus aſpectum & animo & viribus caſuros certè confiderent, adfuturos pro bello auxiliares Cœlites Divóſque Poloniæ tutelares, qui ſupplici prece à majoribus evocati inter acies ſignáque Polona & Lithvana ſæpius veluti commilitones comparuiſſent. Secuturum ſe veteranum ducem, quem hucuſque & ætate & provectum, & è tot bellorum diſcriminibus fortunatiſſimè ereptum, fata ſervaſſent: daturum nunc quoque exemplum forti egregióque militi, cum quo ut vincere, ita & mori conſtitutum eſſet. Poſthac verſo in cœlum vultu, propitium Numen ſupremúmque Exercituum Dominum conceptis verbis veneratus eſt.

Summâ militum alacritate oratio accepta eſt,

eſt, injectúſque pugnandi ardor, quem accendebat Divinæ opis fiducia humili implorata voto. At Oſmanus viſâ contemtâque hoſtium paucitate, necdum integre locatis caſtris, nullâque ex itinere militi conceſſâ quiete, validam copiarum partem ruere, Polonóſque aggredi imperat: cibi quoque tamdiu patientiam profeſſus, donec quod animo præconceperat, oppoſitam ſibi aciem ad inferos cœnaturam detruderet. *Oſmanus paucitatem Polonorum contemnit.*

Primus in Coſacos inſultus fuit tanquam à recenti adventu parùm munitos clauſóſque, & ideo aggreſſioni faciles: propellebant quoque in vindictam ira pudórque: quippe eluſo Turcarum impetu, per medias phalanges victores iis in campis conſtiterant. Ergo illic omnis ab hoſte vis converſa robúrque exercitûs, admota quoque tormenta acriorem redditura oppugnationem. Sed machinarum quamvis extremè reboantium exiguus comparuit effectus, cæterùm invadentium impetum fortiſſimè Coſaci ſuſtinuêre, imò eruptione factâ auſi ſe planiori credere campo, non deſtitêre in confertos ruere, *Coſacos aggredi imperat* *Reſiſtunt ſtrenué.*

ruere, vulnera ſpargere, occidere, donec invaleſcente numero Turcarum, ipſi quoque laſſi fatigatíque ſubſidium à peditibus Germanis Hungaríſque ab hoſte inobſervatis: quippe in foſſas hiatûſque terræ immiſſis, accepiſſent. Poſt hæc Chodkievicius Ruſinovium ſuis cum Liſovianorum turmis pugnam capeſſere jubet, ſequitur mox ipſemet ſelecto haſtatorum equitum globo cinctus, oritur atrox prælium, Turcis primùm ſtrenuè rem gerentibus, verùm ex arbuſtis foſſíſque ſclopetarii emiſſâ glandium procellâ Janizeros ferientes ſternentéſque, ſcidêre perruperéque hoſtium agmen, atque ita perculſum, equites lanceis ſummâ vi adactis disjecêre impuleréque, pugnam novo ardore inceptam ulteriùs proſecuturi, niſi eam nox terris incumbens diremiſſet.

Chodkievicius Ruſinovium cum Liſovianis ſubmittit, & ipſe mox ſequitur.

Sternuntur hoſtes, nox deinde prælium dirimit.

Quadraginta circiter gregarii milites in illo prælio deſiderati, ſeptem equi ex Chodkievicii turmâ tormentorum ictibus proſtrati, quo lethi genere ſublatus quoque Zaviſſa Kiſcianæ cohortis commilito, natalibus clarus ætatíſque floridæ juvenis. At Cen-

Zaviſſa, Ruſinovius, JendrZeiovius, Kluſcius Kiebekus, Rakovius, cadunt.

Centurionum gravior jactura fuit, Ruſinovius velitum (Liſovianorum vulgò dictorum) ductor, à majoris tubi glande vulnus accepit, vir, qui arma Polona per Germaniam Ferdinandi Secundi Imperatoris auſpiciis feliciter circumtulerat: ejuſdem itidem legionis non ignobilis Centurio Jedrzeiovius pariter ſaucius haud diu ſupervixit; cecidit Kluſcius, periêre Klebecus & Ryskovius, ille velitum, hic gravis armaturæ militum Centurio, ambo Moſchoviticis bellis clari celebréſque; periit ad extremum Rakovius peditum, quos Johannes Sapieha M. D. Lithvaniæ Marſchalcus proprio ære conductos miſerat, anteſignanus.

Sed qualiſcunque fuit illa etſi paucorum virorum tamen fortium luctuoſa cædes, ingenti Turcarum ſtrage ſparſíſque cadaveribus per campos abunde compenſata videbatur, inter quæ repertum Uſaimi Baſſæ magno cum gemitu hoſtium elatum eſt: namque inter Turcarum Proceres bellicâ fortitudine eminentior, & Præfecturam Siliſtriæ à morte Skinder Baſſæ obtinuerat,

Turcarum ingens ſtrages & mors Uſaimi Baſſæ.

& nunc ſumma certaminis illi in manum data fuiſſe ferebatur. Captus quoque non ignobilis Turcarum Aſiæ Minoris Præfecti cognatus, ſed multis vulneribus confoſſus, vocem primò deinde vitam cum ſanguine effudit. Prædæ fuêre equi generoſi ſplendidè inſtrati, tum & occiſorum phaleræ ephippiáque, deinde elegantes veſtes, capitum integumenta, arma, cæteráque militaris ſupellex, & pecuniâ auróque nonnulli manûs impleverant: denique ex tam forti aggreſſione Turcæ nihil niſi cladem ignominiámque egregio inſuper orbati duce ad Oſmanum retulerunt.

Præda reportata.

In dextro caſtrorum cornu præter paucas cum Tartaris velitationes nihil tentatum fuit, haud committentibus barbaris rei ſummam certamini, ſive deſperato ſucceſſu certóque ſui à Lubomirſcio damno, ſive contumaci erga Oſmanum animo, cui Dziambegereius Tartarorum Regulus invitus parebat. Simultatis cauſam fecit Cantimiri apud Turcas nomen vaſtationibus populationibúſque Poloniæ partum celebre

Tartari nihil tentant in dextro Cornu ob ſimultates cum Turcis.

bre clarúmque: inde ſumma ejus veneratio, præmiúmque militarium operum Præfectura Beſſarabiæ fuit. Dziambergereius collatum honorem homini non è Principe familia domóque, contra maiorum inſtituta indignabatur, ſe verò præ ſubdito ſuo contemni ægerrimè ferebat. Senior itaque ad mandata Oſmani capeſſenda ſeorſim ſtationem ceperat, nullóque cum Turcis inito conſilio, Nuradinum Fratrem & bellicoſiſſimum quemque ad vaſtandas Ruſſiæ terras dimiſerat.

Earum cauſa Cantimirum.

Exploratis hoſtium viribus, proſperóque belli præludio erectus Chodkievicius, eâdem ipſâ veſperâ quæ à prælio reducem in caſtra tulerat, advocato bellico Senatu, quid jam optimum facto eſſet ſententias exquirit: & illius unicum ſemper votum erat quàm primùm certamen hoſti indicere, apertóque morte præciſâ omni morâ & cunctatione congredi, ídque tunc & aliàs perſæpe urgebat. Dabat fiduciam Imperatori experta continuáque in bellis gerendis felicitas: quippe multoties collatis

Chodkievicius in bellico ſenatu ſuam proponit ſententiam de pugna quantociùs committenda.

cum hoſte ſignis nunquam victus, ſemper victor ex acie exceſſit, quémque nec numerare nec famâ formidabilem expaveſcere didicerat, ſæpiúſque obſtantes catervas fulminis adinſtar pervaderet disjicerétque: hinc quoque gloriæ nimiùm memor, gerere non ducere bellum volebat: adferebat ad hæc, quod annonæ neceſſitatibúſque exercitui in moram & cunctationem haud proviſum eſſet, deinde periculum imminere, ne tranſlatis propè caſtris foſſis munitionibúſque contraherent coarctaréntque campum hoſtes, privaréntque commoditate explicandæ aciei, militíſque ardorem reſtinguerent: famæ denique intereſſe hoſtem aliquâ aggreſſione exercitûs admonere, aliàs latitantem intra munimenta Polonum contemtui futurum.

Delegati non probant conſilium, & quibus ex rationibus.

Animoſi ducis conſilium probavêre ii, qui ejus fortunæ omnia tribuebant, at Delegati à Rege Reque publicâ adjuncti, penès quos pacis bellique arbitrium erat, tum veterani quique Præfecti ac Tribuni laudabant quidem animi infractum invictúmque robur,

robur, temperandum tamen pugnandi ardorem cenſebant. Quid enim tantopere prodeſſet ad belli aleam hoſtem provocare, qui à cunctatione imminens exſpectaret exitium: ingruere mox hiemem Aſiaticis populis militíque amœniori Cœlo aſſueto inimicam, cum nimbis, procellis, frigoribúſque luctaturo, atque certiùs per ſe nullo noſtrorum periculo caſuro ruituróque. Sed deſcendant licèt Turcæ ex voto ad pugnam, aut virtute invadentium extrahantur, numquid illico victoria ſperanda erit? Fortunæ certè ſi uſpiam, profectò in bellis fidendum eſſe minimè, nunc verò cautiùs illi committendam ſalutem Regni totius, quòd vim omnem robúrque in caſtris haberet, cujus vel minima jactura tot gentium ac populorum ſecum traheret ruinam. Et in exercitu permultos videri notaríque defectûs, prout nuper in acie comperiſſet indoluiſſétque ſimul Imperator, qui hoſtibus numero validis, ſubſidiorum opportunitate tutis, vix commodè opponi poſſet. Abeſſe cum præcipuis equitum peditúmque ſignis Vla-

diſlaüm Principem, exſpectandáſque ejus copias, cum quibus & ſuam felicitatem noménque Turcis fatale, & Patris auſpicia brevi eſſet allaturus. Poſtremò quod ad neceſſitatem exercitûs attineret, provideri poſſe ſecurum à Cameneco in caſtra commeatum, id modò ſit cordi iis, qui reï cibariæ invehendæ curam ſuſceperunt. Quapropter concedendum nunc aliquid tempori egregiè pro militibus pugnaturo, atque hoſce ſpiritûs magnos potiùs quàm utiles in præſentia contrahendos. Recitatæ ad hæc literæ Regiæ, quibus perſcriptum erat, ut non omittendam eſſe occaſionem reï gerendæ, ſi certa ſe daret, ita cunctatione potiùs detinendum atterendúmque hoſtem, ſéque cum novis adventantem copiis exſpectandum. Chodkievicius etſi pugnæ percupidus, contraria ſuadentibus refragari noluit: pungebat nihilominùs veterem expertúmque ducem ſua coarctata auctoritas, bellíque gerendi poteſtas ad alienum attemperata arbitrium, hinc æger animus impatiénſque, corporis quoque acceleraverat ægri-

ægritudinem ſibi propediè̀m fatalem.

Interea Vladiſlaüs de Oſmani adventu certus, relictis ad oppidum Braham impedimentis, potioríque exercitûs numero curæ ac imperio Joannis Veiheri Palatini Culmenſis commiſſo, tractis ſecum aliquot equitum ſelectiorum turmis in caſtra venit. *Vladiſlaüs ad caſtra venit.* Incredibili profectò gaudio univerſum exercitum affecit deſideratiſſimus votíſque arceſſitus Princeps, ſed geſtientium animos novus ſubitúſque depreſſit mœror, ob repentinum ejuſdem morbum, qui ex diurnis nocturníſque laboribus conceptus, tum à nimio æſtu, dum armatus die Cœlo ardente flagrantiſſimo Camenecio ad caſtra properat, provocatus erat: deinde à Valachico aëre gravi exitioſóque irritatus, atque in immodicam excreſcens febrim, quæ ipſum cum fine belli dimiſit ſibíque reddidit. *In morbum incidit.* Nec minùs invaleſcebat ab animi impatientiâ: namque ſe tunc lecto affigi querebatur, quo tempore vires corpúſque integrum reï gerendæ impendere cupiebat. Et tamen durante illâ expeditione etſi æger decumberet,

Ægri Principis præsentia permultum Exercitui profuit.

beret, ejus tamen præſentiam cor univerſi exercitûs jure dixiſſes, à quo vivaces miles acciperet ſpiritûs. Arceſſebat ille quantum per morbum licuit Tribunos, Centuriones, animabátque, promtiſſimum militum quemque ad ſe vocatum blandè compellabat, ſententias cùm febris aliquantùm remitteret bellici ſenatûs exquirebat audiebátque: & quantum ægri quamvis jacentíſque interpoſita ſæpius profuiſſet auctoritas, ſuo ordine nobis dicendum erit. Relictæ ad Braham copiæ ſexto pòſt die in caſtra fabricatis navigiis tranſvectæ ſunt, pontem ſiquidem intumeſcens imbrium vi Tyras reſolverat, ad quem reſtaurandum & impetus fluvii, & Bernaſcii latronis Valachi conatus per ſecundam aquam robora molésque arborum dejicientis rumpentíſque ſi quid operis cœptum fuiſſet, permagno erat impedimento.

Copiæ Vladiſlai ad caſtra veniunt.

Turcæ educunt Exercitum certamen indicentes.

Turcæ eodem quo Vladiſlaüs venerat die pridiani dedecoris ultores comparuêre, & partem copiarum in adverſam fluvii ripam circumductam Coſacorum,ſtationi veluti

luti tergo infeſtam imminentémque oppoſuêre: univerſum verò exercitum in ſuas diſtributum phalanges, inſtructúmque ad tentandam belli aleam eduxêre, tubarum clangore tympanorúmque ſono indicentes certamen: ſed cùm nullatenus à commiſſis ſibi locis ſtationibúſque moverentur Poloni, non ultrà quàm velitari ſubinde prælio tentato à Turcis in caſtra reditum eſt. Ii verò qui in alterâ parte Coſacis ferociores inſtabant, à Vladiſlaï turmis ripam inſidentibus coërciti, audaciam non abſque ſuorum ſtrage depoſuêre, fractóque impetu animíſque depreſſi pedem retulêre.

Non moventur Poloni.

Et quandoquidem Poloni ad pugnam elici non poterant, Oſmanus veluti metuentes ſuæque nimiùm fidentes munitioni aggredi magnâ vi imperat: admota igitur tormenta, iiſque à prima luce ad medium dieï in irritum reboantibus plus fragoris quàm terroris erat. Petrus Opalinius Caſtellanus Poſnanienſis cum ſuis equitum quas regebat turmis diurnas agebat excubias,verſa itaque illuc derepente Turcarum

Oſmanus Polonos quaſi pavidos aggredi imperat.

agmina, cùm aliquantùm velitari prælio distinuisset, è mandato Chodkievicii intra vallum se recepit, unico nobili commilitone ex Grzymultovii cohorte desiderato. Turcæ liberiorem nacti campum, rectà castrorum portam Lubomirscii vulgò dictam petunt, ad cujus ingressum pedites levi munimento carraginum septi stationem habebant, à tormentis in propinquo vallo dispositis securam, & quorum subsidio veluti umbrâ tegerentur. Quantò itaque major spes hostibus quasi ab expositis peditibus, & aditus ad ulteriora ostendebatur, tantò acrior oppugnatio fuit. Ruebant Turcæ obstinatis animis, ductoribus eorum agmen propius vallum fossámque agentibus admoventibúsque, & ubi aggredientium labescerent vires, nova fessis submittentibus auxilia, si non manu, at numero ipso exundantis multitudinis lassos defensores oppressura. Sed in cassum ea oppugnatio fuit, malè namque habebant barbaros tormenta è vallo propugnaculísque ab utroque portæ latere prominentibus crebrò tutóque fulminantia,

Ruunt ad Lubomirscii portam.

Arcentur à tormentorum ictibus.

tantia, à quorum pernicie cùm se tueri neutiquam possent, quod nulla pars campi extra ictum foret, jámque & à sclopetariis nusquam irritis emissionibus peterentur, retrocessêre, magnâ cum clade rejecti expulsíque.

Par impetus cæteras legiones Turcarum inter locorum declivia silvásque hucusque latitantes, in alteram castrorum ferebat partem, aggressioni opportuniorem, quia leviter munitam, erátque periculum à delubro ritûs Græci, quod muro exstructum inter rudera Chotinensis oppidi integrum exstabat, ne ab hoste occupatum grave facesseret negotium. Et penè felicior successus Janizeros ulteriùs promoverat, qui vallo fossísque adrepetentes propè, tenebant illud: cùm miles præsenti monitus discrimine vallum deserit, & in medios sese conjicit hostes, Janizerorum continuò explodentium agmina perrumpit, pugnámque novo ardore capessit, donec accedente à Chodkievicio subsidio, accurrentibus Vladislaï trecentis peditibus Hungaris unà cùm Ko-

Feliciùs rem gerunt Janisseri.

chanovio intrepido notíque animi Centurione, cum & Germanis ſclopetariis è legione Joannis Weieri Palatini Culmenſis ſubmiſſis, poſt acerrimum conflictum hoſtes quà cæſi, quà fugati locum cui timebatur deſeruêre.

Et hi cæſi fugatique.

Nec ſegniùs Coſaci Turcis ſeſe invadentibus oppoſuêre. Exaſperatam quippe hoſtium rabiem tormentorum ſecutæ ſunt continuæ emiſſiones. Janizerorum ſclopi continuò ſcintillabant, tandem cùm nihil proficeret conatus, creſcebat interea eò uſque Coſacorum audacia, ut multis ante caſtra in locis cavatis ſcrobibus in eas ſe demittentes, hoſtium latera certâ pilarum exploſione ferirent, tandem & in apertum exilientes cominus pugnam conſererent, vulnera cædéſque inferrent. Turcæ ad extremùm per ſuorum cadavera ſummâ cum trepidatione fugâ ſibi conſuluêre, cujus dedecus auxerant lixæ, calones, qui velitationibus immixti, dum cæteri milites ſigno receptui dato caſtra repetunt, illi fugacium virorum catervas diſſipatas pellere, pecorúm-

Coſaci ſtrenuè rem gerunt.

rúmque adinſtar præ ſe agere longiúſque inſequi non deſtiterunt.

Rediêre iterum majoribus ſubnixi viribus hoſtes, & ignominiæ abolendæ cupidi renovatâ aggreſſione omnem vim conatúmque in Coſacos effundunt, apparuítque quid ultionis ſpes, quid deſperatio demum poſſet: pugnatum acriter, illis obſtinatè invadentibus, his pertinaciter propulſantibus, & quia ingens Turcarum vis continuò ſibi ſuccedentium invaleſcens, defenſoribus graviter incubuit, opportunè à Chodkievicio miſſis ſubſidiis erecti, quæ partim ex Hungaris peditibus Georgii Ducis Zaſlavienſis, Jelſcii, & Sapiehæ Marſchalci Lithvaniæ, partim ex Germanis Veiheri & Lermunti erant, multâ cæde editâ à recenti peditatu accurrente repulſam accepêre. Ad divertendum verò fatigandúmque impetum hoſtilem permultum contulerat Liſoviana Ruſinovii legio cum equitum Germanorum turmis: eæ namque fortiter in hoſtem invectæ repreſſêre invadentium audaciam, conjectis in turpem fugam agminibus,

Turcæ iterum majoribus cum viribus redeunt.

Cum ſtrage pelluntur & præcipuè à Ruſſinovii legione & equitibus Germanis.

nibus, captíſque grandibus tormentis, quæ ferreïs catenis ad quercus revincta tenebantur, at cum ob magnitudinem loco moveri haud poſſent, religata à milite in vicinum detruſa ſunt præcipitium. Atque hic victoriæ curſus abripuit paulò longiùs & Coſacos, & eos qui tulerant ſuppetias, tum & cæteram è caſtris accurrentem non tam militum quàm ſervitiorum turbam: jámque ſuperato campo defenſore vacuo, ſub ipſas ſtationes hoſtium Tyræ adjacentis procurrentes, tentoria auferebant, greges armentorum abigebant, terrorem quà cædibus promiſcuis, quà ingenti excitato clamore tumultúque per Turcarum caſtra circumferebant. Sed derepente prædæ nimia cupido invaſoribus propè exitio fuit, quam dum avidiùs inſectantur hoſtium ſecuri, ii recollectis viribus rurſum ſeſe in eos effundunt, pellunt, trucidant, ad extremùm retroacti majori cum gloria quàm gaudio ad ſtationes rediêre, acceptâ in receptu non tam à temerario impetu, quàm à præpoſterâ prædæ aviditate aliquâ clade, ſecuturâ ma-

Inſequuntur fugientes Coſaci, caſtra hoſtium invadunt.

Sed prædæ nimiùm intenti cladem aliquam accipiunt.

majori ni nox inhibuiſſet: Jam verò ex adverſâ fluminis ripâ tormentis in Coſacorum ſtationem directis res agebatur: detonuêre illa continuò per aliquot horas tanto cum boatu, qualem Chodkievicius ac plerique veterani nuſquam ſe audiviſſe faterentur, & qui nonnullos militum auditu privaret: cæterùm pilarum ille ingens numerus emiſſus innoxius fuit, uni tantùm fatalis Baſilio legionis Coſacorum Præfecto. Interea advenerat nuntius ad Chodkievicum referens caſtra Oſmani ab irrumpentibus Coſacis penè occupata eſſe, hoſtémque deleri poſſe, ſi auxiliaribus copiis ultrà contenderetur, ídque, ut ferebatur, ſignificandum Petrus Konaszevicius ſolicitè curavit. Sed cautus per omnia Dux ſubſidia denegavit, quorum opportunitatem inclinatus in veſperam dies abſtuliſſet, non diſſimulavit tamen lætitiam, quam ex ea irruptione ceperat, utpote ad Oſmani arrogantiam faſtúmque contundendum opportuna. Et prout tunc erat coronâ militum cinctus, Divinam adoravit providentiam, petiítque

Ad Chodkievicium de caſtris Turcarum occupatis rumor venit.

Denegat ille ſubſidia petentibus, cur? Deo tantùm ſupplex eventum commendat.

que ſupplex ejuſmodi ad ſe crebriùs perferri nuntios maximi erga patriam ſuam teſtes beneficii, pergerétque ſui nominis propagare gloriam, opprobrium verò ingerere juratis Chriſtianorum hoſtibus. Tum illa recurrebat quæ tenaciùs inhæſerat Imperatori animo pugnæ offerendæ committendíque prælii cupiditas, ſed cunctatione aliter ſuadentium repreſſa, aliò Imperatoriam mentem avertit: videlicet partim ad corrigendas reſtaurandáſque, partim ad novas excitandas caſtrorum munitiones. Atque ita mox uno Græci ritûs ligneo delubro inſidiis hoſtium opportunè dejecto fundituſque everſo, alterum muro eductum circa quod nuper ſtrenuè pugnatum erat, Kochanovius ſuis cum peditibus inſedit, vallo recenter ducto foſſíſque: colli itidem portæ Chodkievicianæ imminenti propugnaculum impoſuit, advectíſque illuc tormentis, & utriuſque Denhoffii peditatu collocato egregiè munivit⌐.

Caſtrorum munitiones corrigi reſtaurariq; imperant.

Magni Erneſti & Gerardi.

Atrox deinde ſceleratúmque facinus in caſtris admiſſum eſt: ducenti circiter Valachi

chi ad radicem arcis Chotinenſis cum uxoribus ac liberis inter rupes veluti nidulis affixi degebant, muniti fide publicâ, quam obſequio conſtanti & juratâ clientelâ promeruerant. Apud illos frequens erat infimæ plebis hominum concurſus, aleatorum, lixarum, ſervitiorúmque, partim pecuniam, partim pignora deponentium, quæ ubi per luſum libidinémque defeciſſent, tempus condicunt quo Valachos invadant, ſparſo rumore quaſi cum Turcis tacitè colluderent, vindictámque perfidiæ duces juſſiſſent⌐. Atque igitur in omnes iram effundunt, nullo diſcrimine ætatis aut ſexûs, alios trucidant, alios ex alto in flumen præcipitant: deformis ubique facies; hinc cruor, rapinæ, alibi cum liberis fluitantes matres in gurgites propellebantur: nihil preces, nihil ejulatûs valebant, omnémque miſerationem ſævitia conſumſerat⌐. Inſolens facinus ſanguíſq; innocentum effuſus in mœrorem traxerat caſtra, & quamvis flagitio plures contaminati eſſent, aliquot tantùm in recenti crimine capti ſuſpendióque necati

Inſolentia in Polonorum caſtris lixarum ſervitiorúmque.

Valachos fide publicâ ſecuros cædunt.

Comperti sceleris suspendio necati.

cati sunt, ne in cæteros animadverteretur valetudo Chodkievicii intercessit, celabatúrque scelus: quippe periculum erat ne accensa bilis morbum, quo tenebatur, intenderet exasperarétque.

Interea Turcæ captato potiore situ castrorum partem in planitiem Tyræ adjacentem deducunt, fossis vallóque Cosacorum penè contigui: deinde rusticos Podoliæ qui cum Valachis latrocinia impune exercebant, nacti, donis muneribúsque pelliciunt ad inflammanda Polonorum castra, ad quæ illis tanquam nobilium subditis facilis ingressus esset. Et illi ad ignem per contubernia spargendum operam suam obtulerant, fecisséntque: verùm unius è complicibus à Cosacis fortuito capti indicio res detecta est, qui quidem primò quæstionibus subjectus cùm plerosque conscios nominasset, tandem supplicio affectus ut milites vigilantiæ admonuit, ita inde ad cæteros conjuratos castigatæ perfidiæ exemplum dimanavit. Scio hæc à magni nominis Historico diversè narrata, non illius tamen vitio,

Turcæ ad incendenda Polonorum castra rusticos pelliciunt.

Capitur unus sceleris conscius punitúrque.

Strada decad. 2. lib. 2.

tio, sed eorum qui ei perperam retulêre: non siluisset oculatus testis Sobiescius & Salutatores Valachos, & accensos in castris ignes, præsertim cùm minutioribus narratiunculis nonnunquam inhæreat.

Et dolo, & aperto Marte, nullâque interpositâ quiete oppugnatum ibant Turcæ Polonos, præliáque magis infesta quàm noxia inferebant, cùm post recentem ad Denhoffiorum propugnaculum acceptam ignominiam, ejus rependendæ aliam mox oblatam sibi arripuêre occasionem. Ceperant è mandato ducum inter Chodkievicii & Lubomirscii portam aliquot Centuriæ peditum stationem vallo fossâque muniendam, ii ductâ tantummodò perlevi fossâ, reliquo operi absolvendo negligentiùs incumbebant, atque exilis munitionis fiduciâ freti, defixis pro terrore vexillis segniùs agere, somno humi procumbere, custodias remittere. Zikovium & Sladkovium Centuriones ea cura spectabat: atque ii in summâ veluti pace securi, inermes, vestibúsque exuti meridiabantur. Animadversum id

Turcarum felix successus inter Chodkievicii & Lubomirscii portam.

Cujus negligentia duorum Centurionum causa.

Turcis, captatóque quo negligentiam intenderant tempore, medio planè die tantâ pernicitate impetúque intulêre se in stationem positis armis interquiescentem, ut Zikovio Sladkovióque obtruncatis, peditibus ad internecionem concisis, signísque duobus ablatis, ne unico quidem è suis desiderato castra repetierint: plurium cæsorum capitibus asportatis, quæ ad pedes Osmano abjicerent, veluti eo fortitudinis specimine gratiam & beneficentiam Principis provocaturi, nec vulgaris victoriæ exhibituri testimonium, quasi non vilium aut gregariorum hominum, sed primorum militiæ resecassent cervices.

Sladkovius & Zikovius obtruncati, pedites concisi, signa duo ablata.

At in altera Castrorum parte ad demendum Turcis gaudium, contulerat nonnihil clades ad propugnaculum Veiheri Palatini Culmensis illata, quod dum milite nusquam in vallo comparente (prout à Veihero præceptum fuerat) alacriùs fidentiúsque subeunt, rati desertum vacuúmque, subitâ inopinatâque pilarum excepti procellâ, permultis suorum amissis resiliêre cæteri à Lubomirscio dissipati, qui hostem versùs Græca delubra tendentem conspicatus, in subsidium festinè advolarat. Tandem hostes recenti ad Zikovii fossam successu audaciores facti, confertis & instructis agminibus, præteritâque fortunâ exstimulati, eódem gradum referunt celeríque cursu procurrunt. Lectissimus is Turcarum equitatus fuit, tum verò Chodkievicius debilitatum ægritudine corpus animoso vivacíque supplens sustentánsque spiritu, oculis, vultu Martem præ se ferens, cohortem propriam, quam è veteranis fortissimísque habebat, in hostem ducit, mediúmque locum inter Nicolaüm Sieniavium & Zienievicium Castellanum Polocensem capit, in subsidium Georgium Rudominam collocat, paucísque verbis, ceu tonitru, militum adstantium aures mentésque perstringens, adacto calcaribus equo in medios hostes se injicit. Idem protinus fecêre alii Imperatoris voce exemplóque velut classico excitati, impetúque tracti: & illæ quatuor hastatorum cohortes in numerosissima Tur-

Ad Veiheri propugnaculum clades Turcis infertur.

Chodkievicius contra Turcarum equitatum tendit.

Pugnat. carum agmina illatæ, à multitudine hoſtium hauſtæ abſorptæque videbantur, ſummo cum ſpectantium horrore, ipſum belli Ducem ancipiti & propè temerario auſu Se, totiúſque fortunam exercitûs in diſcrimen conjicientis miſerantium. Sed audentes juvit ipſe Deus: namque conſerti cohærentéſque inter armorum telorúmque ſtrepitus ubi perrupêre hoſtes, poſt atrocem pugnam, inchoatâ jam victoriâ ferociùs incurſantes, ſternentes obvios disjicientéſque, *Vincit.* denique haud ſuſtinentes impreſſionem Turcas, in fugam compulêre, quam illi ad ſua continuavêre caſtra: frendente Oſmano illachrymantéque ad tantam illorum ignaviam, qui non ut viri fortes auſpiciis Othomanicis bellantes reverterentur, ſed pecudum adinſtar œſtro percitarum ſparſi fugacéſque à paucis cohortibus agerentur. Rarò aliàs à paucioribus plus ſanguinis fuſum celeriúſque debellatum: ſiquidem paulò plus à ſeptingentis equitibus, non minor ſex bellatorum millibus exercitus ſeſquihoræ ſpatio profligatus eſt. Cæſorum numerus

Chodkievicii 260 equites, Sieniavii 200, Zienievitii 160, Rudominæ 100.

rus etſi incertus, magnæ nihilominùs cladis indicium dedit campus cadaveribus oppletus, & quidem fortiſſimorum quorúmque ac militiæ præcipuorum, namque nocte à prælio ſubſequenti cum facibus & vehiculis inquiſita collectáque nobiliorum cadavera fuêre. *Sex millia profligat.*

Et parta à Chodkievicio victoria aliquâ militum jacturâ conſtitit, cæſis ex diverſis cohortibus ampliùs triginta, multo pluribus vulneratis. Nicolaï Zenovicii Caſtellani Polocenſis maximè erat luctuoſa cædes: Is vir & natalibus & militiâ clarus primæque eo in bello notæ Tribunus, occiſo in conflictu equo in medios prolapſus fuit hoſtes, cúmque à ſubitò dejectâ galeâ præpropere nec ſatìs bene occluſâ nudatum caput Turcarum ictibus patuiſſet, conglobatíſque circumcirca fortiter reſtitiſſet, viginti demum vulneribus acceptis propéque ungulis equornm attritus, tandem interventu ſuorum protectus relatúſque ad caſtra eſt: ſed ſuperante jam curationem malo, ſeminecem ſanguinéque pluentem tertio die mors

E Polonis pauci deſiderati.

Zienievicius Caſtellanus Polocenſis vulneribus affectus moritur.

mors oppressit. Cecidit & inter primos dimicans Rudomina Equitum ductoris frater, sub cujus signo stipendia meruerat, juvenis ætate vigoréque præfervidus, gloriæque perquàm avidus. Sed Chodkievicium super omnes pessimè habebat vexillum ipsius interemto vexillario ab hoste ereptum asportatúmque: hinc infaustum omen deducentibus plerisque, quasi imminente fato vexillo turmæ veteri præferendo minùs opus haberet, quod ut vitæ ita & victoriarum metam brevi allaturum esset. Etsi verò novissimè excedens campo Chodkievicius cum egregiis bellatoribus universi exercitûs plausum tulisset, fuêre tamen qui dicerent oblitum fuisse partium quas ageret, plúsque virtutis suæ quàm securitatis omnium rationem habuisse.

Item Rudomina.

Chodkievicii signifer occumbit & vexillum Turcæ auferunt.

Ab illo conflictu innotuit quantum animi ferociæque decessisset Turcis: eductæ namque ab Chodkievicio posterâ die extra munimenta legiones veluti facturæ pugnæ copiam, frustra exspectavêre hostem in suis delitescentem castris. Et postmodùm lentiùs

Chodkievicius in campum educit copias, sed Turcæ non comparent.

tiús à Turcis bellatum est velitationes tantummodò intercessêre, cautis interea circumspectísque ducibus ad subitam, si quæ ab hoste ingrueret, vim: incassum etiam reboantibus barbarorum machinis, quorum fragorem miles jam contemnere didicerat. Cosaci acriùs petebantur infestabantúrque at irrito semper conatu, multâ cum invadentium cæde, venientibus præsertim in subsidium Lermunti & Denhoffii Germanonorum peditum Centuriis.

Hæc porrò dum ab extrà feliciter gerebantur, interna mala hoste pejora gravissimè fatigabant exercitum, ad eásque redigebant angustias, quæ evidens accelerare possent discrimen. Ac primùm magnis indies conflictabatur angustiis, ob interclusam è vicina Podolia rem cibariam ademtámque Camenecum liberè commeandi facultatem. Invalescebant morbi jumentis ac hominibus juxtà graves, sæváque militum contubernia invaserat contagio, grassabatúrque pestilentia infectarum undarum potu exasperata: hinc passim mortes, dein fu-

In castris Polonorum invalescit fames & pestilentia cæteráque mala.

nera commilitonum ducebantur. Idem quoque hostium per castra volitabat virus, at in ea hominum multitudine vix observabile, cùm in Polono exercitu longè numero inferiori tantò magis invalido imminutóque defectus exactiùs paterent. Accessit multorum fuga quotidiana, & probro insusto & severioribus deinde vindicata poenis: pulverem quoque bellicum à continuis sclopporum machinarúmque explosionibus imminutum longioris belli moræ haud suffecturum nunciabant ii, qui rem tormentariam curabant. Neque è Polonia venientis subsidii certa spes erat, quod adfuturum quidem sed serò nimis & intempestivè omnes sibi pollicebantur. Nec malé. Rex quandoquidem mense Augusto Varsoviam Comitia indixerat, in iisque curarum publicarum caput fuit bellum Turcicum, jámque venientis cum Osmano (de quo nonnulli hucusque addubitaverant) immensi exercitûs famâ excitatus, déque filio Vladislao Principe anxius, intimas Regni vires exciverat, indictâ ex Ordinum omnium

E Polonia tardum subsidium, ubi Generalis expeditio indicta.

omnium consensu expeditione generali, universámque nobilitatem primis diebus Octobris ad Leopolim præsto esse jusserat, inde in hostem iturus. Sed non eâ celeritate, quam præsens volebat occasio, Rex Varsoviâ movit, retardatus præposterâ inauguratione Georgii Guilhelmi Electoris Brandeburgici, cui à morte Patris jure beneficiario Ducatum Prussiæ contulerat, & Nobiles tardiùs confluebant, quorum adventus adulto jam Autumno vix sperari poterat.

Rex tardè Varsoviâ movet.

Super hæc omnia Cosacorum tumultus, & continuæ querimoniæ, quas fames accenderat, solicitudinem regentium intenderant, gravi in omnia momento, sive licentiosè digrederentur, sive manerent. Non annonam, non equis alimenta paraverant, & quanquam Lubomirscii liberalitas cæterorúmque commilitonum laborantibus succurreret, at parvo operepretio: namque illis quidquid daretur (dabatur autem perparcè) statim consumentibus, his diminutâ penu eadem mox imminebat calamitas. Bro-

Cosaci tumultuantur.

dawka tanti mali incusabatur auctor, quem in ducem turbidissimorum elegerat consensus: homo ignavissimus licentiosorum obsequens libidini, dum per scelera & populationes æquè in patrio ac hostili solo patratas, tardiùs exercitum ducit, & belli & parandæ reï cibariæ curam penitus neglexerat. Hinc adesis, quæ rapto pepererant, bonis, & copiâ prædandi præcisâ, Cosaci sua scelera unius capite expiaturi in vindictam prorumpunt, Brodawkæ imperium adimunt, Konaszewicio pristinum locum honorémque restituunt: is verò Brodawkam ad supplicium duci eíque caput amputari imperat, melioríque ordine ac strictiori disciplinâ militiam firmat.

Brodawkæ imperium adimunt: Konaszevicium substituunt.

Brodawka capite plectitur.

Konaszevicii Elogium.

Vir profectò ille erat in bellis clarissimus, & primos inter militiæ duces jure recensendus, nomen habebat Petri Konaszevicii, aliud usurpabat suetâ Kosacorum transmutatione. Saydacznii quasi pharetratum dicas sibi impositum; literarum ut plerique Cosaci rudis, ingenii sagacis, judicii maturi, de bello quoties diceret sententiam in deliberantium cœtu, quod alii ex literis scitè magis quàm peritè, ille naturali prudentiâ usúque vetus militiæ graviter disserebat. Cæterùm corpore erat laborum ærumnarúmque tolerantissimo, animi ingens, periculorum contemtor, vitæ prodigus, somni exigui, sermonis parcus, in verbísque circumspectus, crapulæ Cosacis familiari vitio nullatenus deditus, disciplinæ militaris severus vindex, ideóque sæpius à Præfectura exercitûs concitato licentiosorum impetu amotus. Maritimis quoque expeditionibus non minorem gloriam pepererat, expilatis namque direptísque Asiæ & Europæ emporiis, demersis Turcarum navibus inclaruerat, littoráque Ponti Euxini sæpius pervagatus, terrorem potentiæ Othomanæ intulerat. De Tartaris multoties victor triumphavit, quantáve in Moschovia gesserit Vladislaï auspicia ductúmque secutus, superiùs retulimus.

Konaszevicius de tumultuantibus Cosacis admonet.

Hic itaque tantúsque vir quem è plebejæ sortis conditione bellica virtus præclaráque facinora altiùs extulerant, pullulantis in exer-

exercitu Coſacorum ſeditionis Vladiſlaüm Principem cæteróſque belli duces admonuerat, certo rei gerendæ exitio, ni propere remedium pararetur. Et Vladiſlaüs notum ſibi olim fidúmque in Moſchovia hominem blandiùs compellans, magnâque præmiorum ſpe oſtentatâ ad ſedandos commilitones incitabat, cæteróſque legionum Præfectos pari excipiebat humanitate, donı́ſque pellectos emolliebat, ut mitiora ſuaderent ſuis contubernalibus præpararéntque animos ad excipienda Delegatorum poſtulata, quæ in medium ipſorum allaturi eſſent. Atque cum iis communicato jam conſilio, qui ad illorum irent ſtationem, deſignaverat Petrum Opalinium Caſtellanum Poſnanienſem, Staniſlaüm Lubomirſcium, & Jacobum Sobieſcium: qui mox ſumma cum obſervantia excepti deductíque in medium, Sobieſcium (ita cæteris Collegis viſum erat) paucis eos alloquentem audière, is enumeratis Coſacorum in Rempub. meritis præſentíque obſequio maximè collaudato, per Vladiſlai Principis ſalutem obteſtaba-

Vladiſlaüs hominem blandiùs compellat cæteróſque Coſacorum Præfectos.

Mittit ad illorum ſtationem tres Viros primores.

ſtabatur, neu carum ſibi tantæque apud illos venerationis Principem, tum & Rempublicam deſererent, extremóque involverent diſcrimini: viderent quid religioni, quid Patriæ deberent, neu partam præclariſſimis operibus gloriam præpoſteris conatibus obfuſcarent. Ad reſarcienda verò damna obtulêre Delegati quinquaginta millium florenorum donativum, ſpémque in futurum luculentioris præmii: eo præcauto, ut abſque Ruſſiæ Provinciarum noxâ certis diſcreti locis eam pecuniæ ſummam bello finito præſtolarentur. Incondito murmure & præmium impar & incertum perſolvendi æris promiſſi tempus incuſabant legionarii: Sublatus deinde clamor eſt miſere conquerentium accuſantiúmque famem & inopiam: & cùm ita aliquantiſper agitarentur, inſerentibus ſeſe in medium Konaſzevicio, Tribunis, Præfectis, cæteríſque militiæ anteſignanis mitioráque proponentibus ſuadentibúſque, tandem conticuêre, id tantùm poſtulavere acriùs, quod etiam obtinuêre, ut promiſſum

Qui Coſacis donativum offerunt.

Placantur donativo.

ſum donativum publico inſtrumento conſignaretur, & Senatorum, qui tunc in caſtris adeſſent, & Delegatorum ſubſcriptione ac ſigillis firmaretur. Ita in herba exſtincta oppreſſáque ſeditio, non tam donativi reſpectu, quàm ab unicâ quamvis ægri decumbentíſque Vladiſlaï præſentiâ ejúſque venerando Nomine & Coſacis perquam acceptiſſimo.

Nocturna Caſtrorum Turcicorum invaſio decernitur.

Quandoquidem verò jam Coſaci in officio ſe manſuros ſpopondiſſent, utendum militis alacritate Vladiſlaüs exiſtimavit: túncque expetita à multis probatáque in conſilio bellico ac ipſius Vladiſlaï ſuffragio, (diſſentiente tamen nonnihil Chodkievicio) nocturna hoſtilium caſtrorum invaſio decernitur. Hanc ſuadebant exploratores certò referentes, Turcas nullo vallo foſſâque munitos eſſe, proinde non difficilem aditum ad caſtra patêre; noctem verò aggreſſioni opportunam à captivis transfugíſque cognitum aſſerentibus, hoſtes veſtibus armíſque exutos delicatiùs ſomno indulgere, inſuper incurioſas vigilias, neglecta ſolutáque

lutáque omnia iidem referebant. Addebat animum multorum dierum quies, quæ hoſti fiduciam dabat Polonos ultra defenſionem nihil ampliùs molituros, tum & recens Coſacorum exemplum, qui nuper claro apertóque die caſtra hoſtium irruptione perterrefeciſſent. Electa itaque nox, diviſa aliis alia munia: modus aggreſſionis futuræ quandoquidem à nonnemine enarratus fuſè, eundem repetere ſupervacaneum duxi præſertim cùm res ſucceſſu caruerit. Secundâ ferè vigiliâ miles è caſtris egreditur, cúmque nihil præter auroram exſpectat, repentè imber, qui ſereno tunc neutiquam ſperabatur Cœlo, fuſus, invaleſcénſque cohibuit impetum, ſummóq; ſilentio ad caſtra rediit ob amiſſam reï gerendæ opportunitatem mœſtior. Atque ſive pluvia ſubitò decidens militis optata eluſit vota, ſive quod alii ferunt tarda ſuccedentium Coſacis Germanorum peditum auxilia (id verò mimùs crediderim, ad amuſſim tunc milite ducum mandata exſequente) in cauſa fuêre, non acceleratæ retardatæque aggreſſio-

Subitus imber impedit.

nis, id tamen non abſque Numine eveniſſe in comperto eſt, improſperum reï exitum præmonente. Et mira profectò res nec ſine omine notanda: Cœlo amœno ſudóque, in ipſo reï executioni mandandæ momento collectam ſubitò apparuiſſe nubeculam, quæ tantum demitteret imbrem, quantum ad ſcloporum uſum amittendum (quod Coſaci propterea receptum efflagitantes ducibus nuntiaverant) totúmque exercitum madefaciendum ſatìs eſſet: deinde milite in caſtra reverſo, ſubitò quoque Cœli amœnitatem ſerenitatémque rediiſſe. Neque tamen præcaventis Cœli monitum duces militéſque continuerat, quin poſt triduum decretam ſemel aggreſſionem iterum repetere deſtinaſſent, at invitis Superis: namque eâ ipſâ veſperâ noctem invaſioni caſtrorum deſignatam præcedente, Hungari aliquot Germaníque pedites transfugæ conſilium hoſtibus aperuêre, adverſúſque futura providos cautóſque reddidêre. Et poſtmodùm omnibus clarè innotuit, quantis caſibus periculíſque impreſſio illa obnoxia fuiſſet,

Non ſine omine.

Eadem aggreſſio poſt triduum decernitur, nec ſuccedit, à transfugis detecta.

fuiſſet, tunc verò duces militéſque adoravêre propitiam fatorum benignitatem, quibus res Polonas curæ eſſe è tam certis conſtaret argumentis.

Jámque Oſmanus adverſis bellorum irritâque caſtrorum obſidione fatigatus, ad pacem inclinare videbatur, tantò magis aulæ miniſtris eam depoſcentibus, quantò illis gravior immineret metus ab excandeſcente Oſmano, ob depreſſam fractámque tantis viribus ſubnixam Othomanicam potentiam, non difficilè in eoſdem malè geſti adminiſtratíque belli culpam rejecturo, capitis eluendam ſupplicio. Cùm verò in præſentia Cæſaris iis ſeſe tractatibus ultrò ingerere haud è dignitate decoróque judicarent, per intermedium Radulonem Valachiæ Palatinum pertentare Polonorum animos viſum, acſi id à ſingulari Chriſtiani Principis erga Chriſtianos proficiſceretur affectu, malíſque compatiente, ac ulterioribus bellis quæ in longum à pertinaci Oſmano ſuæque conſcio potentiæ non abſque gravi periculo Poloniæ trahi poſſent, obviante. Is itaque

Turcæ ad pacem inclinant.

Radulo ad Chodkievicium Vevellium mittit.

ad Chodkievicium literas Hungarico idiomate ſcriptas ſueto illo notóque Cretenſi Vevellio deferendas tradidit, ſuaſítque ſat ſeriò & ardenter: neu Regnum ulteriori objectaret diſcrimini, quod pace initâ ſervandi firmandíque peramplam haberet occaſionem, mitteret modò ad Vezirum nuncium quempiam ab ingenio uſúque rerum ínſtructum, debitam jure gentium ſecuritatem, éque Reïpub. Polonæ dignitate condignam apud Turcas habiturum ſe ſponſore reverentiam. Paucos ab hinc dies Vevellius dimiſſus; comitem habuit è communi Delegatorum conſilio lectum, inſtructúmque mandatis, quæ Veziro referret, Jacobum Zielenſcium aulæ Lubomirſcii Præfectum, virum & decorâ corporis proceritate, & egregiis animi dotibus inſignem, tantóque muneri parem. Poſtulata in primis à Veziro fides publica, quâ & in Turcarum caſtris, & in reditu pro more inſtitutóque gentium tutus eſſet. Monitus deinde Zielenſcius ut ſi inter familiariùs colloquentes ſpes aliqua concordiæ injiceretur, eam non penitus

Pacem ſuadet & mitti aliquem ad Vezirum poſtulat.

Deſignatur Zielenſcius inſtruitúrque mandatis.

tus

tus arriperet, neque tamen nimiùm ab ea alienum declararet animum, aſſerens, Polonum ut armis viribúſque infractum, & æquitate cauſæ armatum belli aleam non detrectare, ita nec pacem aſpernari modò nomini Polono decoram.

Exceptus Zielenſcius à Primoribus Turcarum vultu minaci rigidóque: variáque ingerentium erant terriculamenta, quibus de exercitûs Poloni conſiliis, an bello feſſus receptumcogitaret? an ſupplex pacem peteret? à perterrito, ut rebantur, nuntio quidpiam meticuloſi colligerent extorquerentve. At contrà ac ſperaverant impavidum Zielenſcii animum, ſuíſque in dictis ac reſponſis egregium & conſtantem cognovêre, & cùm poſtea cum Veziro de bello à Turcis Polonis iniquè illato ruptíſque fœderibus fortiter animoſéque diſſeruiſſet, perparcè injectâ concordiæ mentione, abrupto dilatóque colloquio reſponſum diutiùs ultra ſpem factam exſpectavit.

Zielenſcius à Turcis rigidè excipitur.

Cum Veziro animosè diſſerit.

Abrupti colloquii tractatúſque de pace intermiſſi occaſionem, ſimul & aliam Ve-

 ziro

Tractatum de pace abrumpit adventus Carakaſſii Baſſæ.

ziro mentem indidit adventus in caſtra Turcarum (quippe eodem quo & Zielenſcius intraverat die) Carakaſſii Baſſæ cum recentibus ex Hungaria copiis, proindéque inclinati ad concordam Turcæ novo ferociores auxilio, acſi debellatum foret, Zielenſcium contemtius habuêre. Præfectum in Hungaria Budæ Carakas agebat, vir bellandi peritiâ clarus, & quem fama, exiſtimatio, réſque geſtæ apud barbaros ipſúmque Oſmanum ita extulerant, ut hic ab adventu ejus lætus geſtiénſque, quaſi ultimum Polonis jugum impoſiturus truci ſe obſtrinxerit voto, Nuſquam ſe niſi in captis cœnaturum caſtris: ad hæc veluti certus excidii Polonorum, locum unde pugnam ſpectaret ſibi delegit.

Oſmanus ab ejus adventu lætus certam victoriam concipit, in caſtris Polonis cœnare vult.

15 Septemb. Ortâ luce comparuêre legiones. Turcarum prope ſilvam caſtris Polonorum oppoſitam, pòſt directa verſùs Lubomirſcii ſtationem tormenta detonuêre, ſed præter aliquot equorum ſtragem editam, & unicum è commilitonibus Stadnicii Brenicium cæſum, nihil ſingulare præſtitêre. Interceſſere

Turcæ pugnatum comparent.

ſère velitationes leves excurſionéſve, fugientium agminum ſimulatus metus ad extrahendum è vallo militem, interim unicum erat votum Turcarum in ſtativa Moſſinii perrumpere, quæ minori ſervari manu, humilíque nec ad Architecturæ militaris præſcriptum erecto cingi vallo, à transfuga Hungaro didicerant, proindéque facili per hæc in caſtra aditu. Ergo Caracas dato ſigno ad deſtinatum locum numeroſa movet agmina, ruítque tantâ alacritate, ut deſilientes ex equis Turcæ iiſque ad arbores alligatis, Janizeris immixti pugnam expeterent. Et relictis, quod non è militiæ more præviderat hoſtis, à tergo munitionibus Joannis Veiheri Palatini Culmenſis, pedite equitéque Germano inſeſſis, ſummâ celeritate ardoréque in deſignatum locum impetum faciunt. Exoritur ingens pugna inde acerrimè inſtantibus, illinc fortiſſimè reſiſtentibus: mox hoſtes ſuperaſſe foſſam per caſtra rumor tulit, tum verò miles in ſubſidium ruere, cædere, barbaros loco movere, animante ſuos Lubomirſcio recentéſque

Caracas ſtativa Moſinii furiosè aggreditur.

Pugnatur acerrimè.

que fessis submittendo. Chodkievicio verò aliis cum legionibus, & præcipuè Prætorianâ Vladislaï turmâ ad extremam vim sese reservante. Jámque ita fervor defendentium exarserat ut è vallo in medios desilirent hostes pugnámque consererent, præliúmque crebris coïtionibus conglobati repararent. Veihero ex altera parte strenuè rem gerente, certâ cum hostium clade, ipsiúsque Caracasi cæde, qui cum detracto capitis tegumento, quò magis à suis nosceretur, strictóque ferro præcurrit, inque volitantium globorum procellam sese infert, patefactâ vulneri simúlque morti fronte, pilâ tactus occubuit, momentóque tanti viri casum secuta hostium fuga stragésque, nec citiùs quàm cum inumbrante terras definens vespere. Cæteri ad prædam spoliáque jacentium versi, annulos cum digitis abscissos, vestes sericeas, barbarorum numismata, capitum ex Asiaticâ telâ integmina per castra circumtulêre ostentaveréque. Atque interea majore ausu Fehetus Hungagarus Centurio silvam ingressus, pluribus Tur-

Poloni è vallo in medios hostes desiliunt.

Veiherus strenuè rem gerit, ex cujus munitione Caracas pilâ trajicitur & occumbit.

Fehetus Hungarus Turcas cadit, equos abducit.

Turcarum necatis, equis abductis, prædâ reportatâ ovans ad suos rediit.

Quantus numerus cæsorum victoriam auxerit nihil apud auctores reperio, Polonis non adeò cruentam fuisse constat, de Turcarum ingenti clade omnes consentiunt, videtúrque aliorum capitum exclusisse computum unica mors Caracassii celebris famosíque ducis. Neque verò aliud tunc majori barbarorum comploratione exceptum fuit cadaver: quippe cooperto impositum currui, & quadrigis albis avectum asportatúmque barbaro ejulatu castra complevit. Proditor Hungarus minutim concisus proditionis pœnam tulit tanti veluti Heroïs umbræ immolatus. Improsperi exitûs cladísque Caracassii causa Usaïmus non postrema fuit, ægre ille patiebatur recentem ab Hungaria ducem, ignavum sibi regimen exprobrantem, cavillísque ac scommatibus proscindentem, feliciorémque armorum progressum certâ cum Polonorum ruinâ suo ductu Osmano perquam jactanter pollicentem: Libenter itaque Usaï-

Caracassii cadaver curru cooperto avehitur.

Quem æmulatio cum Usaïmo perdidit.

Uſaïmus Caracaſſio primas detulit, reſervatis reliquis copiis, quæ ſe duce in ſubſidium pugnanti venirent. Sed toto illo durante conflictu immotus ſtetit æmulúmque deſeruit, cujus infelix pugna tantum iterum Uſaïmo apud Oſmanum conciliaret in re bellica adminiſtranda opinionis auctoritatíſque, quantum alterius importuna jactantia detraxerat.

Pabuli inopia caſtra Polona affligit, indéque ſub ſpecie quærendi commeatûs multi fugam meditantur.

Non deerat hucuſque militi ad reprimendos propulſandóſque hoſtium conatûs animus, ſed ab intus acriter oppugnantem commeatus pabulíque inopiam difficiliùs ferebat: Tartaris arctiùs vias obſidentibus præpedientibúſque, ne quid reï cibariæ importaretur. Ergo jam pleríque ſub ſpecie quærendi commeatûs catervatim fugam meditabantur, quam ſeverum ſtitit edictum: ne quis inſciis ducibus Tyram transmittere auderet, ponſque abrumpi juſſus. Languebat indies magis magíſque à diuturno morbo viribus deſtitutus Chodkievicius, non tamen belli curas omittebat magnanimi memor dicti: Imperatorem ſtantem

tem mori oportere. Tribunos itaque Centuriones & militum primores in concionem advocat: convenêre ad tentorium ducis frequentes, cùm lecto affixus & aliquantum pulvino ſuffultus, brevibus præ ægritudine verbis quantas in anguſtias redactus ſit exercitus docet, & primùm à reï cibariæ penuriâ, tum à morbis indies atrociùs graſſantibus, deinde ab attritis viribus, equitatûſque robore ob equorum continuò cadentium mortes imminuto, proindéque Turcarum iteratos impetûs ſuſtineri diutius vix poſſe, deficiente inſuper tormentario pulvere: deinde auxilia à Rege nulla comparére, aut ſera exſpectari. Dignitatem itaque ſalutémque Principis Vladiſlaï præ oculis haberent, promeréntque de receptûs ratione ſententias, ſatiùs namque eſſe integris agminibus recedere, quàm ſparſim turpi fugâ militiam deſerere. His dictis conticuit, vultum, geſtûs, motúmque audientium obſervans: & vetus militiæ dux diſſimulatâ ſuâ ad præſens ſententiâ, animo votíſque contrariam injecit quæſtionem ex-

Chodkievicius æger Tribunos ac milites in Conſilium advocat.

De receptûs ratione ſententias exquirit explorátque animos militum interea.

 plo-

ploraturus ſenſum militis. Sciebat enim ſparſos per contubernia de diſceſſu ſermones, multis eundem ſuadentibus, commendatâ interea ſolis Coſacis & peditibus caſtrorum cuſtodiâ: alii verò cenſebant, ut Vladiſlaüs cum primariis abiret viris: quod conſilium ille averſatus, moriturum potiùs ſe in caſtris dixit, quàm fœdo receptu ſubiturum ignominiam.

Chodkievicii ſermone excepto mirari Tribuni militéſque ſeque mutuò reſpicere, unde hæc vox ingloria veteri & tot palmarum excidiſſet duci, qui antea pugnæ cum hoſte conſerendæ cupidus, ultimam prælii aleam tentandam multoties ſuaſiſſet, nunc verò de receptu rogaret ſententias. Tum verò unanimi voce omnes conclamant: glorioſè potiùs pro patria occumbendum eſſe, quàm turpem fugam viríſque militaribus indecoram arripiendam. Non dubitarent duces de ſuo conſtanti obſequio, dicto etiam ſacramento ſi ita libuerit confirmando. Idem ſenſus Konaſzevicii Coſacorúmque fuit cum reliquis alacritate promtíſque

Miles glorioſè occumbere mavult quàm ſeſe in Patriam recipere.

tíſque

tíſque ſtudiis concertantium. Collaudat Chodkievicius generoſam militum ad quævis pro patria ſubeunda pericula promtitudinem, durarent inquit interim perferréntque pauliſper incommoda, ſéque rebus ſervarent ſecundis, brevi de hoſte & à forti militis dexterâ, & ſuâ mole ruituro caſuróque triumphaturi. Obtulit inſuper ſuo Delegatorúmque nomine unius trimeſtris gratuitum ſtipendium, ultra debita perſolvendum æra. Atque hac ſpe donativi recreatus miles novos ſpiritûs animóſque ſumſerat, & pauco interjecto tempore, ad conquirendum à Cameneco commeatum expeditus erat Nicolaüs Koſakovius ſpectati animi Tribunus Præfectus Viſnenſis cum aliquot turmis levis armaturæ equitum peditibúſque è Vladiſlaï legione ſelectis centum, inſtruxerátque carraginem, quæ iter facientibus pro munimento contra Tartarorum inſultûs eſſet.

Laudat Chodkievicius Generoſos ſpiritûs & donativum offert.

Nicolaüs Coſacovius ad conquirendum commeatum expeditur.

Multoties ab omni caſtrorum parte fortunam tentabat hoſtis, ſolitâ incurrens ferociâ: at obſtinatâ Polonorum virtute re-

 preſ-

pressus, suis indoluit cladibus, ingloriúsque abscessit, & quos Osmanus vinci posse speraverat totâque virium suarum mole appetierat Cosacos, ii in mediis ejus castris, & penè in oculis Turcas ad cædem quæsivêre. Namque quatriduo pòst à morte Caracassii eam castrorum partem ubi ipsis stativa erant noctu adorti, Turcas somno deditos incisis tentoriorum funibus aut suis tegumentis coopertos trucidant, prædam rapiunt, equos, camelos abigunt: excitatis verò hostibus armáque corripientibus dant suis commilitonibus quos vigiles constituerant signum; oritur & ab aggressoribus & à vigilibus clamor, cùm hostis à tergo frontéque exterritus quasi undique teneretur in diversa fugiens, latam prædâ onustis Cosacis exeundi aperuit viam, spolia, signa, vexilláque rapta deportantibus. Prima hæc castrorum aggressio, quia prospera, miram Cosacis alacritatem indidit, ita ut geminatis postmodùm eadem adorti. promiscuas inferendo cædes magnam trepidationem intulerint, nocte præsertim, quæ patrando faci-

Cosaci Turcarum Castra aggrediuntur. 18 Septemb.

Et quia prosperè iterum redeunt.

facinori potissimùm deligebatur. Sed Taki Bassa interfecto, & Usaimo propè intercepto, famam metúmque sui auxerant, qui vestibus exutus æréque spoliatus, cùm è manibus Cosaci ferrum intentantis elabitur, vagus in proximo nemore latuit, donec inalbescens dies pavidum lacerúmque ad suos redeuntem, víxque agnitum reduxisset. Jámque interceptus pons tenebatur, interrumpíque magno Turcarum damno poterat, nisi victores prædæ inhiantes egregii memorandíque facinoris occasionem corrupissent, convolantibus interea Turcis animósque à metu resumentibus, Cosacis verò sat gloriæ partum existimantibus, si cum spoliis abscessissent incolumes.

Stragem Turcis inferunt & Taki Bassam occidunt, Usaimus vix elabitur.

Monebatur interea Vladislaüs à medicis Ghodkievicii morbum magis magísque ingravescere, de instanti vitæ termino ex accessionum decessionúmque circuitu præsagientibus, tum verò reliquæ militiæ curæ ægro Principi incubuêre, quibus remedium à Senatorum Delegatorúmque consilio poposcit. Censuêre illi castrorum ambitum

Vladislaüs de periculoso Chodkievicii morbo monetur à medicis; cum Delegatis consultat.

bitum latè diffusum, propter invaletudinem militum accisasque vires stringendum coarctandúmque: Regem verò quantocius edocendum, tum de Chodkievicii desperatâ valetudine, tum & de belli statu. Et Lubomirscius ad quem jam universi exercitûs regimen spectabat, celerrimè opus aggressus Veiheri propugnaculum dirui jussit, & reliquas munitiones breviore circuitu stringi, & Cosacorum stativa propè Denhoffii vallum admoveri mandavit: ita tamen dextre providit, ne hostes à coarctatis munitionibus famâ exinde minorem æstimarent exercitum. Sed super hæc solicitum inprimis habuit Lubomirscium Zielenscius ad Turcas missus tardiùs comparens, verebatúrque ne post tot atroces Turcísque cruentos conflictûs, graviùs in illum aliquid statuissent barbari, jus legationum fidémque suis metientes commodis: cúmque ita anxiè exspectatur, eodem penè tempore cum Vevellio redierat. Usaïmi cunctatio virum detinuit, qui omnes captabat occasiones intentúsque erat, an non cum recentibus Carakassii

Lubomirscius munitiones contrahi jubet bre-viorique circuitu stringit

Zielenscius e castris Turcarum cum Vevellio redit: cur tardiùs venerit.

rakassii copiis, támque obstinato suorum impetu ipsâ quoque sponte veniret victoria, aliàs tunc tantùm opus haberet pacis tractatibus, prout adversa belli tulissent. Nec levem moram fecit repentina Magistratuum mutatio, quippe Dilaverius Mesopotamiæ Præfectus summâ primùm authoritate nixus, quam à sancito cum Persis fœdere emeruerat, deinde & opibus quas ingentes ex Asia advectas Osmano talium summè avido obtulerat, emto insuper potentium aulicorum favore, magni Veziri officium amoto Usaïmo adeptus erat, magna cum Osmani vulgíque gratulatione, damnosi utique belli jam pertæsi, adversámque fortunam in ministros plerumque rejicientis referentísque. Proinde Dilaverius ob ætatem decrepitam quietis quàm belli studiosior, introspectísque Turcarum animis ad concordiam propendentibus, Zielenscium benignè humanitérque exceptum factâ spe pacis dimisit, venturóque Legato liberi commeatûs tesseram transmittendam pollicitus est.

Zielenscius è castris Turcarum cum Vevellio redit, cur tardiùs venerit.

Usaimus Veziri Officium Dilaverio cedit.

Chodkievicius in arcem Chotinensem defertur & moritur.

At verò Chodkievicius cùm viribus indies magis recedentibus vitæ restitui non posset, humanis valedicturus curis in arcem Chotinensem deferri se jussit, ibidémque in Lubomirscium jus omne belli regiménque transtulit, paucísque pòst diebus superstes VIII Kalendas Octobris, à meridie inter secundam & tertiam horam magnâ utique pietatis significatione decessit.

Elogium illius.

Et sanè in hunc Heroëm Sarmaticum, & paterna Chodkieviciæ Domûs & materna Zboroviæ decora confluxêre: hæc quidem Palatini Cracoviensis filia, fratrum in Rep. eminentissimorum soror, & penès quos tunc in Regno Poloniæ summa erat potentia, cùm splendidis natalibus fumosas clarissimorum virorum imagines veluti paternos in sinu ferens Deos ad maritum attulerat, æquali sanguinis prærogativâ conspicuum, & qui majores suos celeberrimis summísque functos honoribus, ab ipsis Magni D. Lithvaniæ exordiis haud vanè memorare posset: eminebátque tunc & Marschalci supremi dignitate, deinde Castellani Vilnensis

Parentes.

nensis honore, armorúmque & militiæ Præfecturâ auctus erat. Ejus igitur patris & virtutum & gloriæ felicissimè adierat hæreditatem Carolus, ac juvenis primùm à poculis M. D. Lith. fuit, dein in Gubernatorem Samogotiæ, quæ dignitas Senatoria, est evectus, tum supremus armorum per Lithvaniam Præfectus creatus, ad extremùm eo cum munere Palatinatum Vilnensem beneficio Regio obtinuit. Sed potissimùm in tractandis armis militaríque scientia magnorum Imperatorum tam prisci quàm recentis ævi adæquavit gloriam, illúdque maximè pertinuit ad ejus altitudinem animi, quod nullum unquam genus hostium vel numero majus, vel famâ insuperabile expavit. Fertur illius magnanimum dictum Sarbievii metro elegantissimè inclusum, cùm Turcam tot millibus innumerísque propè turmis validum imminere rumor ubique spargeret, respondit: *Veri nuntia fama num sit, hic hostem mihi computabit ensis.* Testis & illa ad Kirchholmum celebris pugna, ubi parvâ trium millium & trecentorum

Magistratus.

Animus imperterritus.

Ad Kirchholmum de Suecis victoria.

torum manu, ſexdecem hoſtium millia è Germanis, Gallis, Belgis, Suecíſque collecta, Marte aperto, acie utrinque inſtructâ, invaſit, delevit: cæſis (raro exemplo) novem millibus, cùm ſuos tantùm paulùm ſupra octuaginta deſideraſſet, captis quingentis, relatis militaribus ſignis pluſquàm ſexaginta, tormentis ademtis undecim. Ex primariis occubuêre Fridericus Brunſvicenſis Dux, alter Luneburgenſis. Andreas Linderman illius militiæ cum imperio Præfectus, Mansfeldius ſaucius fugâ ſe eripuit, & ipſemet Carolus Regni Suetici invaſor vulnere affectus ægre ad naves profugit. Tanta illi támque conſtans ſemper præliorum felicitas fuit, ut in iis perpetuò victor nunquam victus diſcederet. Parnaviam recuperavit, Rigam, Dinamuntum, Derpatum, Vaiſenſternium hoſtibus quà profligatis, quà ſubmotis defendit. Volmariam duobus totius exercitûs Præfectis captis, cæteris verò profligatis expugnavit. Suecorum naves in mari ſuccendit Verus Livoniæ Hector, cujus ille quoad vixit moraba-

Vrbes ab hiſce recuperat.

rabatur fata, ſummâque cum laude delatum ſibi à Rege Ordinibúſque Gubernatoris titulum geſſit.

Livoniæ Gubernator fuit.

In Moſchovia Chodkievicii conatibus ſucceſſibúſque nulli obfuêre magis quàm milites, qui ſtipendia importuniùs expoſcentes, renovatâ multoties ſeditione & victorias ipſi ſuas corrupêre, & Chodkievicio ægritudinem animi talium impatientiſſimo arceſſivêre. Non tamen ego prorſus inter infelicia numeraverim ejus in Moſchovia adminiſtrationem, in qua ille ſemper victor parvâque manu cum ingentibus Moſchorum copiis decertando militem ſervavit: & in altera cum Vladiſlao expeditione rem egregiè geſſit, prout ante memoravimus.

In Moſchovia ejus conatûs militum ſeditiones retardant.

Diſciplinam militarem ſeveriſſimè exigebat, proindéque non adeò acceptus militi, à qua expeditionem Chotimenſem exorſus, capitis damnato nobili commilitone odium plurium incurrerat; aliàs iræ deditus & inexorabilis dux, ſed qui licentiæ Polonæ maximè conduceret: niſi enim

Diſciplinæ militaris rigidus exactor.

eo diſciplinæ rigore tanquam fræno injecto contineatur, fruſtra ſibi Imperator de hoſte victoriam pollicebitur. Ea ſæpiùs florentiſſimos peſſumdedit exercitûs, & protruſura eſt aliquando Rempub. in ruinam, hæc gentis nimiùm ſibi indulgentis laſciviens libertas. Ut verò rigorem intenderat, ita militum ſpes ſummâ benignitate ſuſtentare ſolebat: namque non tantùm eorum virtutem immodicis præconiis amplificabat, ſed præſenti alacritate, armis, equis, veſtibus, auro in magna opum affluentia ſuppetenti donabat, vir ubique ſplendidus ac magnificus, & qui liberalitatem exercere opportunè noſſet. Ad extremùm Imperatoriis artibus exquiſitè inſtructus eorum famam ad exteros tranſmiſit, meruítque in hortis Mediceis ſtatuam inter eminentiſſimos Duces collocatam, perpetuum magnanimæ virtutis tropæum.

In milites ejus liberalitas.

Statua ipſi poſita in hortis Mediceïs Romæ. Sarbievius in Epigram.

Splendidis Chodkievicii natalibus fortuna illuſtribus arriſit connubiis: & primò quidem Zophiam Meleciam ſibi junxerat Palatini Podoliæ & ſupremi exercituum in

Uxores Chodkievicii.

in Regno Poloniæ Ducis filiam, viduam à morte Simeonis Ducis Slucenſis, cujus antè uxor fuerat. Eâ defunctâ cum Anna Alexandri Ducis Oſtrogiæ, & Palatini Volhiniæ filiâ matrimonium firmaverat. Utramque conjugem habuit ſanctimoniâ, innocentiâ vitæ, pudicitiâ inclitam, opibúſque hæreditariis in mariti Domum illatis illâ tempeſtate celeberrimam: utpote illam Meleciorum, hæc Oſtrogiæ Ducum, exſtinctis familiæ capitibus ſucceſſoribúſque maſculis, bona fortunáſque afferentem. E priore conjugio filio filiâque auctus: ſed hanc tantùm ſuperſtitem vidit Joanni Staniſlao Sapiehæ M. D. Lithv. Marſchalco nuptam, filium verò unicam Domûs ſuæ ſpem præmaturâ ſibi ereptum morte luxit.

Liberi.

At ſuper omnia præclariſſima Chodkievicii facinora pietatem ego non omiſerim, quæ in eo ſumma eximiáque fuit. Munditiem animæ tanti fecit, ut nullam paulò graviorem noxam Deíque offenſam apud ſe ferre diutiùs poſſet: ideóque pluribus ante obitum annis ſingulis hebdomadis conſcien-

Pietas.

ſcientiæ labes ſollicitè confeſſus excutere, Cœleſtíque ſupplex reficere pane ſolebat, diémque Sabbativum huic ſacraverat pietati, utpote Cœlorum Reginæ Virgini Deïparæ, in cujus ſe totum tradiderat clientelam, veteri Eccleſiæ dicatum inſtituto. Imò nec aliquam expeditionem ſuſcepit, aut ſigna cum hoſte contulit, quin ante ſupremum Numen propitiaverit Cœlitúmq; imploraverit opem. Exſtant exſtabúntque perennia pietatis illius monumenta quoad viget vigebítque Orthodoxa religio, fatebuntúrque pii Ducis munificam manum erecta templa Cœnobiáque, Cretingæ Divi Franciſci ſodalibus, Bichovii Canonicis Regularibus congregationis Lateranenſis, apud Croſenſes Patribus Societatis Jeſu.

Templa erecta & Cœnobia fundata.

Ætas Chodkievicii & quid inſius morbum irritaverit.

Ætas viri ſupra ſexageſimum annum proceſſit, quæ tamen fatum haud arceſſivit vivido aliàs corpori, niſi illud continua ægritudo animi acceleraſſet. Hanc verò irritavit partim bellicus apparatus non ad præſcriptum Comitiorum conſiliorúmque ſuorum inſtructus ordinatúſque, proinde præclara

præclara quæque molienti adverſus: partim tarda ſubſidia majoribus indies preſſo anguſtiis exercitui venientia, & quod ſummè ejus cor exedebat, additi videlicet arbitri moderatoréſque bello veterano expertóque Duci, dignitatíſque ſuæ tenaciſſimo & novæ gloriæ decoríſque avidiſſimo. Itaque geminati imperii impatiens, ingens animi Imperator, rerúmque olim à ſe geſtarum nimiùm memor, ex mœrore contabuit: id tamen mors præmii attuliſſe viſa eſt, ut confecto feliciter bello inter victoriæ plauſûs ſuo in triumpho conderetur. Corpus Chotimo Oſtrogium deportatum, ibidem decimo quarto poſt obitum menſe ab uxore ſummâ cum exſequiali pompâ tumulo magnificè exſtructo illatum eſt.

Oſtrogii ſepultus

Evulgatâ in caſtris Chodkievicii morte, effuſâ virtutum commemoratione deflevêre milites ducem, & quem olim rigidum nimis exactorem diſciplinæ metuebant inculpabántque, jam tum deſideravêre mortuum, ſublatámque ex oculis quæſivêre virtutem. Vladiſlaüs certè ad tanti viri caſum

In caſtris Chodkievicii mors deploratur.

ingemuit indoluítque, quod eo tempore, quo maximè Rex Résque pub. & ipſe opus haberet, ſummo fidóque militiæ duce orbaretur. Et mox excepit nova Principem cura: namque Lithvanæ legiones Lubomirſcio obſequium denegabant, unius Vladiſlaï regimini ſeſe ſubjicientes, alterius nullatenus paſſuræ imperium. Tum verò Vladiſlaüs accitis Primoribus: *ſcire ſe* inquit *in hac Lithvanorum ad Polonos acceſſione conjunctionéque, in unum nomen Imperiúmque, unámque coaluiſſe gentem, ſolis tantummodo honoribus officiiſque diſcretam diſtinctámque, nunquam tamen dedecori duxiſſe Polonos in abſentiâ ſuorum Imperatorum Lithvano paruiſſe Duci. Vixiſſet utinam Chodkievicius, conſtantem obſequii facilitatem prout expertus erat à tam numeroſo Polonorum exercitu habuiſſet, quam nunc paucæ ac longè inferiores numero Lithvanæ copiæ Lubomirſcio denegarent, quem collegam Chodkievicii Rex Réſque publica unanimi Comitiorum conſenſu dixiſſet. Se certè Lubomirſcii regimen agnoſcere velle, nec infra Majeſtatem ſuam videri, ſi illi obtemperaret, penès quem jam armorum bellique ſumma eſſet.* Ruborem incuſſerat memorandum in Principe Regíſque filio modeſtiæ & comitatis exemplum Lithvanis ductoribus militibúſque, & mox tacito illo convicio faciles in Lubomirſcii traxit obſequium, qui advocato bellico ſenatu compluribúſque militum de ulteriori progreſſu belli diſſeruit, & quaſi auctoritatem ſuam firmaturus promiſſum trimeſtris ſtipendii donativum confirmavit.

Lithvanæ legiones denegant obſequium Lubomirſcio.

Vladiſlaüs accitis Tribunis negotium componit.

Vladiſlaüs Lubomirſcii regimen agnoſcit.

Lubomirſcius ſuam authoritatem firmat.

Atque hæc dum in caſtris geruntur, non deſinebant Turcæ repetitis inſultibus bellorum momenta experiri ſortémque propitiam provocare: & nullâ datâ quiete ruebant, ut laſſatis tandem defenſoribus, & invadentium numero & continuato impetu oppreſſis, victoriam ſimul & finem belli lucrarentur. At nullibi cœptis illorum aſpirante fortunâ, conatûs multo ſanguine damníſque defeſſos miſere querulabantur. Tum verò Oſmanus temeritatis ſuæ conſcius, pudore acriùs accendebatur, quòd petitis fruſtra oppugnatíſque caſtris nihil proficeret, deinde commotæ Orbis exſpectationi, intentíſque ad exitum belli ab ejus præ-

Turcæ iterum fortunam tentant.

Oſmanum pudor & rabies exſtimulat.

præſentiâ celeberrimi, Regibus Principibúſque, non ita reſponderet, quemadmodum à formidandis Othomanæ potentiæ viribus ipſo præſertim ductore Cæſare, Regno Poloniæ viciníſque ejus Provinciis metuebatur: prævidebátque è Cœlo cum autumnalibus pluviis rigoréque mox adfuturo certam exercitûs ſui ruinam: tandem irâ præceps excandeſcénſque ultimum furorem rabiémque exſeruit, & prout vires morientium in noviſſimis intenduntur, quidquid virorum copiarúmve in caſtris erat educi imperat. Quadraginta & amplius tormenta miræ magnitudinis in caſtra obverſa, viginti quinque ad Tyræ ripam contra Coſacorum ſtationem deportata, additis Tartarorum millibus propè triginta horridis clamoribus metum intentantibus, littúſque incurſantibus, quaſi jamjam trajecturi flumen aggreſſuríque Coſacos eſſent. Sed ille machinarum terror vitatâ pernicie à militibus, ſupervolantibúſque munimenta globis è loco leviter in planum devexo excuſſis, haud æquavit detrimentum. Plus in-

Tormentis res primùm agitur. 28 Septemb.

inerat ab altera parte periculi, petebatúrque crebris ictibus Vladiſlaï ædicula, niſi propitium Numen volantes pilas ſtitiſſet arcuiſſétque: unus nihiolminùs è cuſtodia Principis Scotus humi tunc æger decumbens, dum ad capiendum cibum caput paulùm elevaſſet, tormenti ictu ſublatus eſt, memorando tunc exitu, ut qui ob ægritudinem timeret fatum, aliunde illatum repentè exciperet.

Abſque effectu: unus tantum Scotus occiditur.

Inter reboantes machinas nihílque ſummo cum fragore tonitrúque interquieſcentes, quas millenis ictibus caſtra petiſſe ferunt, admota deinde vis cùm in omnes partes, tum maximè intento in Liſovienſium velitum & Denhoffiorum ſtationes inſultu: Et has ſanè egregiè munitas inſeſſáſque à Germanis peditibus majoribus ſclopis inſtructis non ſine clade tentavêre, dúmque his aſſiduis miniméque irritis ſcloporum ictibus excepti arcentur, procurrunt extremo validóque conatu ad Liſovienſium vallum, patente acceſſu per negligentiùs dirutas veteres Zaporovienſium Coſaco-

Liſovienſium Velitum ſtatio impetitur.

 rum

rum foſſas: & plerique Janizerorum ligneïs muniti ſcutis quæ invaſores à ſcloporum ictu latè contegerent, cæco ruebant impetu. Liſovienſes quia acinace tantùm & fiſtulis armati, equeſtribúſque aſſueti præliis, & loco infirmiore humili præcincti vallo conſtiterant, in maximo verſabantur diſcrimine. Oritur itaque ingens clamor, dum hi prærapidi obſtinatíque ſigna inferunt, illi connixi repellunt, conſeritur pugna mortíſque aut ſubeundæ, aut inferendæ; miles neceſſitate coactus in hoſtem fertur, qui cæcus irâ, & vindictæ cupidine abalienatis à periculo ſenſibus, nullo ſuorum cadentium metu perrumpit, & poſt acrem pugnam multo tamen defenſoribus iniquiorem in locum ſeſe infert, ac inter eas anguſtias contractis Liſovianis, cùm & ipſi præ ingruente hoſtium multitudine animos ferociámque contraherent vacillaréntque, viderétque Lubomirſcius legionis diſcrimen ac deſperatam propemodùm ſtationis defenſionem illico auxilium ſubmitit, decimo quoque ex omnibus cohortibus abſtra-

Summo cum illorum periculo.

Lubomirſcius ſubſidium mittit.

ſtracto, tum in unum coactos ordinatóſque ubi laborabatur in hoſtes ire jubet. Et Vladiſlaüs, qui licèt æger decumbénſque è tentorio quotidianas belli curas non omittebat, accito ad ſe Nicolao Kochanovio peditum ſuorum ductore, pergeret inquit ferrétque Ruſinovii legioni quantociùs ſubſidium, in manu, armis, locóque retento omnia ſita eſſe: tum Scotos Hibernóſque fidiſſimos ſui cuſtodes eódem properare jubet admonitos veterani expertíque roboris ſui conſtantíſque erga Principem fideï.

Et Vladiſlaüs Kochanovium cum peditibus, Scotos & Hibernos properare jubet.

Summâ contentione alacritatéque delecta agmina in hoſtem procurrunt, exoritur cruentum certamen, reſumit à recenti ſubſidio animum Ruſinovii legio, conglobati omnes confertíque inſtant acriùs, redintegratâ utrinque pugnâ ſi unquam alibi ferox & memorabilis, fuſi hoſtes, ſequitur clades, deinde fuga, & quem diem victoriæ deſtinaverant, penè ſuis viribus ſupremum habuêre: non diffitentibus Turcis poſtmodùm eo in conflictu Oſmanum præcipuum exercitûs ſui robur amiſiſſe. Theophilus Szem-

Pugnatur acerrimè cum hoſtium clade.

Quam auget Szembergius strategemate.

Szembergius acceleratæ victoriæ egregiam laudem tulit. Exstruxerat ille in editiore colle subjectam despiciente planitiem repentinum propugnaculum, tectum undique frondibus arbustísque, quod hosti virgultorum speciem exhiberet: imposuerátque duo tormenta, tum induxit quinquaginta Hungaros pedites, & Thomæ Zamoscii Palatini Kioviensis aliquot decurias, lateréque jussit, quoad necessitas & occasio provocaret. Turcæ locum præsidio vacuum rati, sæpius obequitantes, cum & quies & silentium metum insidiarum eximeret, accurrunt veluti se illuc securiùs recepturi, quos propiùs in unum conglobatos agmen nactus Szembergius, effusâ pilarum glandiúmque tempestate penè ad internecionem delevit, reliqui ab erumpente è castris milite concisi prostratíque. Totus ille dies Polonis felix auspicatúsque fuit hosti verò ab octava hora matutina ad vesperam continuo impetu insultúque decertanti propè fatalis. Et hunc quidem prout observatum à nonnullis lego, dicatum fuisse Divo

Polonis hic dies faustus, Turcis penè fatalis.

Divo Venceslao Bohemiæ Regi, ejusdem cum Polonis originis primóque Regni in recenter susceptæ religionis Chistianæ primordiis Tutelari, multísque non inconsideratè persuasum est, victoriam non absque cognato & commilitone Divo Polono venisse.

D. Venceslao sacer, & piè creditur tunc vel maximè Patrono.

Ultimus Osmani impetus iniquis & renitentibus fatis inchoatus peractúsque, iterum ad pacis consilia animum aliàs ferocem pertinacémque revocavit. Redierat interea ad castra Vevellius nuper ad Vezirum remissus, ad conquirendas assertitias literas publicæ Legatorum securitati servientes, attulerátque sufficientes. Profecti igitur Stanislaüs Zoravinscius Castellanus Belzensis, & Jacobus Sobiescius Palatinides Lublinensis, & quia res non patiebatur moram propter sinistrum malevolorum sensum interpretationémque, deposuerunt instrumentum à plerisque Senatoribus ac Delegatis subscriptum, quo tractandæ pacis conditiones continebantur apud Andream Szoldrscium Regi à secretis,

Turca ad Pacis Consilia redeunt.

Zoravinscius & Sobiescius ad Turcarum Castra proficiscuntur. 29 Septembris.

& Principis Vladiſlaï Cancellarium. Addidit Legatis Vladiſlaüs munera è ſupellectili militari depromta, quæ Oſmano ejúſque Purpuratis non ipſius ſed ſuo nomine deferrent, & Lubomirſcius tanquam eâ tempeſtate copiarum ſupremus dux ad eundem literas.

Excipiuntur honorificè à Turcis.

Ingreſſu caſtrorum obvios habuêre honoris causâ prodeuntes Turcas, viros ætate provectiori militiâque claros, è quorum numero unus nomine Dilaverii ſupremi Veziri Legatos brevi ſed amico ſermone compellavit, idem officii præſtitum à Radulone Palatino Valachiæ per ſelectiores è ſuo comitatu aulicos, prope cujus tentoria ſtatio Legatis aſſignata erat, deducentibus illos Turcis ad locum deſtinatum ſplendidè, nec ſine oſtentatione caſtrorum jactantiâque. Ubi iterum comparuêre Proceres Valachi ſalutationis officium à Radulone deferentes, omníſque commeatûs copiam ab amico Principe utpote Chriſtiano pollicentes. Magni ſe æſtimare eam Radulonis humanitatem ſignificavêre Legati per Trzelatko-

Et à Radulone quem primò per Tzielatkovium.

latkovium aulæ Sieniavii Præfectum, tunc verò primæ in ea legatione ob ſingularem prudentiam notæ, conteſtatíque ſuam erga eum propenſiſſimam voluntatem; poſtulavêre ut de tempore, modo tractandæ pacis fidenter ſententiam ſuam aperiret. Mox & ipſi acceſſêre Palatinum, adventum Legatorum extra tentorium præſtolantem, ubi poſt officia mutuáſque venerationes, redditis à Lubomirſcio literis, id unicum ipſius exploratæ commiſêre amicitiæ, quatenus iis præciſâ longiori morâ ad Dilaverium facilem promtúmque procuraret acceſſum. Quâ in re prout & in conciliandâ pace non ſegnem ſe præſtitit Radulo, móxque ejus operâ patefacto ad Vezirum aditu arceſſiti Legati auditíque. Ubi ſuccinctè Caſtellanus Belzenſis fidem Regis Reïque publicæ Polonæ in antiquis cum domo Othomanica fœderibus ſacroſanctè ſemper ſervatam conteſtatus eſt, ea verò ut iterum coaleſcant cum mutuæ amicitiæ incremento, id à Dilaverii auctoritate quam tanquam ſupremus conſilii arbiter haberet, depen-

Deinde & ipſi accedunt.

Adeunt, & Vezirum alloquitur Zoravinſcius.

 dere,

dere, hanc porrò in tam salutari pacis negotio sincerè pro sua prudentia interpositurum, minimè se dubitare. Eâ perhumanâ salutatione, gestu composito placidóque, & voce affabili studium suum erga commune pacis bonum luculenter declaravit Dilaverius, illud Legatis insinuavit, ut ob commodiùs instituenda colloquia, stationem inter sua & Bacci Bassæ tentoria transferrent. A Dilaverio itum ad Machometani delirii sacrificulum, & quia Osmani pueritiæ moderator erat, carum idcirco acceptúmque Principi: nec is pacem aspernari videbatur, ad quam promovendam operam suam obtulit.

Comiter Legatos accipit.

Prout & superstitionis Mahometanæ Præses.

Dum hîc officiis veluti futuræ pacis prænuntiis certatur inter Legatos Primatésque Turcarum, hostili interea animo armísque in consueto Martis campo à milite certabatur, non desinentibus Turcis iterum Polonorum munitiones aggredi acceptásque ulcisci clades, aut certè novo aliquo insigni facinore inclarescere: stimulabat pudor, accendebat spretarum contusarúmque virium

Turcæ tamen acceptas clades vindicare volunt.

rium injuria, eóque acriores intendebant velitationes: quin etiam ausi plus quàm velitari prælio contendere, majori semper Polonorum gloriâ, summa verò cum strage fugâque suorum: unus tantùm desideratus est iis in conflictibus Jacobus Kriniecius Alexandri Prusinovii hastatorum turmæ Subcenturio. Ita non respondente per omnia votis hostium successu, illud unicum restabat consilii, ut Osmanus eductis ultra Tyram agminibus, calcatóque hostili solo oppidum aliquod vicinum invaderet, quo intercepto expugnatóque famam expeditionis suæ non irritæ in universum Orientem extenderet, ad eam attentis ibidem Persis cæterísque Othomanæ æmulis: aliàs è vano tanti apparatûs præsentis Imperatoris conatu, in posterum de fortuna viribúsque ejus contemtim judicaturis. Deportatis igitur trans Tyram copiis, primam inquam incurrerent arcem nacti Paniowce dictam Potociorum gentilitiam, magis ad elegantiam amoenitatémque, quàm ex arte militari excitatam, paucis tunc sed

Kriniecius occumbit.

Osmanus ultra Tyram pergit, cupiens aliquo facinore inclarescere.

Paniowce Potociorum arcem oppugnat.

ſtrenuis inſeſſam defenſoribus. Admota tormenta, repetiti inſultûs irriti fuêre, & unde exſpectabatur Oſmani gloria, inde pudor & rabies ſortem ſuam accuſantis ſecuta. Sed longè major metus Turcas invaſerat à Sigiſmundi Regis cum univerſa nobilitate adventantis copiis, earum numerum rumore augente evulgantéque, tum & captivis in idem conſentientibus.

Necexpugnat & abit inglorius.

Pax tractatur ferventiùs.

Inde ad tractandam pacem reditum eſt, & celeriùs ferventiúſque de conditionibus agi cœptum per Radulonem, cui Dilaverius primam glaciem frangendam commiſerat, expiſcaríque juſſerat quæ facilitas in iis accipiendis Legatorum eſſet. Inter multa ab utrinque diſceptantes duo maximè in controverſia fuêre; Coſacorum coërcitio pœnáque, & munera quæ loco tributi Oſmano Conſtantinopolim mitti ſedulò efflagitabat. At Legati rejectâ animosè utrâque conditione, negatâque, poſt varios rationum conflictûs, congreſſum illum diſſolverunt. Et ad Coſacos quod attinet, ut omne robur, ita & rabiem ſuam odiúmque

Duas conditiones Legati animosè rejiciunt de Coſacis coërcendis, & tributo dando.

que Oſmanus in eos verterat, excidium illius militiæ animo volvens. Implacabilis iræ argumentum fuit edictum per caſtra evulgatum, ut quiſquis Coſaci caput adferret quinquaginta aureorum præmio donaretur. Hinc Tartari ſæpius illuſêre Oſmano; aggreſtium namque colonorum in Podolia captorum amputantes capita, quaſi Coſacorum eſſent deferebant, ſummè geſtiente barbaro, acervúmque capitum magna cum voluptate inſpiciente oculóſque paſcente. Sed callidiore conſilio Turcæ agebant: quippe cum non poſſent excidio inviſi agminis, injectâ ſaltem inter Polonos & Coſacos perpetuâ diſſenſionum ſimultatúmque materiâ, eoſdem tam præclaro deinceps privarent militiæ robore ſubſidióque; injici autem non poterat efficacior quàm ſi pœnæ expoſiti rupta fœdera ſupplicio expiarent. Quod à Coſacis olim prævíſum erat, ut ſuprà meminimus, ideóque niſi datâ fide receptâque ſponſione ad eam ſe accinxerant expeditionem, & Delegati in nupero cum iiſdem conſeſſu, idem ſanctè firmaverant. At

Coſacorum capita 50 aureis æſtimantur.

Turcæ Coſacos abalienare à Polonis ſtudent, quali aſtu.

At Dilaverius postea quam à Radulone percepit ea pactionum capita penitus aspernari Legatos, eos ad secretius evocat colloquium, acsi majorem vim à supremi Magistratûs auctoritate reverentiâque ad persuadendum allaturus, idémque seriò proponit urgétque intentato ad hæc metu minísque. Constituisse videlicet Osmanum ad medium Novembrem fixis manere castris, bellúmque per id tempus acerrimè continuare, neque Constantinopolim regredi velle, ideóque delectam esse hibernis agendis Valachiam Moldaviámque: jam verò Tartarorum Valachorum & Europæorum Turcarum copias destinatas esse ad divexandas vastandásque per hiemen Polonas ditiones, parandosque aditûs primo vere cum ingenti virium suarum mole redituro Osmano, petituróque ipsius Regni viscera: viderent proinde quid agerent, neu oblatas pacis conditiones tam arroganter respuerent: simúlque fixis oculis gestum Legatorum vultúsque contemplabatur, si quid metûs aut commoti prodidissent animi: insuper

Dilaverius easdem conditiones proponit, & simul metum intentat Legatis.

per in castra si vellent regredi rebus infectis, id se illis permittere significavit. Tum verò Castellanus Belzensis Zoravinscius generoso responso excepit tumidum arrogantémque Veziri sermonem. *Bellatum est hactenus* inquit *ô Dilaveri, sed necdum vobis æquus Mars adjudicavit victoriam, quæ vos hoc tumido inflaret fastu, nos verò extremo metu dejiceret: quid sit futurum caliginosâ nocte premit Deus, prudens temporis arbiter rerúmque humanarum rector. Polonos scias libere sibi impositis parêre Regibus, gentémque in libertate natam ultimum potiùs excidium interitúmque laturam, quàm aliquo infami tributo libertatis suæ detrimentum accepturam.* Post hæc surrexêre Legati, manúmque valedicturi porrexêre Dilaverio, eandem, cum qua venerant, abituri exposcentes securitatem fidémque. Ad hanc Legatorum denuntiationem & magnanimæ vocis constantiam attonitus Dilaverius, apprehensâ utriusque familiariter manu, abitum parantes detinuit, remissóque quem nimium intenderat rigore, æquior faciliórque in tractando negotio mox comparuit. Et cæteræ conditiones

Respondet Zoravinscius generosè.

Legati veniam abeundi petunt.

Detinet Dilaverius faciliori in cæteris conditionibus.

levi negotio complanatæ ſopitæque, de Coſacis diſceptatio diutiùs paulum tenuit, Turcis pœnam ſuppliciáque tanquam à fœderis violatoribus mordicus depoſcentibus, Legatis contrà objicientibus: Coſacorum licentiæ maritimíſque excurſionibus anſam dediſſe, daréque frequenter Tartarorum in Ruſſiam irruptiones, ſummâ cum terrarum vaſtitate: quantò æquiùs eſſet, ſi illi Tartaros graviori coërcerent pœnâ, à quibus ruptæ pacis promanaret origo, & redactos per depopulationem ad ſummam egeſtatem colonos, in vindictam accenderent, ſolâ deſperatione relictis domiciliis, ſpretóque imperio dominorum ſpe prædæ militiam Coſacorum augentes: proinde ſtatuerent potiùs Turcæ exemplum ſeveræ animadverſionis in Bernaſcium, Cantimirum, latrocinantiúmque Tartarorum turmas. Ita quod in Coſacos Turcæ cupiebant, id in Tartaros ut fieret noſtris poſtulantibus, cùm utrinque difficiles exitûs controverſia haberet, oblivione tandem utrâque ex parte condonatis con-

Coſacos tamen ad pœnam depoſcit pertinaciter.

Legati idem contra Tartaros & Bernaſcium urgent.

ſepultíſque injuriis, quievêre.

Tandem ſopitur oblivione controverſia ab utrinque.

Acrior de muneribus Oſmano per Legatum tranſmittendis contentio fuit, Legatis pactorum conditionibus ea inſerere recuſantibus, ne ſub ſpecie munerum tributi deinceps dandi neceſſitatem Turcis ita interpretantibus inducerent, à quo liberæ gentis, nullius armis ſubactæ abhorreret animus. Sobieſcius itaque obtentâ à Dilaverio facultate, relicto in caſtris Zoravinſcio, eo in negotio ad Vladiſlaüm Principem Delegatóſque ivit captandi conſilii cauſâ: & poſtero die rediit eâ cum declaratione: Sigiſmundum Regem Oſmano per Legatum, qui ad conficienda fœdera Conſtantinopolim iturus eſſet, munera deferenda miſſurum, is modò pari humanitate cum Rege vicino amicóque Principe certaret. Acquievêre Turcæ, majoríque ardore pacis incubuêre conſiliis, iis verò feliciter peractis, pérque conditiones ſtabilitis, Dilaverius Legatos arceſſivit, & Baſſarum totiúſque Othomani Senatûs coronâ cinctus, amicitiam inter Oſmanum Turcarum Impera-

De muneribus Oſmano mittendis per Legatum controverſia, id pactis inſeri nolunt Legati.

Et hæc ſopita.

Pax tandem ſtabilitur & promulgatur per Dilaverium.

peratorem. Regémque Poloniæ, quod felix faustúmqne esset coalescentem gratulatus est: pollicitúsque sacrosanctè pactorum conditiones à Turcis observandas, parem modò præstarent fidem Poloni, caveréntque à perjurii labe. Mox ad Cancellarium Reguli Tartarorum conversus seriò monuit, neu Regnum Poloniæ ejúsque terras infestis invaderent percurreréntque signis, præcaveret id Dziambergerejus, secus faciens, se Imperium amissurum & pœnam capitis subiturum certò sciret. Posthæc præeunte Dilaverio patuit ad Osmanum Legatis aditus, comitantibus primùm Suliszevio destinato qui ad aulam Othomanam Inter-Nuntii munus ad adventum magni Legati obiret, deinde Radulone Palatino Valachiæ, Vevellio, cæterísque: ubi post solita venerationum officia Castellanus Belzensis brevi sermone pacem inter Regem Poloniæ Domúmque Othomanam postliminiò sancito fœdere redeuntem, Dilaveriique prudentiâ firmatam, tum suo & Collegæ nomine religiosè observaturos Polonos

Qui Tartaros seriò monet ne cum suis turbent incursionibus.

Legatos ad Osmanum adducit.

Quem Zoravinscius paucis compellat & dona offert.

lonos spopondit: deinde literas Lubomirscii obtulit, & acinacem egregii operis artificiíque, & fistulas ferreas non minori elegantiâ elaboratas.

At per castra Turcarum pace divulgatâ ingens secuta lætitia: quippe illa tot gentium nationúmque congeries, inter continuos cum Polonis elementísque sibi adversis, Cœlo denique irato conflictûs, funesti belli tædio lassa fatigatáque, finem ærumnarum, suíque Orientis clementiorem respectabant Orbem: & Proceres Turcæ inimica accusantes fata, infaustámque damnantes militiam, gestientibus animis excepêre fœdus, testatíque hilaritatem sub primas tenebras suspensis accensísque lucernis in singulis tentoriorum apicibus, quæ nocte serenâ stellarum adinstar jucundo fulgore radiabant. Barbarorum lætitiæ addidêre Cosaci plausum, repetitâ aliquoties scloporum explosione, éque Polonorum munitionibus detonuêre tormenta in reciprocæ gratulationis argumentum.

Turcarum ob pacem confectam lætitia & ignes.

Poloni & Cosaci tormentorum & sclopetorum explosione eandem testantur.

Unicum adhuc restabat negotium cum

Dilaverio perficiendum, quod ita ſe habuit. Poſtulabat ille à Legatis ut Poloni prout primi Valachiam Oſmani Provinciam infeſtis invaſerant intraverántve armis, primi quoque decederent, motis trans Tyram caſtris. Plena periculi ea conditio viſa, reputantibus apud ſe Legatis, exercitum magnis attritum anguſtiis calamitatibúſque, tum cohortibus à milite partim invalido, partim morbis impune graſſantibus abſumto imminutis, ponè oculos hoſtium transducere, ne prout nulla fides barbaris, defectus viréſque acciſæ propiùs inſpectæ occaſionem belli porrigerent, ex amicíſque iterum facto impetu hoſtes facerent. Compluribus itaque rationibus adductis Legati perſuadere conabantur Dilaverio, haud promtè id fieri poſſe, elapſuróſq; plures dies, moram tranſportandis militibus facturos: deinde æquiùs eſſe éque decoro militiæ, ut ii qui primi campum tenuiſſent, iidem poſtremi decederent. Ad pontem verò quem Turcæ ad tranſportandas per Tyram copias offerrent, plurimas orituras difficul-

Turcæ poſtulant ut primò Poloniæ campo excedant.

Legati aliter ſentiunt, nec volunt permittere.

cultates: quippe quis ſponſor in eadem Turcarum vicinia, ibidémque ſuis in ſtativis commorantium, non interceſſuras aliquas inter lixas ſervitiáque contentiones, prout fieri ſolet, inde rixas, pòſt & armorum experimenta, unde iterum ſopita belli flamma hiſce præludiis ventilata erumperet. Vanum eſſe metum ſuſpicionémque Dilaverius oſtendit, cui à fido Janizerorum præſidio immiſſo facilè obviare poſſet; miſítque illico qui pontis curam haberent, ſervaréntque integrum Polonorum commoditati. Fuítque hæc non ingloria poſtmodùm victoriæ de barbaris appendix, cùm Poloni pontem ab hoſte conſtructum, ſimúlque & faſtum Oſmani calcarent, ſterneréntque Turcæ abituris copiis viam, à quibus tanti Imperii vires proſtratæ fuiſſent. Ita inter ſe diſceptantibus commodè quiſpiam advolavit nuntians Polonorum caſtra moveri, jámque ultra Tyram complura apparere tentoria non inane certi abitûs indicium. Lubomirſcius namque præmonitus ad eludendos barbaros, aliquot taber-

Nuntius moveri caſtra Polona adferens controverſiam definivit.

tabernacula trans flumen extendi fecerat, quæ aliquam castrorum speciem præ se ferrent. Sopitâ eo nuntio quæstione, pacta conscripta signatáque Dilaverius Legatis porrexit, iis receptis commendatóq; de meliori notâ Stanislao Sulisȥevio Inter-Nuncio aulam Osmani comitaturo, post mutuas valedictiones humanitatísque officia ab utrinque discessum est: & Legatos quidem ad suam stationem serus vesper reduxit sequenti die abituros.

Legati pacta conscripta recipiunt.

Quibus conditionibus pax steterit mihi promtum esset referre, nisi ab aliis scriptoribus fusè satìs enarratas esse scirem, ad quos lectorem curiosum transmitto: certè Poloniæ haud pœnitendis, mansurísque ad posterorum memoriam. Tanti namque apparatûs tantarúmque virium ferocia, non alias à constanti Polonorum robore extorquere potuit: quandoquidem præsentia bellantium Othomanorum, integras Provincias Regnáque summo cum Christianorum probro sæpius avulserit subjugarítque.

Primâ

Primâ luce Turcarum exercitus motis signis Prutum versùs incessit, & Legati hoste abscedente in castra se contulêre, ubi Vladislaüm Principem recuperatis aliquantùm viribus, primâque tum vice in publicum prodeuntem Missæ sacrificio intentum reperêre: & is accepto nuntio de Legatorum reditu, non antè se loco movit quàm ibidem confluentibus militibus, universóque penè exercitu Gratiarum carmen Deo immortali venerabundus decantaret. Mox Andream Szoldrscium ad Sigismundum Patrem misit, qui victoriam bellúmque confectum nunciaret. Is Leopoli Regem assecutus exspectantem reliquas Nobilitatis copias, cum quibus propediem moturus erat: primâ quidem fronte Rex nuntium pacis non adeò lætus accepit, nisi fortasse tunc gaudium dissimulavit, quò nominis sui expeditionísque generalis famam apud Turcas augeret, cæterùm in urbe sat opulentâ subitò excitata sunt argumenta publicæ gratulationis, & Rex ad Principem Basilicam Procerum nobiliúmque coronâ

Turcæ movent exercitum & Legati ad castra redeunt.

12 Octo-ber.

Deo referuntur gratiæ à Vladislao, & Szoldrscium ad Regem mittit.

Quem Leopoli reperit totius Nobilitatis expectantem copias.

ronâ ſeptus feſtinavit, debitâ gratiarum actione benignum Poloniæ Numen veneraturus.

Jámque Chotimo pactis ita volentibus Valachis reddito, tum & ſignato ſubſcriptóque Delegatorum manibus Inſtrumento pacis, quod miſſus à Radulone nuntius confeſtim Oſmano deferret traderétque, Coſacis per Matthæum Leſniovium, & Jacobum Subieſcium ſignificatum eſt, quanta illorum ratio fuiſſet in tractandâ concludendâque pace, Turcis prima ipſorum capita ad ſupplicia depoſcentibus: ſed datæ fidei memores Delegatos conſtantiſſimè acre contentioſúmque poſtulatum rejeciſſe, nihílque pactis inſeri permiſiſſe, quod illorum obeſſet militiæ. Viderent itaque in poſterum, neu Rempub. cum potentiâ Othomanâ committerent, ſuíſque in Pontum Euxinum excurſionibus piraticâque fœdus violarent. Paucis ſubmiſſíſque reſpondit verbis Konaſzevicius: ſe prout infimos Regiæ Majeſtatis & Reïpub. ſervos eſſe, ita nolle edictis publicis refragari. Ad extremum

Coſacis ſignificant Delegati quanta ſit habita ipſorum ratio in tractandâ pace.

mum exercitus Tyram per Turcicum pontem cum diſpendio aliquo militaris diſciplinæ tranſgredi cœpit, & Coſaci illi, qui paulò antè in omnem compoſiti ſubmiſſionem juſſa exſpectabant, à Vladiſlao de ratione modóque reducendarum copiarum requiſiti, reſponſum diſtulerant, eóque haud dato primi ſeorſímque licentioſè Tyram tranſierant, in prædam intenti, carpentéſque extrema agmina latrocinantium more. At Vladiſlaï Principis currum, quo æger vehebatur, circumſtetêre haſtatorum nonnullæ turmæ, tum & Lithvanæ legiones, quas ex hoſtico Alexander Sapieha Orſanenſis Præfectus ducebat, & complura peditum vexilla, deduxeréque primò Zuancium oppidum, ad Tyram ſitum, inde Cameneciam & munitione prævalidam Civitatem, & incolarum frequentiâ opulentiâque nobilem.

Primi licentiosè & prædabundi per pontem abeunt.

13 Octob.

Vladiſlaüm deducunt Legiones Camenecum.

Et Sigiſmundus Rex nihil prius habuit, quàm ut ſummâ cum gloriâ peracti belli nuntium ad Gregorium XV. Pontificem Max. mitteret, qui ut preces pro eventu cer-

Sigiſmundus Rex Pontifici Maximo victoriam nuntiat.

certaminis ad Deum ſolicitè fuderat, ita voti compos, non ſine ſupplicatione Divinæ clementiæ grates perſolvit, ac edicto ſolenni incolis Populiſque Poloniæ diem decimum Octobris feſtum ſacrúmque perpetuò eſſe juſſit. Urbanus verò Pontifex ut peculiari precum horarúmque, quas Canonicas vocant, officio eum diem Polonia coleret, petente Vladiſlao indulſit. De quo Principe quale tulerit judicium Sigiſmundus Pater Gregorio Pontifici ſcribens, ex ejus literis ſubjicio. *Filius meus ita in hoc bello verſatus eſt, ut ejus virtus hoſtibus ipſis admirationi fuerit: hæc ſunt Regiæ ejus indolis rudimenta, hæc Heroïci animi facinora, quæ ille tot jam bellis exercitatus, & ad virtutem formatus Reipub. Chriſtianæ & inprimis Catholicæ religioni juvandæ deinceps devovet. Hunc ego ex me natum, iis eruditum monitis, quæ ad ſalutem publicam curandam pertinent, præceptis paternis obſequentem, & nomini Catholico devotum, Sanctitati veſtræ tanquam communi parenti filium commendo. Vivat in ſinu Eccleſiæ Sanctiſſimis S. V^{ræ} benedictionibus cumulatus, totum ſe publicæ utilitati impendat. In eam ſpem & reliqua*

Vladiſlaüm filium laudat.

Vide apud Lubienium hanc epiſtolam.

reliqua mea nunc creſcit ſoboles, & ego ipſe quâ mente juvenis fui, & nunc provectâ ætate idem ſentio, dulce & decorum & optabile eſſe, pro Religione Eccleſiâque Catholicâ mori.

Scio hanc victoriam miraculi loco à quibuſdam habitam, ego verò certò affirmare audeo, (quod & Sigiſmundus Rex fatetur) divinitus hoc factum. Conſideranti namque mihi Turcam & Tartarum ingentium exercitum Imperatores ex unâ parte, & ex alterâ parvum militum manipulum, Chriſtianorum Principum auxiliis deſtitutum, Deo tantùm devotiſque pro patriâ pectoribus fidentem, exilem inquam illum ſcopulum, ad quem potentiæ Othomanæ fluctûs Poloniam inundaturi, in immenſum elati, alliſi diſſilirent: certè belli exitum miraculo ſimilem videri. Et magis dum reſpicio Oſmanum inaudito Turcarum Imperatoribus exemplo, ad quorum præſentiam Regna, Provinciæ ſubjugatas flexiſſent cervices, & nunquam niſi victores campíque domini exceſſiſſent, nunc ne palmo quidem terræ ademto, cum maximâ clade, tanto opum im-

Victoria hæc divinitùs Polonis obtigit.

impendio, in ſummâ ſuorum conſternatione, æmulorum lætitiâ, hoſtium triumpho, abeuntem recedentémque. Placatum Numen quidni credam ab univerſi per Poloniam populi precibus votíſque ejus clementiam implorantis, excitante pietatem Antiſtitum curâ, indictis jejuniis & crebris ad Divorum aras ſupplicationibus, admonentibus inſuper è ſuggeſtu concionatoribus, advocandóſque eſſe ſuperos præſertim Regni Tutelares in communis cauſæ ſocietatem adhortantibus. Et comparuêre illi, conſpectámque ferunt Matrem Dei Virginem à Laurentio Gembicio Archiepiſcopo Gneſnenſi Regni Primate Primoque Principe, viro apprimè pio, qui poſt fuſas cum lachrymis ad Deum preces, ejus quoque imploratâ ope, dum de belli eventu anxius cogitabundúſque primâ noctis vigiliâ Squiernieviciis in aream à feneſtrâ proſpicit, ecce tibi deſuper tiliam ibidem loci eleganter inſitam vireſcentémque, videt Miſericordiæ Matrem decreſcentis lunæ cornibus inſiſtentem, audítque bono animo

A Laurentio Gembicio Archiepiſcopo Gneſnenſi Mater Dei & virgo conſpecta.

Squiernievicium oppidum Archi-Epiſcopale.

mo jubentem eſſe Gembicium, utpote nomini ſuo devotam curæ habituram Poloniam, Filiúmque ſuum jam prohibiturum ea quæ metueret mala, ne ipſius eventura eſſent ſæculo, His dictis diſparuit, Gembicius verò lætus cœleſti nuntio, iis quibus maximè fidebat rem patefecit, & prout viderat Deïparam, advocato pictore ejus effigiem ita exprimi curavit: exſtátque Squiernieviciis in ſacello Archiepiſcopalis Palatii, mihi olim à Matthia Lubienio magnæ probitatis Præſule quarto ejuſdem ſucceſſore commonſtrata. Atque ejuſdem Magnæ Matris patrocinium alter vir religioſus probúſque evulgavit. Namque eâ tempeſtate per quietem vidit, curru radianti equis duobus candidis eundem trahentibus per coruſcam in Cœlo viam ab Occidente in Orientem verſùs Chotimum inſidentem vectámque ad cujus ex oppoſito pedes, ſupplex genu flexo Divus Staniſlaüs Koſtka maternam apud filium opem Polono exercitui imploraret. Non ſomniantis illud erat miraculum, cui fidem dies ſtabilitæ pacis

Viri pii ejuſdem viſio. Caliſſii.

cis quin ipſum penè momentum adſtruxerat. Quæ quidem Deï Optimi benignitas cœlitúmque favor me permovit, ut rem loco attexere non dubitarem. Nam ut dubia & admiranda, & triviis aut circumforaneis ſchedis conquirere procul gravitate ſuſcepti operis habuerim, ita ſeriò traditis, eventúque comprobatis, ſilentio fidem adimere, profectò & Divorum, qui propè damnantur, cùm prætereuntur, injuriam duco, & ab homine Catholico veluti beneficii minùs grato alienum exiſtimo.

Vladiſlaüs Varſoviam redit.

Poſt exactos complures firmandæque valetudini impenſos dies Camenecii Vladiſlaüs lentis itineribus inter populorum plauſus acclamationéſque Varſoviam proceſſit, ubi à Rege Patre jucundo complexu, ab univerſâ verò aulâ feſtis gratulationibus exceptus eſt. Inſequens deïnde annus quieti datus, quanquam quæ illa poterat eſſe quies à ſeditioſo milite impune graſſante, patriámque hoſtilibus divexante rapinis, quem ad ſimiles auſus traxerat exemplum Moſchoviticæ conjurationis, quia impunitum

Seditio militaris erumpit.

nitum; recurrebátque Zolkievii conſilium, nimiam tunc damnantis indulgentiam, vaticinantíſque, à neglecta nullóque coërcita rigore inſolentia plures ejuſmodi promanaturas ſeditiones: & ſupererant adhuc in exercitu impii contra Patriam fœderis ſocii, nimiùm prædæ rapinarúmque præteritarum memores, ipſéque Kovenicius, quem ſeditioſi in Ducem ſeu Marſchalcum elegerant, inter Moſchoviæ milites fœderatos non poſtremo olim loco cenſebatur. Sopita tandem gravis hæc & nimiùm damnoſa ſeceſſio, perſoluto ære donativíſque largè numeratis, & quanquam exaſperatus miles ferociam immenſis víxque tolerandis intenderet poſtulatis, videbatúrque eam non tam citò depoſiturus, effecit nihilominus permultum Staniſlaï Lubomirſcii auctoritas, cui ad Chotimum conſervati exercitûs reíque præclarè adminiſtratæ palma debebatur, qui conſilio, ratione, & ſuis quoque profuſis in largitiones opibus, ſeditioſorum aggreſſus capita, tum & reliquos milites, certis conditionibus ad ſaniorem

Sopita Lubomirſcii eximiâ operâ.

reduxit mentem, pervicítque ne malum longiùs serperet, Regno grave metuendúmque.

A felici belli Turcici exitu, populorum lætitiam quanquam militaris insolentia nonnihil interrupisset, renovavit mox faustus de Osmani cæde rebúsque perturbatis Turcarum nuntius. Redierat ille Constantinopolim inglorius, triennii apparatu irrito, imminutóque exercitu: namque auctores habeo ferro absumta sexaginta millia, morbis, cœlíque injuriis & Autumno Asiaticis corporibus perquam gravi longè plures, ita ut vix tertiam partem bellatorum domum reduceret, cùm è Polonis toto conflictûs tempore, vix suprà quadringentis cecidissent, nisi contagio sæviens plurium accumulasset funera, ingentémque equorum stragem pabuli inopia fecisset. Hinc pudor, deinde ira Osmanum in rabiem verterat, ignominiam famæque dedecus ægerrimè ferentem, quod ab ignaviâ militum suorum profectum fuisse reputans, Janizeris eandem exprobrare solitus erat, datâque vel minimâ occasione promiscuis in eos cæ-

Osmani cædes tumultúsque Janisserorum.

cædibus sæviebat, ad extremum vetus illud Othomanorum robur delectámque militiam amovere destinabat, in eorum locum Arabibus substitutis, quorum fortitudinem proximo in bello expertam probabat prædicabátque. Abire itaque in Arabiam statuerat, sive Imperii sedem ibidem translaturus, sive Machometis invisurus sepulchrum, quæ duæ itineris causæ vulgò ferebantur: certè bellum ille moliebatur, cum selectioribus copiis, pérque varia interim armorum exercitia optimè instructis, iterato Poloniam aggressurus. Jámque præconis voce proclamatum iter non tulêre Janizeri, mox aulæ Primores circumstetêre orantes, contrarium suaderent Cæsari, aliáque ingererent consilia, neu tam longinqui itineris difficultatibus se suósque iret perditum. Pertinax animus Osmani haud flecti poterat, & verò ubi dictatorii responsi *Sic volo, sic jubeo*, emanavit in vulgus oraculum, tunc conglobati in palatium irruunt, obvios trucidant, Osmanus fugâ latebras quæsivit, mox protractus, indéque ductus ad carcerem, ultimò

 tan-

tandem ſtrangulatus, furentium tumultuantiúmque Janizerorum infami morte vota explevit. Eóque furoris curſu Patruus ejus Muſtapha Cæſar conſalutatur, amens ſtupidúſque, ideóque in ſucceſſione ad Imperium Oſmanum poſthabitus.

Octiduum integrum tumultuantes Janizeros ſummâ cum trepidatione ſpectavit Conſtantinopolis, tantò magis inhorreſcentibus civibus, quantò intentiùs primum appetitæ Majeſtatis adhæc uſque tempora ad ſuperſtitionem uſque venerandæ conſiderarent exemplum, haud dubium ruituri Imperii indicium, cújus retinendi unicum erat arcanum, culta Divinitatis adinſtar Othomanorum Majeſtas.

Hunc tandem Oſmani exitum ad plenam de Turcis victoriam adjecit benignum numen, auctâ non mediocriter inde Vladiſlaï Principis gloriâ, quem dum triumphantem fauſtæ populorum voces in Cœlum tollerent, hunc ex tam alto Imperii ſolio ſeditioſorum inconditæ acclamationes, & fatales ictûs præcipitem darent proturbaréntq;.

H I-

HISTORIÆ VLADISLAI POLONIÆ ac SUECIÆ PRINCIPIS,

LIBER UNDECIMUS.

Rex in Pruſſiam proficiſcitur comitante Patrem Vladiſlao.

PAcato tranquillatóque Regno, ineunte Vere Anni Vigeſimi Tertii ſupra Milleſimum Sexcenteſimum, Sigiſmundus Rex, Conſtantiâ conſorte, Annâ Catharinâ filiâ quinquenni, Vladiſlao Principe filio comitantibus, in Pruſſiam profectionem adornare cœpit. Iter ſecundo Viſtulâ paratis adhæc exquiſitéque inſtructis navigiis continuatum, quo non aliud ſplendidius unquam viſum, in maximâ Procerum aulicorúmque nobilium

lium frequentiâ, non jucundius: quippe omnes in lætitiam ac hilaritatem versi, deducebant Regem post tam celebrem ductu Vladislai partam obtentámque victoriam, reductámque Regno quietem, solutis curis triumphantem. Et fluviatilis illius classis impellebat carbasa promtus ubique populorum plausus, certabatúrque erga Regem observantiâ à viris Principibus ad ripas accurrentibus invitantibúsque tantos hospites, à quorum præsentiâ eorum penates tantum honorem acciperent. Ad confinia Prussiæ ubi ventum est, propè Zlotoriam substitêre naves; indéque Golubium itum: orante Annâ Infante Sueciæ, cujus hæc Præfectura erat, excipientéque cognatas sibi Majestates debito affectu venerationéque: póstque datos aliquot dies mutuæ hilaritati, perrexêre Torunium urbem Prussiæ primariam sub adventum Regis in omne lætitiæ genus effusam, eam verò auxit Stanislai Koniecpolii Magistri Equitum Generalis adventus, qui è Turcicâ compede liber, tunc primùm Regem adiit salutavítque, Prin-

Golubium divertit.

Post Thorunii.

Principi verò Vladislao de rebus tam præclarè contra Turcas gestis, depressóque nominis Christiani hoste, gratulatus est.

Namque recenter tunc peracto feliciter legationis suæ munere Constantinopoli redierat Christophorus Zbarascius, is præter cætera eximia facinora résque è voto Reïpub. confectas, in eam maximè incubuerat curam, ut magni nominis viros Cecorensi nuper prælio captos, turríque inclusos, in libertatem assereret: effecítque quâ singulari prudentiâ, quâ profusis largitionibus, numeratóque insuper pretio, & patriæ reddidit Stanislaum Koniecpolium, Lucam Zolkievium, & Ferensbachium, præter Samuelem Korecium, cui magni nocuêre spiritûs frustra in carcere ostentati: namque superbè contemtímque ab illo sæpius compellati Turcæ, elisis faucibus importunam castigavêre audaciam.

Ubi Koniecpolius redux è captivitate Regem salutat.

Operâ Christophori Zbarascii ad Turcas Legati libertati redditus.

Et Koniecpolius post redditam sibi commendatámque à Rege armorum Præfecturam Torunio abiit, Rex verò conscensis navibus lustratâ primùm Bidgostia, ubi offi-

officinam monetariam adiit, ab ejusque Præside Jacobsonio amplis muneribus excultus est, ad Joannem Kucborscium Episcopum Culmensem divertit: is ad ripam Vistulæ sub Starogrodo arce Culmensium Antistitum, in amænâ planitie magnis hospitibus epulum præbuit, cujus pretium excessêre bellaria, lances videlicet argenteæ auro Hungarico onustæ Principibus convivis appositæ donatæque. Supervacaneum referre existimo, quo apparatu quibúsve lætitiæ signis Prussiæ Civitates longâ tunc pace florentissimæ Regem excipiebant, tantò illæ in majus omnia cumulabant, quantò Reginam Constantiam & Principem Vladislaüm novos nec ante iis in terris visos hospites suis succedere portis gaudebant. Dantiscana Civitas ut opulentissima, ita quæsitissima quæque in adventum Principum apparaverat: nam præter pegmatum species, arcuum moles, ignium hilaria, ludis, spectaculis, conviviis, cæterisque publicæ gratulationis indiciis propè quindecim dies Regias Majestates detinuerat, grato

Kucborscius Episcopus Culmensis Regem magnificè excipit.

& Civitas Dantiscana.

to aspectu eos fidissimorum Civium apparatûs æstimantes.

Interea Regius Dantiscum adventus suspicionem moverat Gustavo Sueciæ tunc Regi: quippe de transferendo in Sueciam bello, classéque armandâ, & è portu Dantiscano emittendâ, consilia agitasse Sigismundum certò compererat, proindéque Princeps cautus, ad omnésque occasiones invigilans, ad avertendum, si quod ingrueret periculum, instructâ viginti & aliquot navium classe, ipsemet præsens haud procul à portu constiterat, certus inferre potiùs, quàm domi exspectare bellum. Et Sigismundus Rex classem illam patruelis sui spectavit; namque invitatus à Magistratu Dantiscano ad ostium Vistulæ sese in mare exonerantis, ubi prævalida munitio portum tuetur, in ejus medio eminentem conscendit Pharon accensis ignibus nocturna nautis ministeria præbentem, indéque patente in longum latúmque mari, naves illas conspexit. cúmque Rex ingenti tormentorum fragore è propugnaculis navigiis infinitè reboanti-

Gustavo Sueciæ Regi suspectus Sigismundi Dantiscum adventus.

Proinde in mari cum classe comparet.

Quem Sigismundus ex turri conspicit.

boantibus ſalutaretur, pari boatu reſpondebant naves Sueticæ ex adverſo fulminantes, non abſque inſolentiæ cujuſdam indicio, cujus compeſcendæ, etſi nonnemo modos rationéſque Regi aperiret, diſſimulandum tamen pactíſque ſtandum eſſe plerique cenſuêre: viſum tamen mittere quempiam, idque Magiſtratûs Dantiſcani nomine, qui portûs ſecuritatem durantibus adhuc induciis violatam quereretur. reſpondente ad hæc Guſtavo: nihil ſe hoſtile niſi laceſſeretur, meditari, nec à tractandâ ulteriori pace alienum eſſe: cúmque de Rege, Regina pleraque familiariter percontaretur, Vladiſlaï Principis honorificâ mentione factâ, ejus ſe videndi alloquendíque deſiderio teneri ſignificavit.

Unde illa ſuſpicio Guſtavi orta. Nec illa vana fuit Guſtavi de Sigiſmundo ſuſpicio, qui perſuaſus à quibuſdam Germanis Suecíſque, (nam id conſilii clam cæteris Polonis, unum alterúmve ſi demas, habebat, raró videlicet cum iis de rebus Sueticis communicare ſolitus) poſſe in Sueciam bellum transferri, oſtendebántque

que occaſiones opportunitatéſque Regi nimiùm credulo, faciléque ſuadentibus aures accommodanti, móxque de ære ac milite ad tantos perficiendos conatûs ſolicito. Interim dum procurat ne deſtinata ad hoſtes emanarent, evitare non potuit, quin à pluribus exploratoribus id molis in Sueciam obverti Guſtavus reſciret. Anno verò inſequenti jam palàm fuit celatum eò uſque conſilium, cùm indictis Comitiis ſubſidium pecuniarum Rex ab Ordinibus efflagitaret, militémque collectum in eum haberet finem, omnémque navalem apparatum ſedulò adornaret. Sed brevi conatus ille evanuit: quippe Ordines denegato ſubſidio invitóq; Rege prorogatis induciis opportunum expeditioni tempus corrupêre. Et Suecus reputans, quantumcunque moræ protraheretur, tantundem ſpatii ad inſtruendam defenſionem ſibi indulgeri, gravis poſtmodum primùm Livoniæ, deinde Pruſſiæ incubuit, cujus littoribus in præſentia Regis admota claſſis, triſte calamitoſi, quod ſecutum eſt paucis pòſt annis, belli fuit præſagium.

 Ve-

Rex Dantiſco Majorem Poloniam movet.

Verùm quæ poſtea evenêre, narrare ſuperſedeo, jam me Dantiſco valedicens revocat Sigiſmundus, qui directo per Pomeraniam itinere, Majorem viſurus Poloniam ibat, non ceſſantibus interim Pruſſiæ Primoribus Regem cum univerſo aulico comitatu partim in ſuis Præfecturis, partim in gentilitiis ædibus lautè debitóque venerationis obſequio excipere. Atque id officii quoque præſtitit Vladiſlaüs Princeps, cùm Regem Reginámque Oſiecum, cujus juris ea tunc præfectura erat, invitavit, ſplendidéque habuit, totámque aulam, nobilémque comitatum comiter tractavit. Excepit mox Conſtantia maritum Regem Tucholiam venientem, in iiſque bonis, quæ ad ſe pertinerent, hoſpitam egit, Rege in gratiam conjugis blandè invitantis, in omnem hilaritatem effuſo, genióque liberaliùs indulgente. Tandem excedens Pruſſiâ in ipſo Majoris Poloniæ limite à Zebrzydovio Caſtellano Caliſſienſe ſalutatus eſt, perrexítque ulteriùs, & Grocholini Baranovium, Naklæ Stephanum Gembicium Caſtellanum Rogoznen-

Excipitur à Vladiſlao Principe Oſiecii.

à Regina Tucholiæ.

& à cæteris primoribus.

goznenſem, Vagrovecii Kozielſcium loci Abbatem ſuâ præſentiâ dignatus eſt, probavítque invitantium pronam alacritatem debitúmque obſequium. Gneſnæ Divi Adalberti Poloniæ tutelaris, ejúſque olim in Regno urbis primariæ celeberrimæque Archiepiſcopi, clarum Othonis Imperatoris & Boleſlaï Poloniæ Regis peregrinatione tumulum, ſupplex veneratus eſt. Poſnaniam appropinquanti Majoris Poloniæ ſedem, elegantiâ ædium nitoréque conſpicuam, Provinciæ illius nobilitas frequens in occurſum venit, & prout eſt præ cæteris animi elatioris, generoſóſque gerens ſpiritûs, comparuit ſplendidè cultúque decoro & magnifico: omniúmque nomine Adamus Sandivogius Czarnkovius Palatinus Lanciciensis Majoris Poloniæ Generalis Præfectus, Regem advenientem ſalutavit. Quoniam verò univerſæ nobilitatis flos in equis occurrerat, Rex quoque in equo movens, laterique ſiniſtro adequitantem Vladiſlaüm habens, proceſſit, inter Civium diſpoſitas per ſtationes cohortes, refertis magnâ homi-

Poznaniam intrat ſplendidè.

Excipitur ab Adamo Czarnikovio Palatino Lencicienſi Majoris Poloniæ Generali.

minum multitudine intra extráque urbem viis tectísque.

Rex Nobilitatem Majoris Poloniæ comiter tractat.

Triduum Posnaniæ commoratus, omnium se oculis quærendum, fruendúmque exponebat, in omnem benignitatem, clementiámque intentus, nobilitatíque devinciendæ maximè studens, quam parùm æquam sibi hucúsque experiebatur, cùm acrioribus mandatis instructos legatos ad Comitia mitteret, duriúsque regiminis rationes à se exposceret, indéque potissimùm querelæ emanarent, arripientibus easdem cæteris terrarum delegatis, sperabátque à sua præsentia comitatéque mitigandos inposterum animos, emolliendósque, quos nonnullorum ambitio per speciem libertatis publicæ utilitati propriæ inservientium exasperaret. Sed ut majores Poloni in venerationum Regísque obsequium ruebant, ita pronis erga Vladislaùm ferebantur studiis, volupéque fuit spectare Principem, juventâ decorum, tot victoriis clarum, ac à recenti Turcicâ expeditione summâ cum gloriâ reducem, quam intuentium cogitationibus

Vladislao Principi magnus ibidem honor exhibitus.

bus fama suggerebat, augebant verò plerique Centurionum præsentes Vladislao notissimi, Joannes Rozrazevius, Zlotnicius, Grzymultovius, ac plerique nobiles commilitones. Hinc salutantium deducentiúmque ingens frequentia, ita ut palatio ad magnificas Czarnkoviorum ædes ubi diverterat, plateæ magnis spissísque comitantium implerentur ordinibus, Principe, prout erat animorum captandorum artifex, vultu, gestu, alloquio, omníque humanitatis genere promta rependente officia.

Rex per Palatinatum Calissiensem iter, faciens à Primoribus excipitur.

Et jam Posnaniâ abeuntem Regem pérque Palatinatum Calissiensem, qui Majoris Poloniæ non postrema pars est, iter continuantem, deduxêre viri Primores ædibus suis gentilitiis magnos hospites excipientes. Habuêre id honoris Sigismundus Grudzinius Curnici, Andreas Opalinius Radlini, Stanislaüs Przyiemscius Cosmini, Joannes Rozrazevius Crotosini, Venceslaüs Lesczynius Regni supremus Cancellarius Goluchoviæ, donec tandem Calissium celebrem Collegio Karnkoviano & situ amænissi-

Opalinius Succamerarius Pozna-niensis, Przyiemscius qui fuit Regni Marschalcus & Generalis Majoris Poloniæ.

nissimam Civitatem Majestates pervenissent, exhibentibus loci incolis sincerum fidelitatis, subjectionísque suæ argumentum. Ad extremum post datos quinque menses itineri Rex Varsoviam rediit, in cujus vicinia degentem tunc Laurentium Gembicium Archiepiscopum Gnesnensem Regnísque Primatem Lovicii invisit, à clarissimo optiméque de Republica merito sene, Primóque Principe, invitatus, ultimúmque id officii Regi suo præstiterat: quippe intra tres ab abitu Regis menses extremum vitæ terminum habuit.

Gembicium Archiepiscopum Rex invisit.

Vladislaüs Loretum adire & simul videre Exteras nationes desiderat.

Atque ea brevis cum patre peregrinatio longioris postmodum Vladislao præludium fuit. Statuerat namque voto concepto adire Loretum, ubi secundùm Deum Magnæ Virgini Matri, pro feliciter susceptis, feliciùs absolutis expeditionibus, preces gratésque persolveret, veneraretúrque illam ædem, in quâ Virgo cœlitus missum audivit Legatum, & Deum hominem utero excepit. Quandoquidem verò Annus Jubilæi instabat, Romam quoque per id tem-

temporis invisere destinaverat. Pietas quidem peregrinationis incentivum esse videbatur, sed per eam occasionem videndi exteri Orbis divertendíque ad cognatos Reges ac Dynastas, moresque variarum nationum inspiciendi, summo desiderio tenebatur juvenis Princeps; Rege nonnihil filii votis obstante deliberantéque, an suum præberet consensum, quem solita cunctatio vehementer præpediebat. Expendebat namque majorem esse semper Principum à longinquo venerationem, præsentiâ verò sæpissime famam minui & evilescere, ex iísque congressibus non raro simultates ab æmulatione excitatas, loco amicitiæ familiaritatísque reportari: denique apud Regem dignitatis suæ domûsque Regiæ tenacissimum, gravis ea longáque deliberatio fuit, quæ tamen ad votum Vladislaï expedita est, suggerentibus nonnullis eam esse Principis indolem virtutésque Regias, quæ exterorum non solùm illi conciliarent amorem admirationémque, sed allaturæ quoque essent Orbis Christiani encomium si

Rex aliquantùm filii vota moratur.

ſi propiùs à Chriſtianis inſpicerentur Principibus. Nec minorem famâ compariturum, quæ magnitudinem rerum ab eo geſtarum per populos ſparſiſſet evulgaſſétque: accommodaturum ſe genio moribúſque exterorum, qua comitate, qua linguarum peritiâ, & id quidem poſtremum maximum fore comparandorum animorum adjumentum.

Decernitur iter.

Ergo decreto itinere rebúſque quæ ad illud pertinerent præparatis, curam Sereniſſimi Principis totiúſque peregrinationis progreſſum, ſummum denique regimen demandat Rex Alberto Staniſlao Duci Radivilio ſupremo Mag: Du: Lith: Cancellario. Quid verò moveret Regem, cur eum præ cæteris deligeret ejúſque fidei peregrinantem filium tam carum Domûs ſuæ Regiæ pignus committeret, pauca ex ipſo mandatorum Commentario cujus exemplum habeo, ſubjiciam. Debetur enim id tanti viri gloriæ famæque, noſſe magni Regis de eo judicium. *Quas enim* (verba ſunt commentarii) *in illo pietatis, prudentiæ, integritatis, modeſtiæ,*

Albertus Staniſlaüs Dux Radivilius eligitur, cui Rex filium commendat, ſummúmque Regimen demandat.

Regis de illo judicium.

deſtiæ, virtutes longè antè Regia Majeſtas perſpectas habebat, eas ſereniſſimo Principi filio ſuo peregrinationis comites adjungere volebat, iiſdémque ducibus illum reducem ſalvum, ſoſpitem, incolumem reverſurum confidebat. Quare ut Illuſtris & Magnificus Dux opinioni, támque illuſtri S. R. Majeſtatis judicio de ſe habito exſpectationíque reſpondeat, diligentem navabit operam: ut quemadmodum illi ſacra Regia Majeſtas, plenam Sereniſſimi Principis ducendi reducendíque, & familiæ regendæ gubernandæque detulit poteſtatem, Sereniſſimúſque Princeps quanquam hac ætate, hoc rerum uſu, bellicâ laude atque gloriâ comparato, hac excelſi animi moderatione, monitore minimè egeret, voluntati tamen paternæ ſeſe pro ea ac Magnum Magni Principis filium par eſt conformando, gubernationi ipſius unà cum familia ſe commiſit, ita ille munus id à Regia Majeſtate ſibi demandatum dextre, prudenter, graviter, cautè obeat, omniáque tam à perſona, quàm honore & dignitate Sereniſſimi Principis pericula pro virili avertat, memineritque quanti Regis, quàm ubique gentium & terrarum clari atque glorioſi, quot victoriis atque triumphis conſpicuï Filium, & ipſum armis & virtute illuſtrem, Moſchoviticóque & Turcico bello

feliciter & gloriosè gesto celebrem, in suam curam fidem & gubernationem recipiat. Et compluribus mandatis instruxerat Rex Radivilium: maximè de ratione itineris, de sumtibus haud prodigè erogandis, de comitatu in officio retinendo, tum præscripsit qui Principes adeundi essent, ubi commorandum diutiùs, Hispaniam, Galliam, Angliam, Hollandiam neu Princeps attingeret, seriò monuit inhibuítque: ad extremum voluit ut Radivilius Legati personam ageret, qui Principes ad quos Vladislaüs diverteret, nomine suo compellaret, officiosámque impartiret salutem, affectúmque testaretur. Paulò graviora legationis capita data ad Imperatorem, Archiducem Carolum, & Isabellam Belgii Gubernatricem.

Mandatis instruit.

Et Legati personam sustinere jubet.

Comites itineris.

Post Radivilium penès quem summa erat totius itineris, lecti judicio Regio in viæ comites Stephanus Pacius M. D. Lith. Notarius, pòst Pro-Cancellarius, & Lucas Zolkievius Præfectus Calussiensis, viri præter generis avitam claritudinem, elegantiâ suavitatéque morum, peritiâ linguarum, prudentiâ ac usu rerum conspicui: è Vladislaï verò ordinario nobilium aulicorum numero delecti, Adamus Kazanovius, Gerhardus Denhoffius, Samuel Rylscius, Nicolaüs Piglovius.

Finitis itaque Comitiis, quæ Rex sub initium Anni Millesimi sexcentesimi vigesimi quarti Ordinibus indixerat, primo vere Princeps itineri se accinxit & XVI Kalend. Junii post paternæ manûs osculum, imploratámque fausti felicísque successûs apprecationem, Varsoviâ movit. In ipsis Poloniæ Silesiæque confiniis accessit Clarum montem Virginis Matris veneratione celeberrimum, ubi ejus imago à D. Luca depicta, maximo in honore habetur, Constantinopoli in Poloniam advecta, ubi nota olim per universum Orientem populorum peregrinationibus ad eam urbem confluentium erat, templúmque insigne suo dicatum honori scriptorum testimoniis famosum habuerat. Illìc itaque supplex post expiatum à noxis animum, Sacrâ Synaxi refectus Virginis Deïparæ exteras invisurus nationes im-

Princeps Varsoviâ discedit.

Clarum montem adit, & Virginem Deiparam veneratur.

imploravit opem patrociniúmque. Mox Nyssam perrexit magnâ celeritate, interceptis Caroli Archiducis exploratoribus detentísque, quò famam adventûs sui præveniret: & mox ipsum Archiducem nihil tale opinantem in templo offendit, reïque novitate attonitum salutavit: atque datis mutuæ hilaritati viginti circitèr diebus, intra quos Vratislaviam Princeps excurrerat, urbémque incognitus lustrarat, Viennam ad Imperatorem proficisci placuit, séque socium itineris Archidux Vladislao adjunxit: mox ambo statuunt adventûs sui nuncios antevertere, ac Imperatorem insperatò accedere venerarísque. Et successit strategema; namque Imperator illo die hospites haud venturos cogitans, ad suburbanam villam animi causâ cum Imperatrice secesserat. Interea Archidux cum Principe, famulatu ne personas proderet longè relicto, eodem curru vecti advolantésque, cùm Viennam fefellissent, redeunti Cæsari obviam fuêre, ad subitaneum Principum aspectum nonnihil præ stupore primùm, dein

Carolum Archiducem Austriæ Nyssa adit.

præ

præ gaudio hærenti. At Avunculus Cæsar Sororium Principem redditum sibi ab Archiduce fratre arctè complexus, curru suo recepit, Viennámque duxit, ubi inter varia mutui affectûs benevolentiæque certamina, lætitiæ hilaritatísque specimina, in gratiam tam cari hospitis exhibita, complures elapsi dies fuêre. Spectavit Princeps ipso commonstrante Cæsare veterem Domûs Austriacæ gazam, non divitiis tantùm, sed variis naturæ artísque miraculis refertam, interfuit tripudiis choræísque ab Imperatrice in suum honorem institutis, exhibiti ludi venationes, cæteráque oblectamenta oculos animúmque Principis exhilarantia. Legatos Regum Principúmque salutationis prolixum deferentes officium humanissimè excepit audivítque. Tandem relicto magno sui desiderio, præmissâque ab aula Imperatoria magnarum virtutum famâ, quæ ad videndum recipiendúmque Principem reliquam Germaniam erigeret, Viennâ discessit, prosequente Imperatore ad medium extra urbem milliare cum filiis, fra-

Cæsarem Viennæ salutat, à quo humanissimè excipitur.

Viennâ discedit.

tré-

tréque Archiduce, ægre omnibus à mutuo complexu perhumanâ valedictione avulsis.

Vladislaüs ignoti personam assumit. Atque in toto hoc itinere latére voluit Princeps sub ignoti persona, ne promiscuè omnibus pateret, turbásque spectantium declinaret, proinde unum se è comitatu Radivilii finxit, cognomine aliunde mutuato sibíque imposito, quo à cæteris compellari volebat: aliter si cuipiam per inadvertentiam, aut errorem excidisset inter familiariùs agentes colloquentésque, mulctam imposuerat. Sed ut solem medio etiam die nubibus tectum radii produnt, ita & Principes nunquam toti latére possunt, quos ut extra cæterorum mortalium conditionem Numen extulit, ita in vultu, oculis, gestu præ aliis hominibus peculiarem addidit Majestatem, nullâ larvâ tam facilè obtegendam. Et Vladislaüs dum Lintzium *Lintzium ingreditur.* 19 Julii. ingreditur, séque à nemine nosci existimat, utpote comitatui immixtus, curiosis nonnullorum oculis notatus profundiore veneratione salutabatur. Lintzio deinde Salisburgum profectus Antistiti Dominóq; loci inno-

innotuit, exceptúsque eâ, quæ tantum Principem decebat, humanitate venerationeque. *Salisburgum pergit.* Inde Bavariam petiit, & Monachium urbem amœnissimam nitidissimámque, in absentia Electoris permultis nobilibus aulâque obviam prodeunte deducentéque, intravit. *Monachium in absentia Maximiliani Electoris Bavariæ intrat.* Ac in primo palatii limine Guilhelmus Dux unà cum Electrice Vladislao salutationis officium detulit, absentiâ mox adfuturi Electoris excusatâ: is verò post biduum accurrens in omnem effusus humanitatem variísque lætitiæ gratulationísque exhibitis argumentis, Principem impensè coluit, detinuítque complures dies inter varia spectacula, & mutuas benevolentiæ concertationes. *Is post biduum accurrit & solenniter excipit.* Tandem Vladislaüs Guilhelmo Duci ac Electori valedicens, cum Electore Starenbergam abiit, ibidémque piscatione venationéque recreatus, post valedictiones ab utrinque mutui affectûs benevolentiæque plenas, Augustam Vindelicorum perrexit, atque sub diei sequentis vesperam ingressus est: inde Donoverdâ in transitu visâ Norimbergam *Abeuntem Starembergam deducit.* *Norimbergam adiit & Augustam Vindelicorum.* 8 Augusti.

 adiit,

adiit, utrâque urbe in honorem tanti Principis assurgente: & Augustæ quidem Fuggerorum in convivio exhibito, suarúmque ædium demonstratâ magnificentiâ præcipua eluxit humanitas.

Continuatum deinde per Franconiam iter, lustratáque Herbipolis opulentissimæ pulcherrimæque regionis Metropolis, ejus Principe Episcopo tanti hospitis præsentiam omni genere cultûs observantiæque æstimante. Postmodum Hanovia, Francofurtum ad Mænum, Moguntia perlustrata, & hac in urbe à magnæ eruditionis & eloquentiæ viro Maximiliano Sandæo Societatis Jesu salutatus est. Inde per Rhenum navigio vectus, assurgentes hinc & inde vitiferos colles insessáque elegantissimis pagis littora contemplatus, Bacharacum pervenit, cujus territorium nobilissimi vini fertile oppido nomen fuit: aderat tum ibidem Verdugius Geldriæ Palatinatûsque Gubernator, excipiebátque Principem & festo tormentorum boatu, & splendido convivio. Rursus versùm Boppardiam vela

Herbipolis visa.

Hanovia, Francofurtum, Moguntia.

Bacharaci à Gubernatore Verdugio excipitur.

la fecêre, & ecce Trevirensis Electoris Legati obviàm veniunt, ejúsque nomine Confluentiam invitant, Principe verò nonnihil tergiversante, illi navem suam navi colligantes mandatum se Domini sui exsequi nuntiant, supplicíque prece solicitant, venire ne gravaretur, expleréique desiderium exspectantis tantum hospitem Electoris. Annuit tandem Princeps, & jam cives ad littus in turmas dispositi stabant, ipse verò Elector ad portam palatio vicinam processerat, cùm mox advenientem Vladislaum perhumanæ salutionis officio dignatus est: secutus deinde in lætitiæ signum tormentorum ex arce fragor, civiúmque sclopos explodentium plausus, & quidquid restabat temporis, genio prolixioribúsque erga Principem Electoris studiis datum. Postero die Elector initium à sacris faciens, cranium Divi Sebastiani manu suâ Principi ejúsque comitum venerationi exposuit, tandémque cùm properantem nullis verborum lenociniis, affectûsque luculentâ contestatione diutiùs detinere posset, navem adornari imperat,

Confluentiam intrat & à Trevirensi Electore salutatur.

perat, quam Princeps conſcenderet: in eâque præparato à Legatis Electoris jentaculo, pòſt & prandio inſtructo non abſque deprædicatione exhibitæ ſibi humanitatis excipiebatur. Bonna jam adeunda erat, quâ in Civitate præſtolabatur Vladiſlaüm Elector Colonienſis, eíque appropinquanti ad ripam Rheni obvius fuit unà cum fratre Alberto Duce Bavariæ, peractâque mutuâ ſalutatione & complexu, quidquid humanitatis, amoris, benevolentiæ à cognatis Principibus exſpectari poterat, luculentiſſimè Vladiſlao teſtatum fecêre: uniúſque tantùm dieï ejus præſentiâ exhilarati, Coloniam diſcedentem votis & affectu ſunt proſecuti. Et hanc quidem ingreſſus ſpectavit veteris Romæ æmulam, totóſque dies quatuor Baſilicis, publicæque magnificentiæ perluſtrandæ, & templis impendit. At præcipuè ſingulare illic celebréque apud Agrippinenſes depoſitum videlicet tria Regum puerum Chriſtum adorantium corpora veneratus eſt, univerſâ urbe Principi applaudente, Conſulibus Senatúque ex-

Bonnæ Elector Colonienſis Vladiſlaüm ſalutat.

Coloniam perluſtrat.

exquiſitam humanitatem, ſtudiorum officiorúmque promtitudinem declarantibus, conteſtantibúſque.

Coloniâ Juliacum profectus eſt, inde cùm Aquiſgranum excurriſſet, vidiſſétque nonniſi evoluto ſeptennio oſtendi ſolitum primarii templi theſaurum, ad Belgii fines pervenit, reperítque Comitem de la Valle Sereniſſimæ Iſabellæ Claræ Eugeniæ Archiducis Auſtriæ Legatum, ejuſdem nomine peramanter ſalutantem, Viſetúmque deducentem. Et jam præmiſerat quoque Vladiſlaüs unum è primoribus Stephanum Pacium, qui Bruxellis Infantem adiret, & officii genus ſtudiáque ſua, & obſervantiam deferret. Interim Viſeti rumor percrebuit Hollandorum equitum aliquot turmas vias inſediſſe, infeſtáſque reddidiſſe, proinde Princeps Leodium vel Thenas verſùs iter publicè pronunciari jubet, mox noctu Viſeto digreſſus, Diſthemium properavit, intravítque oppidum horâ circiter octavâ ante meridiem, & inſidiantium prædonum agmen eluſit.

Juliaco Aquiſgranum excurrit.

In Belgii finibus à Legato Iſabellæ Archiducis Auſtriæ ſalutatur, Viſetúmque deducitur.

Diſthemium properat.

Inter Disthemium & Sichemium non infima Brabantiæ oppida, huic tamen viciniùs eminet asper collis, à Virginis Matris simulachro miraculis ac prodigiis celebri claritudinem adeptus, ideóque Belgarum finitimarúmque Provinciarum peregrinationibus frequentatus. Templum Archidux Albertus Belgarum Princeps loco imposuit splendidum magnificúmque, adjecítque domum Patribus de Oratorio institutum Divi Philippi Nerei profitentibus, qui divinis intenti Deïparæ honori deservirent. Locum itaque vicinum sacrúmque Vladislaüs præterire nolens, illuc religionis causâ proficiscitur: tum in genua provolutus egit secundùm Deum Magnæ Matri gratias, quæ illum per tot terrarum spatia salvum & incolumem hucúsque duxisset, quam & in perficiendo reliquo itinere, Dominam suam unicámque imploraret agnoscerétque patronam. Inde Lovanium perrexit, extra quam urbem Comitem de Noyelles Infantis aulæ magistrum, officiosam Dominæ suæ gratulationem exponentem obvium habuit, insequente aulicorum globo multísque nobilium. Et nobilissimum hoc pulcherrimúmque Orbis totius Athenæum, avebat exquisito apparatu tantum venerari Principem, nisi festinatio obstitisset: quidquid tamen temporariæ lætitiæ plausûsque explicare testaríque potuit, non indecorè præstitit. Nec ibidem diutiùs Vladislaüs immorari voluit, namque in Dalensi Collegio cibo refectus Bruxellas properavit.

Inde templum Aspri Collense adit, in eóque Virginem Matrem veneratur.

Lovanii à Comite de Noyelles è mandato Infantis excipitur.

Advenientis Principis Poloni fama universum compleverat Belgium, proindéque ingenti concursu hominum spatium illud inter Bruxellas & Lovanium refertum fuit, singulis videre novum hospitem gestientibus, cujus gloriam rerúmque gestarum splendorem, abunde perceperant. Accessit iterum novus ab Infante honor offerentis videlicet Supremi Præfecti stabuli Vladislao rhedam, quæ recenter eleganti artificio elaborata, ejus usui erat deservitura. Quò verò Bruxellis fiebat vicinior, eò majori occurrentium pompâ excipiebatur, &

Bruxellas proficiscitur & concursus hominum ad videndum Principem.

Comes Octavius.

Noctu Bruxellas intrat. & ante portam quidem inter civium militariter instructorum procedebat agmina, tum adultiori jam nocte per urbem festis collucentem ignibus progrediebatur, donec ad palatium pervenisset, in cujus limine ab Infante peramanter exceptus est, & post primæ salutationis officia, Principum virorum coronâ cinctus ad cubiculum olim Archiducis Alberti, nunc verò suæ designatum stationi deductus est. *Ab Infante salutatur.* Quanti porrò honores Vladislao delati fuerint, quibus lætitiæ significationibus Belgæ venerati sint, quo spectaculorum genere detinuerint, nolo lectorem in iis recensendis immorari: profectò Infans, quam matris nomine Vladislaüs compellare solebat, ejúsque loco semper habuit, tantum ipsius adventu exhilarata fuit, tantáque singularis affectûs benevolentiæque demonstravit argumenta ut & Gubernatricem eo præsente agere nollet, summámque totius penè regiminis ad eum deferret, illum omnium consiliorum participem faceret, eì postulata populorum, supplicum vota innotescere cu- *Coliturque omnibus affectûs & benevolentiæ argumentis.*

cuperet: quæ omnia cùm ille modestè recusaret, nihilominus in ejus gratiam nihil cuiquam petenti denegavit, professa beneficium non à se sed à Principis provenire clementia. Jam verò quidquid olim Archiduci Alberto Belgarum optimo Principi honoris venerationísque à Belgis exhibitum fuerat, paria omnia Vladislao fieri cupiebat, par aderat majestas, eadem ministrorum obsequia, nobilium aulicorum non absimilis reverentia respectúsque, & quò conspectior erga Vladislaum affectus foret, eodem in curru cum illo aliquoties ad celebriora urbis loca vecta, populorum desideria, ostentato, quem tantum æstimaret, Principe, explevit. *Par illi honor exhibetur, qui olim Alberto Belgarum Principi.*

Quis etiam Ducum, Comitum, virorúmque terræ illius illustrium sensus, quæ significatio lætitiæ fuerit, satis erit innuisse, ad Belgas Vladislaum venisse, qui in ludos pompásque effusi, gaudere solent patrias opes ac potentiam advenis ostentare Principibus, & quidem cum summa comitate candoréque. Ac post salutantium officia *Magnates Belgii ad convivia invitat.*

 Vla-

Vladiſlao à Cardinali de la Cueva, Nuntio Apoſtolico, cæteriſque ſummatibus reddita, ſæpiúſque iterata, Croyus, Arſchotanus, Bournevillius Duces exhibuêre convivale tripudiantium oblectamentum, nobiliſſimarum matronarum comparente choro, inſtitutâque ſaltatione: earum blanditiis invitatum aſpexêre Vladiſlaum choreas agentem ſummo decore & venuſtate, & prout decebat Principes feminas, eas omni cultu humanitatéque proſequentem: permultúmque illa comitas Vladiſlaï apud Belgas valuit, ut benignum amabiléque Regii juvenis ingenium admirati, ſæpius deprædicarent. Et Vladiſlaüs mirum in modum eorum comitate captus, candorem aperti pectoris, ſinceritatem, in agitandis conviviis ſermones lætos jucundóſque, matronarum formam, formæque junctam gratiam, decentiſſimis attemperatam moribus extollebat: ſempérque quoad vixit memoriam exhibitæ ſibi apud Belgas humanitatis retinuit, Belgium pulcherrimam Orbis terrarum portionem, in familiari ſermone appellans.

Et tripudia.

Vladiſlao mirè Belgium placuit.

At ſuper omnia Martialis genius Vladiſlaum ad videndum Hiſpani Regis exercitum excitabat, qui eâ tempeſtate clariſſimo militiæ Duce Ambroſio Spinola Bredam vetus Naſſoviorum dominium obſederat, urbem adversùs quaſvis hoſtium vires perquam egregiè communitam à Mauritio: nihílque eâ munitione perfectius antea viſum in Belgio affirmabant omnes, imò & ipſe Mauritius velut jactabundus, eam normam ac regulam cæterarum munitionum appellare ſolebat. Annuit Infans Principis voto, præmonitóque Spinolâ quantum habiturus eſſet hoſpitem, profectioni neceſſaria adornari imperat. Et primò per Mechliniam iter fuit, inde Villebruci cibo ſumto, conſcenſâ navi placidè per Scaldim vectus Antverpiam navigavit, urbémque intravit, referti ingenti multitudine hominum intra extráque urbem viis tectíſque, & in lætitiæ ſignum reboantibus è caſtri urbíſque propugnaculorum tormentis: pòſt Merano in ponte magnifico exceptus Palatio, habuit ſanè complura quæ ſpectaret,

Bredæ obſidionem videre cupit.

Annuit Infans & Spinolam præmonet.

Per Mechliniam Antverpiam venit.

ret, publicæ gratulationis argumenta.

Urbem lustrat. Triduum lustrandæ urbi impendit, accessítque Principem Dei Genitricis Basilicam, & curioso aspectu ornamenta, tabulas illustrium pictorum æstimavit, artificium turris suspexit, Templum Societatis Jesu è marmore candido magnis exstructum sumtibus probauit, Curiam operúmque publicorum magnificentiam laudauit, celebrem Plantini Typographiam invisit, Petri Pauli Rubenii clarissimi per ea tempora pictoris domum suâ præsentiâ condecoravit, ejúsque antiquaria & artis specimina vidit, Petri Brugelli in minutioribus elaboratè depingendis solertiam, & cum natura decertantem admiratus est artem, postremò arcem ab Alexandro Farnesio reparatam restitutámque intravit, vidítque illud frenum, quod, tanto Bucephalo Alexandri viribus ac dexteritate subacto, Antverpia acceperat, tum & propugnacula ipsius Urbis prævalida, & decoro tiliarum ordine ad amœnitatem consita intuitus est. Ad extremum ocellum illum Urbium sic à nonnemine

mine appellatam Antverpiam suo encomio non mediocriter extulit.

Interea venerat Antverpiam Ludovicus de Velasco Magister equitum Generalis cum duobus millibus equitum, qui eünti ad castra Vladislao & honori & præsidio essent: atque iis postmodum vicinior factus, supremum armorum Ducem Spinolam cum primariis Tribunis obvium habuit, fausti adventûs gratulationem deferentem, præ ipsis verò munimentis Henricus Comes Bergensis tria equitum millia explicaverat, & militari more armis submissis Principi reverentiam exhibuit. Mox per universum castrorum ambitum ingens tormentorum in urbem obsessam obversorum fragor audiri cœptus est, alternatim scloporum strepente lætitiâ. *Lipsius. Bredam euntem ducit Ludovicus de Velasco.* *Spinola obuiàm venit.* *Comes de Berge præ castris eum equitatu excipit.*

Acceptum castris Principem Marchio Spinola ad stationem temporaneam quidem at percommodam deduxit, atque universi exercitûs regimen reverenter detulit, in præsentia Vladislaï solam sibi obsequendi, non imperandi relictam gloriam inquiens. *Spinola Vladislao regimen defert, quod ille modestè renuit.*

quiens. Sed ille veteranum Imperatorem omni honore prosecutus, ejus emeritæ auctoritati, quam insigni rei militaris peritiâ, & tot triumphis auctam suspiceret, omnia permisit: deinde ipso ductore castrorum ambitum emetiri incepit, quibus urbem circumvallatam tenebat. Nec sine ipsius encomio intentis spectabat oculis curiosus bellicorum operum contemplator, castella per intervalla altiùs à solo disposita, continuâ militari sepe inter se commissa, alias itidem stationes quatuor plurimùm centuriarum capaces fossâ ac vallo præmunitas, contra vim sive ab obsessis sive ab auxiliaribus copiis ingruentem instructas, & unde ad reliquas munitiones tuendas facilè miles provolaret. Denique aggerum nexûs, suggestûs tormentarios, obsidionales accessûs admiratus, Bredam ad Hispani Regis dominium redituram, novos verò daturam triumphos Spinolæ gratulatus est. Sed hujus urbis circumvallatæ delineationem eleganti stylo explicatam publici juris fecit Hermannus Hugo, vir æquè pius ac doctus, non

Ambitum castrorum perlustrat.

Obsidionem probat.

non absque honorifica Vladislaï mentione, ad quem lectorem remitto.

Post lustratas intra biduum munitiones, circulúmque emensum, quo urbs continuatis veluti mœnibus undique conclusa tenebatur, nova iterum Castrensis oeconomia Principis oculos attraxit. Inspecta granaria annonâ réque cibariâ refertissima, visa braxatoria continuo braxatorum labore potum exercitui subministrantia, & pistorum furni haud otiosi: quippe septemdecim mille panes quotidie militi exhibentes. Ad extremum in rebus omnibus magnopere æstimabat solertissimi Ducis prudentiam, majorémque famâ reperit Spinolam, juréque inter primos in Europa Imperatores nemini secundum adnumeravit, plurimíque semper fecit tantum se vidisse Ducem, & obsidionem inspexisse magnis cœptam impensis, maximâque dexteritate continuatam. Nec Spinola postremam felicitatis partem habuit à Principis adventu, tantóque impensiùs gaudebat ab ejus judicio ac æstimatione sui, quantò illud à Regii juvenis & bellis

Oeconomiam Castrensem admiratur.

bellis innutriti, & militarium operum intelligentis, eximiâ censurâ procedere videbat. Et verò postmodum è castris abeüntem omni reverentiæ obsequiorúmque genere prosecutus est, Antverpiámque deducendum eidem, cum quo ante quatriduum venerat, Ludovico de Velasco Comiti Salazario demandavit, ubi posteaquam feliciter appulisset, nihil moratus sequenti die Bruxellam rediit, pari honore ab Archiduce receptus, pari magnificentiâ habitus tractatúsque.

Redit Antverpiam, inde Bruxellas.

Sed jam adultior Autumnus canáque præ foribus hiems in Italiam Principem avocabat, aliàs si tardaret, incommodis difficilioribúsque objiciendum itineribus, proindéque amœnas illas Belgii relicturus terras, Serenissimæ Infanti valedixit, non absque gratiarum actione, pro ea, quam luculenter expertus fuisset, materni affectûs declaratione: & illa post tenerrimi amoris benevolentiæque contestationem, Principem, quem filii loco habebat, ægre dimisit, addidítque aulæ suæ magistrum Comitem de Noyelles unà cum selecto aulicorum nobilium agmine, qui ad extremos Belgarum fines comitaretur, monitis interea quà transeundum erat edicto locorum Præfectis ac Urbibus de ejus adventu, debitâque præstandâ reverentiâ. Et Duces quidem Crojius, & Areschotanus Nivellâ quò Principem deduxerant, illâque nocte tripudiis festóque conviviorum apparatu exhilaraverant Bruxellas rediêre, cæteri in ipso Belgii limite post ultimum valedictum faustámque itineris apprecationem digressi sunt. Nec immemor Princeps exhibitæ sibi humanitatis fuit, nam cùm ejus comitas ad omnes, ad nonnullos verò aulæ officiales etiam munificentia sese extendisset, Comitem de Noyelles Infanti impensiùs commendavit, tantúmque ejus postmodum commendatio valuit, ut Præfecturam Ducatûs Limburgensis eidem in gratiam Principis scriptis ad Hispaniæ Regem literis impetraverit.

Infanti valedicit.

Deducitur ad fines Belgii à Comite de Noyelles.

Quem Infanti impensiùs commendavit.

Constiterat in aditu Lotaringiæ Vladislaüs, & quandoquidem terræ illius Regulum

Metas videre geſtit.

lum aditurus non erat, & propè eſſe Metas perceperat, urbem Gallorum expugnatione percelebrem, & ad quam Cæſaris Caroli Quinti fortuna faſtidio ac ſatietate jam capta retrocedere incipiebat, proinde ne palàm omnibus fieret, remoto comitatu & Nanſeium rectà pergere juſſo, ipſe cum Radivilio, Caſanovio, Denhoffio, duobúſque inſuper famulis à via deflexit, Metáſque acceſſit. In tranſmittendo ponte nulla difficultas fuit, portam intranti Decurio ſeſe objecit, frontéque caperatâ aſperiùs interrogavit: qui genus, unde domo, & quid negotii in urbe haberent? reſponſum tulit, duos nobiles Polonos, Germanos itidem duos cum famulis eſſe, qui videndæ urbis deſiderio invitati, à recto itinere quo Nanſeium tendebant aliquantùm deflexiſſent, poſtero die aliò ſe mox collaturi. Tum ille ſubſiſtere aliquantulùm jubet, prætenſâ moræ cauſâ, videlicet à Gubernatore, quam iret petitum, licentiâ. Interim tympani ſonitu militem excitat, & cuſtodiam portæ auget, tandem aditum facit, militémque aſſignat, qui

Intromittitur in Urbem cum difficultate.

qui diverſorium commonſtraret. Enimverò vultûs ſublime quidpiam animoſúmque ſpirantes Decurionem perterruêre, ut poſtea cognitum eſt, baltheíque rubeï coloris, qui Auſtriacorum eſt, aliquam movêre ſuſpicionem. Poſtero die Princeps paucis impenſis horis, quæ ad videndam urbem, & quidquid in ea ſingulare ſatìs eſſent, Savernam properavit: ubi Archiducem Leopoldum Avunculum ſalutavit, mirè de adventu ſuo gaudentem, quémque jam humaniſſimè per nobilem aulicum Bruxellas antea miſſum invitaverat. Atque dum Savernæ ſubſiſtit, detinente eum Archiducis prono affectu cognitâque humanitate, ignotus interea ad viciniores excurrebat urbes, quæ inde unius dieï aut ſummùm bidui abeſſent itinere. Ac primùm Argentoratum tanti erat, quod Principis mereretur oculos, poſt Molſchemium, Reinfeldia, Slechſtadium, Ruvachia, Einſemium, & Briſacum inſpectum. Id verò accuratè ut non tantùm curioſitati ſatisfaceret, ſed munitiones, locorum poſitiones attentiùs obſer-

Inde Savernam ad Archi-Ducem Leopoldum ivit.

Excurrit ad videndas vicinas magni nominis Urbes.

ſervaret. Ac dum poſt plures annos Briſacum Bernardus Dux Veinmarienſis obſideret, ille ſcitè peritéque de ipſa urbe, ejúſque munitionibus, tum de ſitu diſſerere ſolebat, prævidebátque ab ejus caſu, univerſam Alſatiam periclitaturam. *1638.* *Ejus de Briſaco judicium.*

Et jam Savernæ complures moratus dies, ad ejus præſentiam Archiduce novis quotidie geſtiente lætitiæ ſignis, poſt mutuum valedictionis officium, ad ſuperanda Alpium juga continuato itinere ferebatur. Itum per Baſileam, Griſones, ac Rhætos, Soloturnenſium, ac Lucernenſium fines, tranſmiſſus cimbâ Flieram uſque Lucernenſium lacus, & quidquid olim ſingulare ad hiſtoriam locorum ille tractus contuliſſet, à peritis inquirebat erudiebatúrque. Superata ad extremum per montem Gotardi Alpium cacumina Italiam aperuêre, & primi occurrebant Inſubres totiúſque Provinciæ caput Mediolanum, eam urbem magni per Europam nominis vidit Vladiſlaüs, nullíque notus intravit, quò liberiùs perluſtraret. Idem fecit Genuæ, cæteríſque Italiæ *Per Baſileam & Helvetios in Italiam pergit.* *Mediolanum videt cæteráſque urbes.*

liæ locis, pergebátque Romam diſſimulatâ Principis perſonâ, niſi illa diſſimulari de integro non potuiſſet, quam fama multorúmque curioſa diligentia propalaverat. Hinc Principum Parmæ, Mutinæ, Urbini, primariarúmque urbium erga Principem reverentia, invitantium, ſalutantium, deducentium prona inſigníſque humanitas: & maximè tenerrimus Urbani Pontificis Maximi affectus emicuit, qui Vladiſlaum ſuis viciniorem terris, miſſo Ariminum Carolo Magallotti cognato ſuo ſalutavit, Romámque literis paternè ſcriptis invitavit. Eas verò quandoquidem Sacrorum ſummi Præſidis ſublime de Vladiſlao continerent judicium, huic loco attexendas eſſe exiſtimavi, quæ ita ſe habent. *Principum Italiæ erga illum affectus.* *à Summo Pontifice per Carolum Magallotti invitatur.*

Hæc Patria generis humani, quæ non ſemel armatos terrarum triumphatores vidit ad Piſcatoris ſepulchrum procumbentes, cùm jam diu anxiis votis te vocet, propinquâ nunc adventûs tui ſpe ſummopere lætatur. Cùm enim indicta pridem Anni Chriſtiani & Sancti Jubilæi ſolennitas, credentes populos ad hoc Religionis Sanctuarium convocet, jucundum cælo homi- *Literæ Pontificis.*

hominibúsque spectaculum fies Poloniæ Princeps, qui Regiam juventutem illustribus victoriis Catholicæ Ecclesiæ commendasti. Excitam illam Aquilonis Orientisque latebris colluviem Turcarum atque Tartarorum, quæ toti Europæ non ita pridem videbatur diluvium minitari, Roma scit Poloniæ Principis virtute compressam, coactámque fuisse salutem meticulosâ pactione, & fugâ turpi redimere. Proinde cogitare potes, te hic Urbis amore & populorum plausu colendum, ubi fortitudinis tuæ tropæa quæ Christianitatis propugnacula fuerunt, consentientibus nationum tam diversarum vocibus celebrantur. Nos verò, qui jam diu triumphalibus nominis tui laudibus favemus, Apostolici amoris brachiis te complectemur decus Septentrionis, & fideï præsidium. Scito ergo te maxima adventu tuo Pontificiæ charitati solatia allaturum, qui certè præsens cognosces quanti apud nos ii Principes sint, qui Barbaricam impietatem profligantes, cœleste regnum in terra propagant. Mentem nostram uberiùs declarabit dilectus filius Carolus Magallottus, custodiarum nostrarum Generalis Locumtenens, Barberini Nepotis nostri Avunculus, & Cardinalis Magallotti frater: quem nobis charissimum ad te ablegamus, ut Apostolicas literas afferens,

Pontificis elogium.

rens, Paternum desiderium nostrum tibi significet. Is autem se nobis morem gessisse tum arbitrabitur, cùm omni officii atque obsequii genere demereri poterit Patrocinium tanti Principis, cui ad nos proficiscenti felix iter precamur, & Apostolicam benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ, apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXVIII Novembris Anno: MDCXXIV. Pontificatûs nostri Anno Secundo.

Enimverò acceptis hisce literis Vladislaüs jure gloriari poterat de tanto támque eximio Pontificis elogio, quo illum decoravit. Nam cùm nonnulli Principes obtentos Christianissimi, Catholici, Defensoris fideï titulos suis præfigant non absque quadam jactantia nominibus, non inferiorem is certè acquisivit, cùm *Decus Septentrionis & Fideï præsidium* à Christi in terris Vicario est appellatus. Et confestim peramanti Pontificiæ invitationi morem gerens, accelerabat Romam iter, pérque Anconam primùm Loretum adiit Magnæ Matri sua redditurus vota, cujus ædem Angelorum delatam ministerio ibidem summo cum pie-

Loreti ædem Divæ Virginis invisit.

pietatis ſenſu vidit, in eâque Cœleſtem auditum Oratorem, deinde humillimâ obſequentis ancillæ voce de cœlo evocatum in uterum Deum, humanam aſſumentem carnem piâ recolebat mente: inde verò abiturus divi Vladiſlaï tutelaris ſui auream reliquit ſtatuam, perenne erga Deïparam grati affectûs monumentum.

Et ex voto donarium appendit.

Et jam Romam appropinquanti in occurſum venit Cardinalis de Torres, duos ante annos in Polonia Apoſtolici Nuncii munere perfunctus, ubi & Cardinalitiæ purpuræ honorem ſibi à Gregorio XV tranſmiſſum acceperat, à cujus præſentiâ ne populo undique confluenti innoteſceret, clauſo curru Urbem intravit, atque ad palatium Ammerini Caponi prope Portam Populi divertit, mox forenſi veſte depoſitâ, Summum Pontificem adiit, ante cujus conclave Cardinalem Barberinum ejuſdem Nepotem offendit, fauſti adventûs è mandato Patrui gratulationem deferentem, tum medius inter duos Cardinales introductus, repetitâ ter reverentiâ, modico niſu ad earum

Cardinalis de Torres Romam venienti in occurſum it.

Romam ignotus ingreditur.

rum ſingulas aſſurgente è ſolio Pontifice, ad oſculum pedis acceſſit: quem ille procumbentem utrâque manu allevat, deinde admoto ori capite arctè complectitur, pòſt ad ſedendum invitat, appoſitâ ſede ad dextrum latus, ſiniſtrum capientibus Cardinalibus Torres & Barberino. Interceſſère deinde ſermones familiariùs colloquentis Pontificis reſpondentíſque Principis, quo alloquio mirè delectatum fuiſſe ferunt Urbanum, Magno Principe dignas Vladiſlaï æſtimantem virtutes. Admiſſi deinde ad oſculum pedum Dux Radivilius, Stephanus Pacius, Lucas Zolkievius, cæteríque: peractâ ſalutatione Princeps ad Palatium unde venerat ſe recepit, aliis Cardinalibus extra conclave deducentibus, ſolo Torres perpetuò lateri adhærente, comitantéque.

Pontifici exhibet reverentiam.

Subſequentibus diebus à viſitantium Cardinalium officiis honorem recepit, pòſt quidquid Roma pietatis, Baſilicarum, Palatiorum, hortorum, antiquitatúmque oſtentat, oculis Vladiſlaï attentè omnia perluſtrantibus ſubjecit. Adfuit ſacris ope-

Viſitatur à Cardinalibus & Romanas antiquitates perluſtrat.

operanti Pontifici, & quod caput votorúmque summa fuit, portam Auream pridie Natalis Domini aperientem & Annum Jubilæi inchoantem spectavit. Super omnia, quæ maximè Roma veneratur antiquitatis Christianæ monumenta, linteum est quod Diva Veronica Christo Crucem ferenti sudore sanguinéque mananti porrexit, cui ille sacratissimæ faciei imprimens lineamenta, piæ mulieris affectum relictâ sui perpetuâ memoriâ gratus rependit. Hunc porrò tam nobilem thesaurum Vaticana asservat Basilica, neminíque ad illud Sacrarium patet aditus, nisi qui Divi Petri Canonicus esset. Anhelabat Princeps & videre & attrectare tam singulare donum, venerarí que vultûs Divini umbram, cujus ut satisfieret desiderio, Urbanus ad Cardinalium senatum retulit, rogavítque sententias: num Vladislaüs Poloniæ Princeps Collegio Canonicorum asciscendus esset, sed plerisque tergiversantibus, unicúmque exemplum Caroli Quinti Imperatoris referentibus, cui tot Imperiorum Monarchæ, tot victoriis cla-

Auream portam aperientem Pontificem spectat.

Linteum Divæ Veronicæ.

Quod ut videre è propinquo & attrectare posset Vladislaüs,

rissimo, an Vladislaüs concesso pari honore exæquandus esset, quæstionem haud postremam videri. Tum verò Pontifex: Nihil se moveri inquit Imperatoriâ Majestate, faciléque se æquiparare posse Carolo Vladislaum Poloniæ Principem, atque eos omnes qui triginta præliis Turcam fuderint, concessóque privilegio Canonicum S. Petri renuntiat, quo beneficio fretus à duobus è Collegio Canonicorum ad Sacrarium deductus est, sumtâque lineâ desuper veste, & ipse cum maximo pietatis sensu fruebatur conspectu tam sancti venerandíque pignoris, & illud affusæ undique populorum turbæ è solito theatro videndum exhibuit.

Contra nonnullorum Cardinalium vota creatur Canonicus S. Petri à Pontifice.

Fruitur hoc Privilegio, videt & populis videndum publicè exhibet.

Et hæc in ipso decursu veteris anni acta 1624. sunt, ut verò Kalendæ Januarii novum aperuêre, ejus auspicia Pontifici per Radivilium Ducem apprecatus, itineri Neapolim versùs sese accinxit: inque Regni limitibus, 1625. Ducis Albani Proregis Neapolitani Delegatum obvium reperit, qui & salutaret, & invitatum deduceret exciperétque. Ventum tandem Neapolim sexto postquam abie-

Novum annum Pontifici gratulatur.

Neapolim venit. 8 Januari. abierat Româ die, nec tardavit Prorex adire venerarique Principem, Palatium omnéque officii ac humanitatis genus deferre. Sed ille æstimatâ sereno vultu blandiorique *Prorex salutat Principem.* alloquio ipsius benevolentiâ, propensâque voluntate, petiit ut sibi sub persona ignoti tanto liberiùs urbem, vicináque loca lustrare liceret, expleturum deinde desiderium Proregis suâ in Palatio præsentiâ, datumque aliquot horarum spatium familiari colloquio. Et fecit libenter; namque unà cum Prorege cœnavit, & in suum honorem institutis voluptuariis præliorum simulachris, *Cœnat cum Prorege & spectaculis ludicris exhilaratur.* ludicrísque decursionibus interfuit, quo in genere ludorum Neapolitana nobilitas cæteris anteït facilè, in apparatus, magnificentiam, sumtúsque immodicè profusa: connivente Hispano, gaudentéque ab iis patrias opes in scena ludísque atteri, noxias fortasse suo regimini futuras, si nimiùm generosos excitarent fulciréntque Spiritûs. Ita demum post varia spectacula, tripudia more gentis edita, Prorege amicè salutato Neapolim Vladislaüs reliquit, Romámque iteratò

iteratò petiit: adhærente ejus lateri per Regnum Neapolitanum Joanne Deodati Pro- *Romam redit.* regio Delegato, lautitiásque præbente. In terris porrò dominiísque Pontificiis, Carolo Magallotto idem officii vicissim exhibente.

Redeunti Romam Palatium S. Petri de- *In Palatio S. Petri excipitur.* stinavit Pontifex, ibidémque lautè habuit, novo deinde honore auxit, gladio galeróque collatis. Vetus is Pontificum Romanorum mos est, ea dona in Natalis Domini nocte consecrandi, Catholicósque ad Principes uti Ecclesiæ defensores transmittendi. Sed Vladislaüs ab ipsius Pontificis manu *A Pontifice galerum & gladium accipit.* magnificè juxtà ac reverenter accepit. Namque in sacello interiore Urbanus gladium gemmeo capulo radiantem lateri ejus applicuit, qui à Magistro Ceremoniarum cingulo adstrictus, pòst exsolutus Duci Radivilio ad tenendum traditus est. deinde galerum capiti imposuit, consuetâ bene pre- *Cum Pontifice prandet.* candi formulâ recitatâ. Posthæc epulum instructum, cui in ampliore aulâ duo assedêre convivæ. Et Pontifex quidem ad se-

paratam mensam sublimiori loco intra velum consederat, Principem verò aliquod sejunxerat intervallum demissiùs accumbentem. Lavanti Pontifici Principum Christianorum more mantile genuflexus porrexit, spectantibus permultis virorum illustrium nobiliúmque, qui etsi rariores admitterentur, in magnam tamen excreverant multitudinem. Inter prandendum per internuntios inter se collocuti sunt, missi è Pontificia mensa cibi delicatiores, propinata salus, bibente Pontifice omnibus venerationis ergò procumbentibus, solo Vladislao capite detecto paululùm assurgente. Sublatis epulis decantati exquisitissimis vocibus dulcíque instrumentorum Musicorum sono, Sigismundi Regis, & Vladislaï Principis, Turcici, Tartarici, Moschovitici triumphi, metris Italicis alligati. Ad extremum Pontifex ducto secum ad retractius cubiculum Vladislao, familiares miscebat sermones, fruebatúrque suavi nec tam facilè reditura conferentis secum Principis affabilitate. Tandem finito colloquio, cùm ad

Colloquitur familiariùs.

aliquod temporis intervallum recessisset Vladislaüs, iterum rediit, sed jam valedicturus: póstque impressum à Pontifice capiti abeuntis osculum, faustámque apprecationem dimissus est: donúmque accepit singulare, offerente illud à sua Sanctitate Cardinale Barberino, videlicet D D. Primi & Feliciani Cineres, Patronorum dieï Natalis ipsius, quod insigne munus Regnum adeptus Varsaviæ in templo Patrum, quos ex recenti instituto Piarum Scholarum vocant, deposuit, ibidémque asservatur magna cum populi veneratione. Atque cùm eâdem vesperâ adjicialem cœnam Cardinalis Barberinus Principi ejúsque Comitatui apparasset, tractassétque opiparè, sequenti die qui vigesimus erat Januarii discedentem Româ Carolus Magallottus Pontificis jussu ad Hetruriæ fines comitatus est, quo in loco Magni Ducis nomine excepturus Principem comparuerat Coloredus quadraginta nobilium agmen secum trahens, pòst venit Laurentius Magni Ducis Patruus: ad extremum & ipse Dux unà cum fratribus adfuit, pòst-

Tandem valedicit Pontifici, & SS. Primi & Feliciani cineres recipit.

Apud Cardinalem Barberinum cœnat.

Româ discedit.

In finibus Hetruriæ excipitur à Coloredo Magni Ducis nomine.

pôstque mutuas salutationes amoris cognatæque benevolentiæ indicia, uno insimul curru vecti Florentiam intravêre.

Ipsemet Dux sit deinde obviam & Florentiam introducit.

Et toto illo tempore quod in octodecim dies excreverat, Florentiæ subsistenti Vladislao varia à Magno Duce hilaritatis lætitiæque publicæ ac privatæ edita sunt specimina, nec alibi in Italia magnificentiora splendidioráque. Visæ namque decursiones equestres, ferarum è caveis emissarum certamina, personata tripudia, comœdiæ miro artificio, versatiles scenas, æquora, rupes, urbium sitûs, silvas, nemora repræsentantes. At una omnes sumtu operarúmque ingeniosâ inventione supergressa est comœdia, in villa Archiducissæ in gratiam sui è sorore nepotis de Rugero, Alcina, & Melissa pulcherrimo apparatu exhibita, decantatáque. Neque tantùm Florentino Palatio aut elegantissimæ urbis mœnibus sese continuêre oblectamenta, edita quoque Pisis & Livorni: hîc quidem triremes Magni Ducis quotquot in statione erant levatis anchoris suis serenitatibus adnavigantibus in

Splendidè tractat & variis oblectamentis detinet.

Comœdia ab Archiducissa exhibita.

Pisas, Livornum videt & Magni Ducis triremes.

in occursum venêre, tormentorum sono tubarum clangore lætitiam contestantes. Fortunatus erat Navarchis Vladislaï adventus, sed longè fortunatior mancipiis ad remum damnatis, quibus illius præsentia feliciùs Castore ac Polluce amicis navigantium sideribus illuxit, cúm plerisque illorum præsertim gentis Sarmaticæ hominibus, libertatem à magno Duce impetrasset, abjurantibus confestim Machometanam religionem, quâ miserrimæ vitæ tædium apud Turcas emerant, proindéque Christianis infesti navigiis, Deï, Religionis, generis obliti piraticam exercebant.

Mancipia ad remum damnata libertati restituit.

Tandem Princeps exquisitâ humanitate Magni Florentiæ Ducis ubique recreatus, post mutuas venerationes valedictionésque, Venetias profectus est, ejúsque Reipub. singularem erga se propensionem favorémque agnovit: cujus sumtibus Regiè tractatus, insuper spectaculis, & in magno Canali editâ naumachiâ exhilaratus fuit, tum quidquid sanctioris rariorísque urbs illa asservat, totum id Principi patefecit, Senatoribus la-

Venetias intrat agnoscitque Reipub. singularem humanitatem.

teri ejus ſemper adhærentibus, omniáque edocentibus. Atque illâ comitate Venetâ tantopere deinde captum vidimus, ut dum Candienſi bello implicati, à Rege Vladiſlao ſubſidia peterent, is ſedulò arma pararet, quibus Othomanas vires diſtraheret averterétque, niſi alia mens Senatûs Ordinúmque tunc fuiſſet. Certè ad extrema vitæ tempora quantum Venetis fideret crederétque declaravit, cùm eïs in tractanda cum Suecis pace arbitrium moderationémque unà cum cæteris Chriſtianis Principibus detuliſſet, quæ alibi fuſiùs explicanda erunt.

Venetis mirè favit ad extrema uſque tempora.

Martio menſe Venetiis Italiâque relictâ per Stiriam ejúſque Urbem Principem Græcium, Viennam rediit: ubi Imperatoris manum exoſculatus, poſt recuperatas à morbo, in quem ſummo cum aulæ illius mœrore inciderat, vires, Nyſſam contendit, commodéque illuc advenerat. Deſtinaverat quippe ſibi Epiſcopatûs Vratiſlavienſis ſucceſſorem Carolus Archidux Auſtriæ ſuum ex ſorore nepotem, ejuſdémque nominis Poloniæ Principem Vladiſlaï fratrem, miſerátque

Per Stiriam Viennam venit.

Inde Nyſſam ubi permultum ejus adventus conduxit Carolo Ferdinandi Fratri ad Epiſcopatum adipiſcendum.

Rex

Rex Vratiſlaviam Legatum Sigiſmundum Opacium, qui Electioni Epiſcopi intereſſet, júſque ab Archiduce conſentiente Capitulo acquiſitum promoveret. Tergiverſantibus verò Canonicis, atque electionem differentibus eludentibúſque, ſubitò Vladiſlaum principem Nyſſam veniſſe, & aliquot millia velitum Polonorum in Sileſiam irrupiſſe nunciatur: tum porrò perterriti Collegii illius primores, rémque armis geri exiſtimantes, Imperatore pro jure affinitatis connivente, (qanquam procùl tunc omnis vis aberat) nec non & Vladiſlaï præſentia Nyſſæ commoti acceleratâ Electione, Principem Carolum Epiſcopum Vratiſlavienſem renunciarunt.

Hîc demum finis fuit ſuſceptæ à Principe peregrinationis ſummo cum omnium applauſu peractæ, & Rex Pater complexus reducem, jucundo excepit vultu, cum maxima totius aulæ gratulatione. Et tunc quidem Domum Regiam à recenti luctu atratam reperit; namque paulò ante ipſius reditum deceſſerat Anna Infans Sueciæ, Sigiſ-

Redux à peregrinatione Regem ſalutat.

Anna Infans Suecia Vladiſlai amita moritur.

 mundi

mundi ſoror germana, virgo maturæ ætatis ſummæque prudentiæ, ac præclariſſimis quà naturæ, quà ingenii dotibus exornata. Pulſum è Suecia fratrem ſecuta erat, ſéque Caroli Patrui jam tunc furentis inſidiis ſubduxerat: Polonis mirè favens, unde illi maternum genus, eáque propter magnæ apud eoſdem venerationis, utpote in qua hæreditarias Catharinæ, Annæ, Zophiæ Heroïnarum Domûs Jagielloniæ magnarúmque Reginarum virtutes ſuſpicerent, niſi quòd ab illarum veteri avitâque deſciviſſet religione, inque Patris gratiam Lutheranam profeſſa fuiſſet, retinuiſſétque uſque ad extremum vitæ terminum. Vladiſlaum ſummo proſequebatur amore, eam verò ille magnopere obſervare ſolitus erat, diſcedénſque ad exteros Brodnicii convenit ſalutavítque, ubi paucis ante mortem annis domicilium fixerat. Et cùm Sigiſmundus frater ultimum ſepulturæ honorem diſtuliſſet, captâque à Suecis Brodniciâ, & poſtmodum recuperatâ, corpus ipſius aliquot annis inhumatum jacuiſſet, Vladiſlaüs jam Regno potitus magnificè

Ejus elogium.

Catharina Sueciæ, Anna Poloniæ Reginæ, Zophia ducis Brunſuicenſis uxor.

Vladiſlaüm tenerius amavit.

Torunii ſepelitur procurante Vladiſlao.

ficè illud efferri curavit depoſuítque Torunii ſplendido deſuper impoſito mauſoleo.

Duas illa beneficio Regio è conſenſu Ordinum obtinebat Præfecturas Brodnicenſem & Golubenſem, utramque in Pruſſia ad fluvium Drwanciam loco opportuno ſitas. Eas ſperabat Vladiſlaüs ſibi à Rege conferendas, inſtabátque apud Patrem ardentiùs: jámque affectûs Paterni quaſi ſecurus dùm ille graſſante ſævâ per Poloniam contagione Oſjecium primò, deinde Ciemiernikos aulam transfert, hic Brodnicium Golubiúmque ſeceſſerat liberas tunc à peſte Civitates, earúmque in territoriis venationibus vacabat, fixo ibidem tantisper domicilio. Sed Rex ſive ſuâ ſponte, ſive illorum ſuaſu, qui gynecæo fortunæ ſuæ incrementa debebant, Reginæ præter omnium ſpem contulit: id verò quandoquidem inſciis Ordinibus feciſſet, nec requiſito illorum conſenſu, ingens ortum erat murmur, quod aliquot Comitiorum conſilia retardavit: acriter cum Rege expoſtulante equeſtri Ordine, eámque donationem reſcindi annitente.

Vacantes à morte ipſius Præfecturas Brodnicium & Golubium à Rege Vladiſlaüs poſtulat.

Eas Reginæ confert ſine Ordinum ſcitu.

Id molestè ferunt Ordines, nec aßensum præbent, suspicio oritur quasi concitaret illos Vladislaüs.

Existimabant plerique à Vladislaï repulsâ nobilitatem ferociùs insurrexisse, ac si clàm concitatam exasperatámque. Sive enim idipsum Princeps amicorum nonnullis insusurrasset, sive affectus bene illi cupientium sponte erupisset, certè constat post collatas Reginæ Præfecturas in primis statim Comitiis nullum voluisse assensum præbere Delegatos Ordinum, sperabántque Regem suis permotum querimoniis, injicientibus continuò remoram saluberrimis de Republ. consiliis, revocaturum donationem, quam tacitè destinabant Vladislao, permittentes videlicet Regi ejus reditûs censúmque, è Reipub. bonis augere, utpote cujus in eam exstarent maxima merita, quorum seriem summa cum Principis laude fusè lex recenset. Nec diffiteor vidisse me literas manu Vladislaï ad nonnullos Procerum scriptas, pérque id tempus missas, quatenus authoritatem suam in conventibus nobilium peragendis eo in negotio interponere vellent, indéque magnos nunciorum clamores promanasse existimo. Sed Rex etsi in pluribus Comi-

1626 Titul. Auctio provisionis.

Comitiis Delegatorum vocibus peteretur, summo cum Reipub: damno, alia tunc consilia aliáque subsidia exposcentis, nil tamen de sua remisit constantia, cunctatione solitus motûs præfervidæ nobilitatis languidiores sensim reddere. Neque quæstio nisi post annos aliquot sopita est, accedente tandem facultate Ordinum, quæ Reginæ eas concessit Præfecturas, cùm interea Vladislaüs à Rege quadraginta millium florenorum summam annuatim perciperet, quam olim Annæ Sorori Infanti Sueciæ è proprio peculio dare consueverat, & censu amplioi rex aliquot Præfecturis provenienti ditaretur.

Conceduntt tandem Reginæ Ordines Præfecturas. 1631.

Et Vladislao auget Rex reditûs.

Atque hinc libens arripio occasionem plura de reditibus censúque annuo Vladislaï scribendi, non tam nostratium causâ, quàm exterorum si fortè hæc in illorum manus inciderint, ut constet etsi Polonis non sorte nascendi, sed liberis suffragiis impositi dominentur Reges, eorum nihilominus posteritatem paterno à Repub. excipi soveríque sinu. Contigit namque mihi audire virum aliàs gravem, sed rerum nostrarum minùs peri-

Quales illi & quas habuerit Præfecturas.

peritum aliter ſentientem, & ejus quidem inter nos ſermonis dederat anſam unius è Principibus Polonis frequens peregrinatio, quam ut rariſſimam Regum filiis lubens conceſſerim, ita repetitam & promiſcuam nil niſi contemtum párere exiſtimo, evileſcente & famâ & auctoritate, quaſi multoties apud vulgum proſtitutâ, cui Principes exteros à longinquo tantùm mirari uſitatum eſt. Vladiſlaüs itaque ut meritis erga Rempub. inclytus, ita bello Moſchovitico peracto Ducatûs Severiæ adminiſtrationem primùm à Rege conſentientibus Ordinibus obtinuit, & profectò ſatis quæſtuoſam, deinde à deceſſu Joannis Zolkievii Rubiſevienſem & Janorovienſem, tum vitâ excedente Niemoievio in Pruſſiâ Oſiekum & Miedzileſium, ad extremum Solecium & Krepicium, illam poſt Zbaraſci Ducis, hanc poſt Nicolaï Volſcii Marſchalci Regni mortem. nobiliſſimas Præfecturas collatas ſibi habuit, nec minùs in Lithvania opulentas Boriſovium, & Merecium. In ſubſidium Rex prout meminimus quadraginta mille florenos

nos annuatim ſeponebat, quò decentiùs ſe ſuámque Domum ſuſtentaret. Ex iis omnibus Præfecturis ſi cenſûs exactè collecti in ærarium Principis illati fuiſſent, habeo auctores ſummam aliquot centenis aureorum communium millibus æſtimari potuiſſe. Staniſlaüs Grochovius ſupremus fiſci Regii Notarius, vir in ſubducendis rationibus exactiſſimus, idipſum multoties nobis audientibus referebat, ſolámque Severiam, ſi ab exquiſitis Oeconomis juſtè & ſincerè adminiſtraretur, ſuffecturam ditando Principi fuiſſe affirmabat. Sed ille minùs attentus reï ſuæ domeſticæ, miniſtris facilitate ejus abutentibus, ſemper egebat, cùm cæteri opes inde corraderent, exiguâ & quàm liberet portione relictâ ipſius ærario inferendâ: indéque nonnulli aſperſêre Principem prodigentiæ nota, cujus erat indicium profuſa quædam nimiáque donandi libertas, abſque ullo rerum ſuarum reſpectu, quandoque & perſonarum delectu.

Vladiſlaüs minùs attentus rei ſuæ Domeſticæ non abſque Prodigentiis nota.

Inter miniſtros qui Principis ingenium mobile paribus foveret excitarétq; artibus,

Adamus Kazanovius in summa gratia Principis, in quem nimis effusè liberalis.

in ore omnium erat Adamus Kazanovius; hunc Sigismundus pater supremum Cubiculi Præfectum commendaverat, servitióque addixerat juvenem ejus penè cujus & Princeps ætatis. Admotus ille Cubiculo promtus facilísq; obsequio esse cœpit, Principis jussa exsequi, dictis factísque adblandiri, & ut ipsius ingenium altiùs introspexerat eidem se conformare, in mores naturámque immigrare, lenociniis & illecebris, quibus illa ætas capi solet detinere ac devincire, pérque hoc in gratiam paulatim sese insinuare: cujus postaquam culmen occupasset, majora audere visus est, tenuítque eam diu potentiæ arcem, in summâ opum affluentiâ, magnis à Rege Vladislao auctus ornatúsque honoribus, ut alibi dicturus sum. Sed dum apud Principem adhuc vacuum rerum potitur, vulgò ferebatur sæpius munificam ejus implorasse manum, suísque plùs quàm Domini studuisse commodis: adeò ut & Præfecturam Boristoviensem solus haberet, nullo vel exiguo Principis fructu, & elegantias Domûs Regiæ signa, tabulas, nonnullas

nullas etiam à Patre donatas filiò magni pretii gemmas, importunâ extorqueret prece, nihil sibi quidquid placuisset denegante Principe, summâ cum ejusdem jacturâ dispendióque, præsertim cùm tantopere adamati famuli pratrocinio in plerosque haud opportuna derivaretur liberalitas.

Edocebant Regem maturiores Vladislaï ministri de immodicis largitionibus, pérque has exhausto Principis ærario, nec suffecturo, si ita spargere pergeret, sustentandæ ipsius dignitati, passímque Kazanovium incusabant, qui in Regiam supellectilem involaret, connivente multáque donante Principe, orabántque Regem, obviaret maturè, filiíque commodis pro suâ prudentiâ & auctoritate paternâ provideret. Sive ea fuit constans & supra aulicum obsequium deferentium fides, quæ procul dubio Regiam eïs benevolentiam conciliaret, sive odium in Kazanovium, quod veriùs existimo, cujus dominantis potentiam ægre ferebant, pérque hoc, ut de gradu dejicerent, arietare incipiebant. sanè Rex nihil prius habuit, quàm

Accusatur apud Regem.

advocato Vladislavio Præposito Varsaviensi Principis olim præceptore, & reï oeconomicæ intelligente, tum Andreâ Szoldrscio, nonnullísque aulæ suæ primoribus, inter quos Jacobum Zadzik Regni Cancellarium comparuisse jussu Regio scio, consilium ab iisdem exquisivit, quis modus foret sistendæ tam profusæ largitionis, redituúmque per bonos ac fideles oeconomos inferendorum, & à parciori manu erogandorum. Sed maximè Regem affecit offensúmque reddidit Kazanovii temeritas, apud quem plerasque Domûs Regiæ elegantias latêre sciebat, quapropter cùm de administrandis bonis Præfecturísque certi aliquid statuisset, domum ubi res ejus supelléxque asservabatur adiri, fores sigillo obsignari, omniáque ad ulterius suum mandatum attineri imperat. Et Kazanovius, qui tunc Regiomonti negotia sua curabat, ubi de Regis offensa eâque ignominiâ nuntium accepit, subitò veluti fulmine ictus penè exanimis constitit, mox ad aulam accurrit, gestu supplici, lacrymísque suam testari in-

Rex cum nonnullis deliberat de sistendis Vladislai profusis largitionibus.

Kazanovii supellectilem attineri imperat.

nocentiam, prehensare Primores: vidimúsque tunc in omnem compositum submissionem, ignarum quæ illum brevì fortuna maneret, cujus vix anno elapso summum occupaturus erat fastigium: & ii ipsi quos prensaverat satìs habuêre postmodum, si janitoribus ipsius innotescerent. Quæ verò maximè angebat Kazanovium fuit absentia Vladislaï, qui valetudinis causâ ad thermas apud Egram se contulerat: sed is certior jam factus quid actum fuisset, paulò pòst rediit non absque aliquâ indignatione, dolorísque sensu, ac primùm salutato Rege petiit, ne eam ignominiam pateretur inferri aulico suo, suæque insimul existimationi, præsertim cùm earum donationum conscius esset, proindéque interpretaturum quemlibet, per alienum latus tacitum sibi fieri convicium. Deinde & illam de bonis administrandis consultationem, quid aliud allaturam nisi famæ suæ reputationísque aliquod detrimentum, quasi ejus prodigentia curatore egeret. Et hæc quidem apud Patrem debitâ cum observantiâ urgebat, at in

Accurrit ad aulam prehensat supplex Primores.

à morte Sigismundi.

Absentia Vladislaï illum maximè angit.

Vladislaüs cum Rege Patre colloquitur.

illos, qui auctores Regi fuerant, offensam haud dissimulare potuit, incendente animum Principis Kazanovio lacrymis, suique commiseratione. Vladislavium quidem subduxit indignationi mors, namque interea è vivis excesserat: Andreas Szoldrscius diu gratiæ Vladislai ambiguus fuit, Lampogniani verò Italus Sacerdos patriâ Mediolanensis, qui hujus scenæ instructor credebatur, Italiam suam repetere jussus est, licèt in gravioribus negotiis sæpius illius operâ Princeps uteretur, cum cæteris dissimulatione agendum existimavit. At Kazanovius in gratia Vladislaï pristinam vim retinuit, firmiorem constantiorémque magis à tam validis ictibus consolidatam, & quam nullus æmulorum oppugnantium impetus evertere potuit, crescentéque favore & beneficentiâ, ipse quoque non mediocriter fortunas suas extulerat, ut nemo illo splendidior magnificentiórque in aula Polona compareret. Sed opes illæ tantíque apparatûs quoquomodo coacti Vernæ nivis ad instar colliquescentes subito à morte ipsius disparuêre, & dum

In auctores hujus facti invehitur.

Kazanovius summum apud illum gratiæ locum obtinet.

dum huic operi nostro ultimam manum admovemus, signa, tabulas, cæteráque magnificæ domûs ornamenta passim distrahi venúmque exponi vidimus: & cara illa nimiúmque adamata uxor, in quam familiæ suæ propinquis cognatísque præteritis ac exclusis omnes facultates bonáque donationis jure transtulerat, repetito conjugio factiosum boníque omnibus invisum nacta virum, quémque olim ipse maritus detestabatur ut hominem perfrictæ frontis, pessimísque artibus innutritum, infelicis properatíque conjugii luit pœnas. Namque post illatas in thalamum ferales dissidiorum faces, secutáque ab utrinque dissidentium certamina, supellectilem pretiosam in continuos sumtus distractam, denudatámque ornamentis domum, cui emtorem quærit, non sine gemitu intuetur. Ac inter continua fastidia anxietatésque unico se divortio solatur, recurrítque sed serò ad sui olim mariti memoriam, cùm se Kazanoviam dici inscribíque vult. ad Radzieiovii veluti fatale exhorrescens nomen. Profectò si id manes cu-

Opes illius à morte subitò disparent.

Uxor illius repetit matrimonium infeliciter.

Hieronymus Radzieiovius publicâ lege perduellis declaratus & hostis Patriæ.

curarent sepulti, existimarem unam ex Eumenidibus ab inferis arcessitam, quæ & uxorem tali mulctaret infortunio, & Radzieiovium suo exturbaret thalamo, iisque agitaret furiis, quibus concitatus postmodum in Regem, Patriam, impius esset. Verùm ista posteriori evenêre tempore, quominus tamen huic loco attexerem, ipsa opportunitas suasit, unde retractâ narratione, redeo ad illos annos qui & bello graves, & peste calamitosi Poloniæ fuêre.

Gustavus interceptâ Livania Prussiam invadit.

Gustavus namque Sueciæ Rex interceptâ anno superiore Livoniâ, in quâ per æmulationes Ducum (quippe Leo Sapieha Palatinus Vilnensis prælatus Christophoro Radivilio Magistro Generali Equitum, Supremam Litvani exercitûs Præfecturam à Rege acceperat) deinde per præposteram Ordinum parsimoniam, haud volentium ad illud contribuere bellum, quod tractatu instituto finiri posse sperabant, victor evaserat: accedentibúsque paulatim incrementis sternebat illi fortuna viam, per quam & in Prussiam irrumperet: irrupítque, pandente proditione aditum, cujus notam difficile effugere poterunt ii, ad quos portûs Pilaviensis unica spectabat cura. Namque Rex uno ferè anno ante hostilem invasionem de apparatu maritimo conatibúsque Gustavi edoctus, Regentes Ducalis Prussiæ commonuerat, ipsúmque Electorem Brandeburgicum utì beneficiario jure possessorem, insuper & Legatos miserat, qui portum inspicerent, serióque ejus custodiam inculcarent. Verùm ab Electore & Regentibus tuta inde securáque omnia sanctè pollicentibus, res aliter secuta, fideï illorum erga Regem Rémque publicam debitæ permultum detraxit. Quæ omnia possem hîc uberiùs exponere, & simultatum causas, quæ inter Regem Electorémque intercesserant, aperire, tum & belli Pruthenici progressum enarrare, exstantibus plerisque apud me temporum illorum diurnis actis, sed quandoquidem historiam Vladislaï ejúsque res gestas scribere aggressus sum, eóque in bello nullo officio functus fuerit, quod nonnullorum ambitio impediverat, proinde supersedeo.

Pandit illi aditum proditio.

Vladislaum præficiendum bello Pruthenico nonnulli censent.

Quanquam non defuêre plerique Senatores, qui primo in impetu belli, universi exercitûs regimen committendum esse Vladislao censerent, moti Legatione Terrarum Regalis Prussiæ, quarum nobilitas ex castris ad Graudentum præcipuos ad Regem ablegaverat, id primariò efflagitantes. At præoccupatus Regis animus à Gasparo Doënhofio Præfecto Laiscensi, difficulter aliò trahi poterat: namque ille tractandi Principis peritissimus, blandè insinuaverat, frustra nec sine invidia Ducem aliunde quæri, quandoquidem huic muneri par esset Stanislaüs Koniecpolius Magister Generalis Equitum, cujus honori haud consultum foret, si alius legeretur, quémve in suo gradu relinquendum esse magis expediret. Et tanto magis postmodum invigilavit, utpote affini suo addictus, ejúsque fortunæ innixus, tunc verò maximè cùm Rex mirâ celeritate collecto intra aliquot septimanarum spatium duodecim millium exercitu, ad primum belli incendium in Prussiam advolasset: namque non defuêre qui suaderent, temporariam interea regiminis summam deferendam esse Thomæ Zamoscio Palatino Kioviensi, antequam è Russia Koniecpolius arcesseretur: neque id pervinci potuit in omnes occasiones momentaque intento Doënhofio, timentéque ne per hoc paulatim ad alium negotiorum bellicorum arbitrium transferretur, præsertim si novi Ducis regimen propitia fortuna fausto comprobasset auspicio. Ita interim dum plures præesse imperaréque cupiunt, opportuna reï gerendæ elapsa est occasio, & tanti exercitûs comsumtâ alacritate, hostis vires animósque sumsit, quas postea cum ingenti Reïp. damno exseruit, firmavítque armorum sedem in Prussia, cujus sub adventum Regium dubius erat, nutaréque cœperat, si par militum ardori regentium prudentia fuisset.

Impedit Doenhofius.

Idem invigilat ne quispiam Koniecpolio præhabeatur in hoc bello.

Hinc nullus initio armorum effectus secutus.

Koniecpolius in Prussiam venit & hostem continet.

Venerat tandem in Octobre suis cum legionibus Koniecpolius, satísque habuit hostium prohibere incursiones, hieméque integrâ coarctatos in suis continere stativis. quid verò postea actum gestúmve, dicent il-

lorum temporum annales. Mihi verò bellum illud consideranti videtur, Gustavum summi bellatoris artibus instructissimum, Martiam in Prussia aperuisse palæstram in qua Polonos campestribus assuetos præliis, ad eam formaret militiam, quæ in muniendis oppugnandísque urbibus, castellis excitandis, castris tutò securéque locandis exquisitam requirit solertiam: ostenderátque non tantùm hostem numerosis prævalidum copiis, sed & regnorum opes ab exiguo milite tutis incluso receptaculis atteri frangíque posse. Et hæc quidem cunctabunda pugnandi methodus modernâ viget tempestate, optimo certè invento, si bellum trahere, non gerere generi mortalium conduceret. Etsi verò nostris in Prussia cladibus Gustavus innotuerit, quarum primæ non ab ipsius robore fortitudinéque, sed à proditione, aliæ ab incerta Martis alea dubióque eventu belli provenêre, propè tamen pares opponere possent Poloni inter varios illatos conflictûs, è quibus bis Gustavus saucius excessit, tertiùm profligato exercitu jam penè tenebatur captivus,

Gustavus Polonis in Prussia Martiam palæstram aperuit.

Non sine clade Polonorum à quâ nec ipse immunis.

ptivus, sed fortuitò elapsus relicto capitis tegumento evasit, arces nonnullæ recuperatæ, auxiliares ex Germania copiæ suis cum ductoribus ne stricto quidem ferro ad deditionem coactæ, signáque equestria & pedestria relata, pluráque à militibus sperari potuissent, si in procurandis stipendiis majore provisu, nec omissioribus animis in eo ducendo bello Ordines adfuissent, ísque demum militiæ ordo constitisset, quem exacta scientia peritiáque requirebat.

Ultimò tandem externa venêre subsidia, subministrata à Ferdinando Secundo Imperatore, quibus Valstenius Arnhemium præfecerat: huic porrò tam valido ex lectissimis legionibus compacto corpori, par animus ac vires inerant, majoráque patrassent, sed alio sub Duce: quippe hic suspectæ fideï (quod in illo Vladislaüs notaverat Patríque suggesserat) non tam auxiliarem quàm proditorem egit, ob ídque à Cæsare revocatus successorem Adolphum Ducem Holsatiæ habuit, Regi addictiorem fideliorémque. Et hic est ille Arnhemius, qui postmodum de-

Ferdinandus Secundus Imperator mittit subsidia duce Arnhemio, qui proditor.

ſertis Imperatoriis partibus, Saxonici exercitûs Suecis fœderati ductor fuit. Tandem bellum illud Pruthenicum, quod ultra quadriennium geſtum erat, induciis in quinquennium ſtabilitis conquievit. At Rex Sigiſmundus difficulter in eas conſenſerat, & antea multoties ſolicitatus ab Ordinibus, ut honeſtis, quas offerebant Sueci, conditionibus, vel perpetuam, vel plurium annorum termino circumſcriptam conficeret pacem, néve Remp. moleſto implicaret bello, nunquam adduci potuit, ſpeï injectæ ab Auſtriacis ultra modum memor tenáxque, quam illi ad recuperandum patrium Regnum fecerant. Præſenſerant illi Guſtavum Germanis Principibus contra Cæſarem adhæſiſſe, noménque ſuum fœderi dediſſe, inde magnum ſibi imminere hoſtem ſubverebantur, quem belli Ducem expertum diſſidens exſpectaret vocarétque Germania, proindéque diſtinendum alibi interim judicabant, Sigiſmundúmque Regem à pace induciiſque ſtabiliendis variis dehortabantur rationibus.

Sigiſmundus difficulter in inducias conſentit.

Spe ab Auſtriacis injectâ fretus.

Qui Guſtavum in Polonia diſtinere volunt.

Atque

Atque hoc conſilium ab Hiſpania primùm emanaverat, unde magnifica legatio à Philippo Rege ad Sigiſmundum expedita fuit, munus id obeunte perquàm ſplendidè Comite de Solre Equite velleris aureï, viro magnæ inter Belgas nobilitatis, nec poſtremæ in aula Hiſpana auctoritatis. Huic dederat Hiſpanus Rex certa mandata commentario utì aſſolet comprehenſa, in quo ubi de conſpiratione Hæreticorum, de mutuo periculo, déque Domûs Auſtriacæ erga Rem Catholicam conſtantiſſimo ſtudio, copioſiſſimè diſſeruiſſet, nil æquius cenſet, quàm ſi Rex Poloniæ ſuo & Reïpub. bono auxilia pro viribus conferret, vel ſi hoc publicè non videretur expedire, ſaltem aliâ utilioréque viâ promoveret. Et cùm notum ſit uſurpatorem Seciæ ejuſdem ſectæ eſſe, cujus ſunt hoſtes Domûs Auſtriacæ, & fideï Catholicæ, ideóque cum illis in unionem coïviſſe, proinde ſedulò cogitaret viderétque, an non tempus opportunum eſſet arripiendi arma contra uſurpatorem Regni Seciæ, qui non contentus Regni ſpolio, Livoniam Poloniæ

Hiſpanus Rex miſſâ legatione ab induciis dehortatur.

Contenta legationis.

niæ avulsit & abstulit, plura ausurus nisi obviàm eatur, istud verò è communis causæ & Catholicæ unionis bono, & commodo esse. Si enim Suecus domi bello infestetur, Sociis suis auxilia forìs subministrare quî poterit? Demum iis verbis concludit: *Suæ Majestati hæc ob oculos ponuntur; ut eorum habitâ ratione Inducias illas Sueticas abrumpat, & continuationi earum omnino aurem deneget, & ut sine temporis intermissione contra eum moveat, ad proprias ditiones recuperandas, & occupandas, ita ut divisis ipsius viribus, in auxiliis suorum, & defensione eorum, quæ usurpavit, in ambabus partibus faciliùs confundatur.*

Respondet ad legationem Rex. Ad ea respondit Rex scripto, & præfatus multa de hostibus, quibus Polonia undique pateret, tum de Hæreticorum Principum machinationibus, quod ad Suecum attinet subjunxit: *Conditio Imperii Regiæ Majestatis qualis sit & quibus adstricta legibus, non ignorat Catholica Majestas, omnia penè in hoc Regno statuum arbitrio geri, ita ut de bello bellique nervo, nihil inconsultis Ordinibus statui decernique possit, quæ res sæpe necessarios & opportunos Regis pro publicâ salute*

lute conatus retardat, nonnunquam etiam irritos reddit. Hic ipse Regni Sueciæ invasor, jam pridem in ordinem redactus fuisset, nisi toties ab Ordinibus Regni impetratis Induciis, falsâ honestæ pacis & transactionis ostentatione nobis illusisset. Ultimo addit: *Nec de paciscendis cum hoste Induciis etiamsi ille ab iis abhorrere non videatur, in præsenti rerum statu non cogitat Regia Majestas, magis eas circumspicit rationes, ut hoste hîc impedito arma in Sueciam transferat, quod si à Classe paratior esset, jam pridem nefarii hostis ausûs coërciti fuissent. Qua in re si Catholica Majestas Classe suâ littoribus Suecicis admotâ Regiæ Majestati suppetias ferret, rem dignam & Catholico nomine, & fraterno amore præstaret, & haud dubiè unâ eadémque ratione Daniæ Regem, nunc visceribus Germaniæ inhærentem, ad tuendum Regnum suum præsentis & domestici belli ostentatione retraheret.* *Nec de paciscendis induciis cogitat.* *Classem ab Hispano petit.*

Hæc Legationis Hispanæ summa responsique Regii tenor fuit, & ne ad tractandam cum Suecis pacem aliquâ ratione Sigismundus flecteretur, manserat ad aulam Joannes Bonyers Baro de Auschi & ille Belga, sed Hispanis imbutus moribus, vírque ad res

 geren-

Baro de Auſchi ad aulam manet.

gerendas dexteritatis non vulgaris: is ad ea quæ agebantur attentus, ſedulò Regis animum avertebat, belli conſilia ſuggerens, & ſubſidiariæ Claſſis ab Hiſpano venturæ non dubiam ſpem faciens. Certè videbantur in id ſeriò Auſtriaci incumbere, & poſt deletum fugatúmque à Tillio Daniæ Regem, loca nonnulla maritima ceperant, proindéque magnum rebus ſuis momentum acceſſurum providebant, ſi in Baltico mari Claſſem explicare poſſent, ad coërcendum continendúmque Danum & Suecum. At Hiſpanorum aliò collimabat conſilium, namque eos non tam Danus Suecúſve ſolicitos tenebat, quàm Batavorum per Balticum mare continuò commeantes naves, indéque magna & potiſſima pars lucri proveniens, cujus commoditatem arreptâ hac occaſione præſcindere annitebantur, varióſque inſuper inibant modos, quibus commerciorum cum maritimis Civitatibus præcipuè verò Anſeaticis facultatem impedirent. Exſtant apud me manu Baronis de Auſchi ſcripti articuli, univerſalem proponentes

Hiſpani Hollandos à Baltici maris navigatione excludere intendunt.

nentes excluſis Hollandis commerciorum cum Hiſpanis libertatem, ſed quia irritus ille fuit conatus, quem ardenter urſit in aula Polona Baro, & claſſis promiſſa non comparuit, neque haberi potuit: proindéque nullo effectu ſecuto, evanuère illa conſilia, & Sigiſmundus pace ſequeſtrâ bellum Pruthenicum finivit, non minori accepto damno à perditâ decem navium optimè inſtructarum claſſe, quam Cæſari petenti mutuam dederat, ea verò deinde Suecis in Germaniam irrumpentibus prædæ ceſſerat. Monuerat Rex Torquatum Conti qui valido cum præſidio Pomeraniæ tuendæ impoſitus erat, ut videret quantum à Guſtavo Germaniæ, ac in ejus aditu, iis Provinciis, quarum curam ſuſcepiſſet, periculum immineret; reſponſum dederat ſatìs animoſum: Non eſſe quod Rex metueret, viros hìc reperturum Guſtavum, ſuámque illum felicitatem è Pruſſia excedentem deſerturam. An parem dictis animum attulerit, eventus docuit judicavítque: certè magnos iſtos ſpiritûs adhibere tunc debuerat, cùm hoſtis inſtaret,

Irrito conatu.

Rex Sigiſmundus monet Torquatum Conti de Guſtavo.

Reſpondet faſtuoſè.

ſtaret, ad cujus adventum ſtatione deſertâ, in tutiora ſe recepit.

In Polonia ingens peſtis graſſatur. Interea poſitis ad quinquennium armis erupit ſubitò hoſte atrocior contagio, magnâque populorum editâ ſtrage, univerſam pervadebat Poloniam, & Rex peractis Varſoviæ in Novembre Comitiis, Osjecium primò, deinde cùm nec ibi ab invaleſcente peſte tutus eſſet, Tikocinum cum Regina, liberis, & modicâ aulâ ſe tranſtulit. Vladiſlaüs verò Patrem ſecutus Kniſini haud procul à Tikocino ſubſtitit, poſthac Merecium ſeceſſit, ubi læta amœnitas duorúmque fluviorum limpidiſſimis aquis mutuò ſeſe jungentium concurſus, locum apprime commendat, proindéque non alia ſedes Vladiſlao gratior fuit, ibíque frequentiùs commorari conſueverat. *Vladiſlaüs Merecium ſeceſſit.*

Peſte ceſſante Rex ad Comitia redit. 1631. Subſederat ab intenſo frigore aliquantùm lues, proindéque Varſoviam ad Comitia Sigiſmundus redierat, quæ primis anni menſibus peracta ſunt, annitentibus Proceribus ut inter Regem & Ordines omnes tandem ſopirentur controverſiæ: ſopitæ-

pitæque feliciter, prout ex volumine Legum conſtat, optatámque tranquillitatem ab intus & de foris Regno attulêre. Intererat etiam Comitiis Vladiſlaüs, ſed cùm graviora indies valetudinis damna ſentiret, Medicorum conſilio ad thermas Egram Bohemiæ profecturus, res negotiáque ſua diſponebat, acceptâque poſtmodum à Patre licentiâ, primo vere paucis iiſque ſelectis comitatus aulicis diſceſſit. Et valetudo Principis diu firma ſtabiliſque fuit, cujus damnum aliquod fecerant ſuſceptæ expeditiones Moſchovitica & Turcica, illa quidem in rigido Septentrione, inter frequentes militum ſeditiones, ob parcè ſubminiſtratam pecuniam, tùm frequentia monita, quibus jubebatur experiri omnes vias concordiæ, præſertim cum ſeſe offerret optima & nunquam revocabilis Imperii adipiſcendi occaſio, ægritudinem animi conciliaverat, tum & belli incommoda vires nonnihil labefactarant: hæc verò Principem lecto affixerat, diúque invalidum tenuerat. Quanquam ut erat animo vivaci, & corpore à na-

Vladiſlaüs valetudinis curandæ Egram iter apparat. *Inde arceſſitus morbus.* *Turcica.*

natura ſatìs firmo, facilè illam virium jacturam reparaſſet, ſi vivendi rationem ad modum temperantiámque accommodaſſet: profectò ab Italia exteríſque reducem ſemper aliqua valetudinis exceperunt damna, & aucta identidem novis morborum acceſſionibus graviora fuêre.

De Obitu Reginæ Conſtantiæ nuntium accepit. 10 Julii obiit.

Dum itaque Egræ commoratur Vladiſlaüs inopinatum de morte Reginæ Conſtantiæ accepit nuntium, quæ Julio menſe è vivis ſublata, magno Regem luctu, aulam verò univerſam ingenti mœrore complevit. Quis namque ſperaſſet ætate florentem, corpore firmam, animo vegetam, ſubitâ morte Domui Regiæ orbitatem illaturam, potiúſq; indies exſpectabatur Regis fatum, qui ſenio curíſque feſſus in occaſum vergebat, nec ita pridem gravem morbum, & extremam penè ſibi afferentem luctam evaſerat. Non aliàs unquam triſtior comparuit Rex, oculíſque continuò madentibus deflebat dulciſſimi in provectâ ætate ſolatii jacturam, prolem verò matre deſtitutam, filios filiámque ſub ſanctiſſimæ parentis diſciplina adoleſcere incipientem intuens, magnopere angebatur, Principum orbitati metuens: quamvis Proceres ſponderent Remp. matris loco proli Regiæ futuram, quæ illorum infantiam excepiſſet, adoleſcentiam nunc foveret, impoſterum verò tanto alacriùs illorum proſpecturam commodis, quanto devinctior debito cum honore gratam Sigiſmundi & Conſtantiæ meritorum apud ſe veneraretur memoriam.

Rex ſummopere luget.

Elogium Reginæ.

Præclariſſimis illa virtutibus magnâque Heroïnâ dignis exornata erat, quas ex Imperatrice Domo unà cum majorum ſuorum claritudine attulerat. Sed ſuper hæc omnia innocentia morum, & ſanctitas vitæ eminebat: erga ſacroſanctam Euchariſtiam Religio illi ſingularis, ac planè Auſtriaca, cui dum conſtantiſſimè præſertim in celebritate Corporis Domini inſiſtit, in fatalem incidit morbum: quippe die cœlo ardente flagrantiſſimo ſequebatur unà cum Rege ſupplicationem per urbem, ut moris eſt, inſtitutam, & ut erat corpore gravi præpinguíque ab ingenti æſtu ægritudinem concepit, quâ

quâ per incuriam medentium invaleſcente, paucos intra dies anno ætatis ſuæ quadrageſimo quarto conjugii vigeſimo ſexto deceſſit. Superſtites filios Joannem Caſimirum, Joannem Albertum, Carolum Ferdinandum, Alexandrum Carolum, filiam verò unicam Annam Catharinam reliquit: Cœlo autem fœcunditatis ſuæ partem filium & filiam infantes conſecravit. Interea ne corpus Reginæ graviſſimo doloris ſenſu continuò oculos Sigiſmundi everberaret, die decimo ſexto menſis Auguſti primâ noctis vigiliâ Viazdoviâ Varſoviam delatum eſt, comitante Jacobo Zadzik Epiſcopo Culmenſi Regni Cancellario, & Lucâ Opalinio Supremo Aulæ Regiæ Præfecto, ab iiſque in veteris arcis peramplo atrio ſummo cum honore depoſitum eſt. Jam & Vladiſlaüs mox adfuit à thermis redux, póſtque exhibita Patri quà verbis, quà variis avocamentis ſolatia, Varſoviæ aliquantiſper manſit, donec iterum Merecium in Lithvaniam ſecederet, de Regis incolumitate aliquantùm ſecurior. Graveſcere namque valetudo

Corpus Varſoviam defertur.

Vladiſlaüs Merecium abit.

letudo Regis cœperat, quam continuus mœror, crebri gemitûs, vehementer læſerant: tum & humores commoti pedum primo ingentes excitaverant cruciatûs, deinde dextræ manûs uſum labefactarant: caput verò ita affecerant, ut attonito ſemper ſimilis, ſtuporéque quodam defixus vix ſui meminiſſet, torpentibus interea negotiis publicis, remiſſâque eorum per Regis invaletudinem curâ. Hieme tandem appetente Viazdoviâ Varſoviam ſuadentibus aulæ primariis delatus eſt, ubi à Medicorum induſtriâ ægre ipſius valetudo ſuſtentabatur: cúmque cauteriis adhibitis, à quibus in omni vita ſuâ vehementer abhorrebat, vires aliquantùm recepiſſet, ad ſolita redierat munia, ut quandoque & jus diceret, & in Reipub. negotiis reſponſa daret, quanquam perparcé. Neque enim jam is erat qui olim Aulæ vigor: quippe Princeps rarus in publico, aditûs ad illum difficiliores, quos muliebris diligentia vallaverat, ne nimio dolore feſſus, & à morbo languidus gravioribus interpellaretur fatigaretúrque curis. Pauci adhibiti &

Regis Valetudo dubia ideóque publica negotia torpent.

Quis tunc aulæ ſtatus.

ii tantùm interioris admiſſionis miniſtri, quibus ille aſſueverat, reſponſa data per Urſulam Mejerin arcanorum Domûs Regiæ conſciam: ſi verò diplomatibus manus Regia apponenda eſſet, quæ jam difficulter calamo uti poterat, ea in ſecretius deportabantur cubiculum, nonnulláque ad libitum domeſtici famulitii ſignabantur.

Rex iterum Comitia indicit. in Mart: 1632.

Ultima tandem Sigiſmundi cura fuit in convocandis ad Comitia Ordinibus, quibus occaſionem dederant Moſchi magnis viribus bellum apparantes, illúdque mox illaturi ferebantur, non exſpectato tempore pactorum conditionibus definito præſcriptóque. Propoſuerat quoque Rex Ordinibus, annon expediret de ſecuritate modóque in poſterum eligendorum Regum aliquid certi ſtatuere, quandoquidem & præterita interregna graviſſimis Rempub. affeciſſent damnis, & ab hac in Pruſſia Sueci hoſtis viciniâ metus impendêret, qui ſuperſtite adhuc Rege ſenatorum ſcriptis ad eos literis, auderet pertentare animos, & per nuntium Ruſſelium ambitionem ſuam Or-

Et quid in iis proponit.

Ordinibus ſat impudenter aperiret. Et has quidem Suecorum machinationes fuſiùs tunc expoſiturus ſum, quando ad illa venero tempora, cùm ab obitu Sigiſmundi novo Regi eligendo univerſa incubuit Polonia. Jam verò & prolem ſuam impenſiùs Rex Ordinibus commendavit unicum à Republica ſolatium exſpectantem.

Nuncii terrarum Regem ſalutant & ſolantur.

At Delegati Provinciarum & veſte lugubri, & verbis per ſuum Præſidem vulgò Marſchalcum conteſtabantur totius Reïpub. luctum, mœrentíſque Regis animum appoſito ſolabantur ſermone: petebántque ut antequam Patres ſententiam rogati dicerent, Principes filii in Senatum arceſſerentur. Annuit Rex, vocatíque paulò infra Regiam conſedêre ſellam, exhilarato vehementer Patre, utpote qui videret tam luculentum eximii Ordinum erga ſe affectûs argumentum, & prolem ſuam, de qua maximè anxius ſolicitúſque erat, in Reïpub. ſinum recipi, haud facilè deſerendam. Nec longa tenuit deliberatio Ordines in aſſignandis Præfecturis diſtribuendíſque inter Prin-

Juniores Principes in Senatum arceſſi petunt.

Præfecturas inter eos distribuunt. Principes: namque eæ quæ à morte Reginæ supererant Joanni Casimiro, Alexandro Carolo, & Annæ Catharinæ cessêre, ísque Ordinum consensus publicis Legum tabulis firmatus est. Rex verò collaudatâ erga se domúmque suam Regiam pietate, vicissim in grati animi testimonium jure in *Rex vicissim jure suo in monetam cedit.* rem monetariam solis hactenus Regibus competente Reïpub. cessit, & Principes prolatum instrumentum, quo de dote Reginæ Matri cavebatur eïdem condonavêre illam non ampliùs à Repub. repetituri. Duo è Principibus superfuêre Joannes Albertus, & Carolus Ferdinandus, quos Rex pueros adhuc sanctiori togæ addixerat. Et hic quidem nuper Vratislaviensi in Silesia Episcopatu auctus nihil tunc flagitabat, Joannes *Episcopatum Cracoviensem pro filio efflagitat.* verò Albertus Episcopatum Varmiensem obtinuerat. Sed Rex iis in Comitiis à recenti morte Andreæ Lipscii vacantem Episcopatum Cracoviensem eïdem conferre annitebatur, cujus votum adjuvêre suo consensu Ordines, quanquam Nicolaüs Coricinius Terræ Cracoviensis Nuncius, ardentiùs

tiùs paulùm intercessisset, postmodum tamen benignè postulantis Regis habitâ ratione, cæterorum suffragiis accessit, etsi nullatenus consensum illum Ordinum scriptâ Lege firmari pateretur, nisi priùs in proximo post Comitia Provinciali Conventu, Nobilitati Terræ Cracoviensis universorum voluntatem declarasset: cui non refragaturam sanctè spopondit. *Coricinius intercedit; sed tandem consentit.* Sed obtentum Episcopatum Joannes Albertus magnâ ex parte debuit Vladislao fratri: namque à Patre cœptum negotium, post ejusdem decessum sedulò promovit, effecítque ut non tantùm Episcopi sedem in principe urbe feliciter occuparet, sed dum ille Regni purpuram, is quoque Cardinalitiam inter faustos omnium applausus sumeret. *Vladislao hunc Episcopatum debuit Princeps.*

Atque ut Principum postulatis faciles annuebant Ordines, ita de securitate modóque eligendorum Regum, quæ fuit non postrema Comitiorum disceptatio, certi aliquid statuere mordicus refragabantur: sive is erat metus ne Rex morti propior de futuro successore exploraret vota desideriá- *De modo electionis nihil statuitur.*

 que,

que, pérque id pristinæ libertati eligentium detraheret, sive aliquorum pertinacia id effecit, qui in turbido Interregni statu plura se patraturos sperabant, si nullis adstricti Legibus modísque tenerentur: certè magnis contentionibus res acta est, neglecta tandem summo cum temporis dispendio, quod cæteris consiliis, quandoquidem id non processisset, utiliùs impendi potuisset. Contra Moschorum apparatus indéque ingruentem molem virium, decretum statutúmque: videlicet ex eodem sinu illis bellum & pacem effundendam esse, hanc si æquis conditionibus vellent conficere, delecti viri ex Senatorio & Equestri Ordine illustres, qui rem transigerent, si verò obstinati classicum canerent, permissum Vladislao Principi, ut jus suum armis vindicaret.

Moschis & pax & bellum offertur.

Finitis sat prospere Comitiis Equestris Ordo ultimùm Regi suo dixit vale, quem jam non ampliùs visurus salutaturúsque erat. Namque Mensis ille procedebat cujus dies extremus, insimul & vitæ & Regni Si-

Aprilis.

Sigismundo supremus fuit. Fovebatur quidem hucusque medentium ope valetudo Regis, prætérque omnium spem præsidebat in solenni Comitiorum consessu, sub quorum finem pristinæ constantiæ morísque tenax, inter fastidiosas concertantium acclamationes, ad mediam usque noctem præfractus licèt perdurabat. Recurrebant quoque tunc Christo post mortem surgenti dicati dies, quos ille maximo cum pietatis sensu peregit, divinis interfuit officiis, atque eo præsertim die, quo Deï morientis Christianus Orbis anniversarium recolit diem, cùm pedibus non valeret, gestatoriâ sellâ usus, quatuor templa visitavit, ibidémque Christi in sepulchro jacentis memoriam adoravit.

Rex interea languet Pietatis tamen erga Deum non immemor.

Interea constituerat Cracoviam se transferre, ubi Constantiæ uxori destinabat funus, sine sua præsentia nullatenus peragendum, illúdque iter tenacissimè menti ejus inhæserat, nisi aliter Senatoribus visum fuisset, qui perpensis viarum molestiis, dubiâque Regis valetudine suasêre petieréque ne se

Cracoviam ire vult ad funus Reginæ ducendum, dissuadent Senatores.

ſe tam longinquo itineri committeret, cui imbecille corpus morbíſque attritum non ſufficeret: relinqueret potiùs hoc ultimum pietatis officium demandarétque Principibus filiis, qui lugubrem pompam ducerent, matrémque tumulo inferrent. Et quanquam diu propoſiti tenaciſſimus hæſiſſet, repugnaſſétque, ceſſit tandem Senatorum votis, deſignavítque diem ſextum Calendarum Junii juſtis Reginæ perſolvendis, Principéſque de adornando Cracoviam itinere præmonuerat. Quamvis verò ipſe manendi conſilium cepiſſet, volebat nihilominus ſuas experiri vires, an currûs agitationem ferre poſſent, excurrerátque animi cauſâ Opacium, ad Sigiſmundi Opacii Succamerarii Varſovienſis veteris fidique aulici gentilitium dominium, unico ab urbe milliari diſtans: ubi hilaris lætúſque diem tranſegit, & ſub veſperam Varſoviam rediit, poſtero die medicinam ſumturus. Ad exhibitum ſibi pharmacum cohorruit, illúdque tantopere averſatus eſt, ut palàm diceret mortem ſibi à Medicis propinari.

23 April.

Opacium animi cauſâ excurrit.

Ten-

Tentatus deinde torminibus, poſt & paralyſi tactus, linguæ uſum amiſit, ſenſímque attractus medicamento ad pectus pituitæ humor, obturatis ſpiramentis deſperatæ valetudinis indicium fuit. Arceſſitur propere Vladiſlaüs Princeps, qui tunc ad Plonſcum oppidum Mazoviæ nono circiter à Varſavia milliari venationi operam dabat, ſed feſtinantem inhibuit detinuítque Viſtula aquis in immenſum auctus, atque à valido ſpirante vento fluctibus inhorreſcens tuménſque, ut nullum prorſus pateretur navigium. Altero tandem die non abſque difficultate ſuperato, ſub ipſam veſperam ad aulam accurrit, Patrémque cum extremo colluctantem morbo rectà adiit: quem etſi ille voce compellare non poſſet, paterno intuitus oculo, mox geſtu impoſitâque deſuper caput manu, Regni Sueciæ verum ac legitimum hæredem ac ſucceſſorem declaravit, adſtante Gregorio Boraſto, viro apprime erudito, natione Sueco, inque publicas tabulas eam nuncupationem referente. Donec pridie Calendis Maji inter

Lecto tandem affixus periculosè ægrotat.

Vladiſlaüs accurrit, quem Regni Sueciæ ſucceſſorem declarat.

Moritur. ſecundam & tertiam à media nocte horam, Sacramentis rite munitus fato conceſſit, circumſtantibus lectum Principibus filiis, unicâque filiâ non ſine lacrimis ingentíque luctu. Adfuêre morienti & Proceres mœſti, qui tunc in aulâ degebant: Jacobus Zadzik Epiſcopus Culmenſis ſupremus Regni Cancellarius, Staniſlaüs Radzieiovius Lancicienſis, Nicolaüs Kiska Mſciſlavienſis, Alexander Goſiewski Smolenſcenſis, Gaſparus Denhoff Derpatenſis Palatini. Maximilianus Przerembſcius Siradienſis, Kolaczkovius Crivinenſis Caſtellani, Lucas Opalinius Supremus aulæ Regni Præfectus, Staniſlaüs Radivillus ſupremus Lithvaniæ Cancellarius, Thomas Zamoiſcius Regni, Paulus Sapieha Lithvaniæ Procancellarius, Joannes Nicolaüs Danielovicius Regni ſupremus Theſaurarius. Et eorum quidem nomina præterire non potui, penès quos luctuoſi obſequii neceſſitas manſit.

Qui tunc præſentes in aula Senatores.

Corpus Regio veſtitu ornatum deponitur.

Corpus Regium veſtitu quo in ſolenni inaugurationis feſto Reges Poloniæ uti conſueverunt indutum, & horis pomeridianis

dianis in aula eleganter ornata publicæ ſpectantium venerationi expoſitum eſt. Diadema caput defuncti ornabat, manui dextræ ſceptrum, ſiniſtræ globus impoſitus erat. Regni verò Sueciæ corona ad latus in pulvino collocata jacebat. Tum Proceres veluti vivo exhiberent ſolitum venerationis officium, triſti mortuum circumdederant coronâ, quos in palatio ita adſtantes reperit Joannes Wezyk Archiepiſcopus Gneſnenſis Regni Primas Primúſque Princeps, ad quem jam ab obitu Regis ſuprema Regni ſpectabat cura. Is etenim primùm de Regis dubia valetudine, tandem & exceſſu celerrimis nuntiis à Jacobo Zadzik Regni Cancellario edoctus, eâdem die advenerat, rectâque ad palatium contendens, piis Manibus bene precatus eſt: indéque ad interius cubiculum deductus Vladiſlaüm Regem Sueciæ, & Principes atratos ſalutavit, mœrorémque in communi jactura teſtatus eſt.

Joannes Wezyk Archiepiſcopus & Regni Primas venit.

Vladiſlaüm & Principes ſolatur.

Teſtamentum ante annos circiter undecim factum, manúque Andreæ Lipſcii Epiſcopi Cracovienſis, ſed tunc Regni Can-

 cel-

Testamentum Regis aperit. cellarii ſcriptum, prolatum eſt, apertúmque in præſentia Principum filiorum. Hæredem ex aſſe inſtituit Vladiſlaüm Sueciæ Regem, cæteri fratres in ſortes ſucceſſêre. Diadema quod Moſchoviâ ſubactâ è theſauro gentis acceperat, Regni ærario inferri juſſit. Cæterùm cùm pleraque graviter prudentérque diſpoſuiſſet, ultimæ voluntatis teſtimonio profeſſus eſt: ſe nihil unquam in pernitiem populorum ſuo Regimini à Deo conceſſorum, machinatum fuiſſe, nihílque intactum reliquiſſe quidquid ad decorem, incolumitatem, amplitudinem, gloriámque Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Lithvaniæ pertinuiſſet.

Elogium Regis. Is fuit exitus Regis Optimi maximíque, cui pietas ob Divini cultûs, Cælitum eximiam venerationem, veteris ac Orthodoxæ Religionis patrocinium, Baſilicas magnis impenſis erectas, Collegia cœnobiáque à fundamentis excitata, perenne erexit Mauſolæum. Juſtitia æquâ lance in Judiciis adminiſtrata, in honoribus diſtribuendis magiſtratibúſque deferendis ad amuſſim obſervata

ſervata

ſervata ad poſterorum memoriam ſtatuit coloſſum: clementia benignitáſque ſeditioſis commonſtrata civibus, captis victíſque declarata hoſtibus, promtior beneficiis exornare quàm in vindictam aſſurgere Regis animus perennaturum collocavit tropæum. Bella proſpere adminiſtrata, obtentas victorias reportatóſque triumphos, limites Poloniæ extenſos prolatóſque, integris ſcriptorum relinquo voluminibus. Ad extremum Regni ævíque maturus: quippe quadraginta quatuor annis Regno impenſis, quadrageſimus ipſe quartus in Regum ſerie omnium æquavit aut junxit gloriam. Staturâ fuit juſtâ, facie formoſâ, colore candido, genis eleganter purpuraſcentibus, naſo aquilino, neque tamen nimiùm protuberante, oculis ſubnigris, capillo antequam caneſceret ſubfuſco, in vultu decor majeſtáſque eminebat, quæ non indigenas tantùm, ſed & exteros ad ſui reverentiam permoveret: denique formâ ſui temporis Regum princeps, ætate pater, rebus geſtis clariſſimus, anno vitæ ſexageſimo ſexto deceſſit.

 Au-

Regis morte auditâ Senatores adveniunt.

Auditâ Regis morte confluxerat frequentior senatus, ac præter eos qui morienti aderant, venerat Matthias & Stanislaüs Lubienii fratres, ille Cujaviensis, hic Plocensis Episcopus, Stanislaüs Koniecpolius Sendominæ Palatinus supremus militiæ Præfectus, Jacobus Sczavinius Bresnæ Palatinus, cæteríque quos Primas Regni in commune consulturos evocaverat. Consilii tandem hæc summa fuit: Arx Cracoviensis Thomæ Zamoiscii Pro-Cancellarii Regni tanquam ejus Præfecti curæ demandata est: Urbis securitati prospexit Joannes Tæchynius Palatinus: pacis tam externæ quàm domesticæ conservandæ, Koniecpolius curam suscepit, cui ad solitas legiones sexcenti equites additi adscriptíque sunt. Par Magni Ducatûs Lithvaniæ habita ratio, arces vicinæ Moschoviæ ut justo præsidio firmarentur, negotium datum est Leoni Sapiehæ Palatino Vilnensi & armorum supremo Duci, trecenti equites totidémque pedites lecti, quibus domesticæ securitati prospiceret. Alexander Gasievius arcem Smolenscum, utpote ipsius Palatinus tuendam servandámque suscepit. Quæstor Regni monitus, ut sumtus è publico ærario ad tempus convocandæ nobilitatis impenderet, partim ad ea quæ dignitas Regii funeris exposceret, partim ad victum sustentationémque Principum pertinerent. Censuum redituúmque exactiorem haberet curam, illorum Reïpub. accuratam redditurus rationem. Ex ejusdem Senatûs consilio delecti Proceres, qui Varsoviæ manerent, debitúmque pietatis officium nomine totius Reïpub. fato functis Principibus præstarent. Ad extremum Lucæ Opalinio supremo Marschalco Aulæ commendata securitas, ordóque cum amplissima Jurisdicendi potestate.

Consilii summa.

Vladislaüs interea futuræ Electioni attendit.

Interea Vladislaüs futuræ Electioni intentus, animos affectúmque tam Senatorum quàm Nobilium tacitè explorabat, sua in Rempub. merita ut non nimis anxiè, ita neque dissimulanter commemoras. Cæterùm causam suam Deo Regnorum arbitro, moderatoríque committebat, sperans post

post occasum Regis se quoque novum populis exoriturum solem, qui depulsis tenebris Polonum Orbem luce suâ non infeliciter illustraret: captabátque omen à multorum propensione; qui illius virtuti probatæque tanto rerum usu experientiæ omnia tribuebant.



Hist. Polon.
a. gener.